

SUMMA

THEOLOGIAE MORALIS.

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

II.

DE PRAECEPTIS.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM ORDINIS.

DE
PRAECEPTIS
DEI ET ECCLESIAE.

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

Editio nona

(5000 exemplarium).

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM ORDINIS.

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

OENIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS FEL. RAUCH (L. PUSTET).

RATISBONAE, ROMAE ET NEO EBORACI
APUD FRIDERICUM PUSTET.

1911.

BX1758
.N68

69490

Introductio.

1. In ea parte theologiae moralis, quae est de *principiis,* ostenditur in genere, quomodo comparatae esse debeant hominis actiones morales, ut aptae sint ad finem ultimum vitae aeternae. Altera pars theologiae moralis, quae est de *praeceptis,* docet in specie, quaenam actiones morales ex voluntate Dei peragendae sint, ut homo per eas ad finem vitae aeternae perveniat. Praecepta enim proxime et directe determinant, quibus actibus homo ex voluntate Dei in finem suum ultimum tendere debeat; et quandoquidem actus praecepti totidem sunt actus alicuius virtutis, praecepta simul determinant, quas *virtutes* homo exercere debeat, ut finem vitae aeternae obtineat. Praecepta autem, de quibus agendum est, triplicis generis sunt: *a.* praecepta virtutum theologicarum; *b.* praecepta decalogi; *c.* praecepta ecclesiae. *d.* Praeceptis addendae sunt *poenae* ab ecclesia in transgressores praeceptorum latae.

Cum expositione legum coniungenda est tractatio *de virtutibus:* sicut enim peccata transgressione legum commissa (eorum scilicet gravitas et specifica diversitas) ex virtutibus, quibus opponuntur, melius et perfectius intelliguntur, ita leges ex voluntate Dei implendae cognitis virtutibus clarius et accuratius percipiuntur. Virtutes autem theologia moralis eatenus tantum considerat, quatenus earum actus *praecepti* ideoque ad consequendam vitam aeternam *necessarii* sunt. Plena de virtutibus tractatio, etiam quoad illos actus, qui non quidem ad obtinendam vitam aeternam, sed tamen ad consequendam christianam perfectionem vitaeque sanctitatem requiruntur, ad illam disciplinam theologicam pertinet, quae *Ascetica* nuncupatur.

2. Conspectus praeceptorum. 1. *Praecepta virtutum theologicarum* fidei, spei et caritatis, quae ab aliis praeceptis eo differunt, quod solum ex revelatione cognoscuntur, quod actus harum virtutum immediate Deum attingunt atque attributa divina pro obiecto formali habent.

2. *Praecepta decalogi*, quae legem naturae ab omnibus etiam in novo testamento servandam continent. Ea fere omnia (praeter tertium et quartum) proponuntur forma negativa, reipsa autem quodvis eorum tum *affirmativum* tum *negativum* est.

3. *Praecepta ecclesiae*, quorum alia sunt omnibus fidelibus *communia*, alia pro determinatis statibus (clericis, beneficiatis, parochis, episcopis) *particularia*. Utriusque generis ea, quae praecipua sunt, in theologia morali pertractari solent.

4. *Praecepta administrandi et usurpandi media gratiae*, quibus vita moralis fit supernaturalis et fini ultimo proportionata, et quibus eadem conservatur et perficitur. De his agit volumen tertium *de sacramentis*.

Nota. 1. Auctorum moralium alii hominem considerant secundum triplicem relationem, qua refertur ad Deum, ad semetipsum et ad proximum, seu secundum triplex praeceptum caritatis, quod in illis relationibus fundatur, nempe diligendi Deum, semetipsum et proximum, et ideo praecepta eisque respondentes virtutes ad tria capita revocant:

a. Ad praecepta, quae determinant obligationes *erga Deum* — praecepta virtutum theologicarum, primum, secundum, tertium decalogi praeceptum et ecclesiae praeceptum de sanctificandis festis, praecepta de usu sacramentorum et praeceptum particulare recitandi officium divinum;

b. Ad praecepta, quae determinant obligationes *erga semetipsum* — praeceptum caritatis sui ipsius, quintum decalogi praeceptum, quatenus exigit conservationem vitae, sextum decalogi praeceptum, praeceptum ecclesiae de abstinentia et ieiunio;

c. Ad praecepta, quae determinant obligationes *erga proximum* — praeceptum caritatis proximi, quartum, quintum, septimum et octavum decalogi praeceptum.

2. Alii hominem considerant, quatenus privatus seu individuus est, abstractione facta a relationibus cum aliis hominibus, et quatenus socialis est et in societate exsistens cum aliis hominibus rela-

tiones habet. Secundum duplicem hunc respectum omnia praecepta, quae obiectum huius partis theologiae moralis constituunt, ad duo capita revocant:

a. Ad praecepta, quae hominem *ut privatum* respiciunt — officia individua hominis *erga Deum:* praecepta fidei, spei, caritatis et religionis individualis. cuius actus primarii sunt oratio, adoratio, sacrificium, et secundarii iuramentum et votum; officia hominis *erga seipsum* quoad intellectum, voluntatem, vitae conservationem et bona externa — et partem, quae de his agit, *moralem individualem* (Individualethik) vocant:

b. Ad praecepta, quae hominem ut *socialem* respiciunt — officia socialia *erga Deum:* sanctificatio dominicae et festorum, abstinentia et ieiunium; officia caritatis erga proximum; officia iustitiae *erga alios* homines, et quidem in societate domestica, in societate civili quoad bonum vitae, quoad bona personae, quoad bona fortunae — et partem, quae de his agit, *moralem socialem* (Socialethik) vocant.

3. Si praecepta secundum alterutrum respectum distribuenda et tractanda essent, ordo exsurgeret longe diversus ab eo, qui supra indicatur. In libro theologiae moralis, qui practicis usibus curae pastoralis potissimum inservit, praeferenda videtur divisio tripartita in praecepta virtutum theologicarum, decalogi et ecclesiae, licet altera divisio in praecepta, quae determinant officia hominis erga Deum, erga semetipsum et erga proximum, item altera in praecepta, quae hominem ut privatum, et in praecepta, quae hominem ut socialem respiciunt, tractationi scientificae ac systematicae magis conveniat.

His describitur vita moralis hominis christiani per gratiam elevati ad statum filii Dei, eaque tum individualis tum socialis. Ut vita hominis christiani possit esse vere supernaturalis, eius anima ornata est gratia sanctificante, eius potentiae (intellectus et voluntas) instructae sunt habitibus supernaturalibus virtutum atque in singulas actiones eius morales influunt gratiae actuales. Hoc modo fit, ut omnes virtutes, quibus continetur vita christiana, splendeant ea perfectione et excellentia, quam exigit dignitas filii Dei eiusque vocatio ad vitam aeternam.

Pars prima.

De praeceptis virtutum theologicarum.

Liber primus.

De praeceptis fidei [1]).

Quaestio prima.

De natura fidei.

3. Notiones. 1. *Credere* significat assensum praebere alicui rei propter alterius testimonium seu auctoritatem.

a. Fides ab *opinione* differt, quia rem certo et sine formidine errandi pro vera habet; a *scientia* differt, quia rem non ex internis

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 1—16. *S. Alphonsus* l. 2. n. 1—19. *Laymann*, Theologia moralis l. 2. tract. 1. *Io. de Lugo*, Disputationes schol. de virtute fidei div. disp. 12—20. *Fr. Suarez*, De fide disp. 1—8; 12—24. *Lacroix*, Theologia moralis l. 2. n. 1—115. *Io. Reuter*, Theologia moralis II. n. 1—39. *Sporer-Bierbaum*, Theologia moral. decalog.[2] (Paderbornae. Typogr. bonif. 1901) I. tr. 2. n. 1—92. *Aug. Lehmkuhl*, Theologia moralis[10] (Friburgi. Herder. 1902) I. n. 269—404. *Ballerini-Palmieri*, Opus theolog. morale[3] (Prati. Giachetti. 1899) II. n. 1—108. *Fr. Ad. Göpfert*, Moraltheologie[5] (Paderborn. Schöningh. 1905) I. n. 264—282. *E. Génicot*, Theologiae moralis institutiones[5] (Lovanii. Polleunis et Ceuterik. 1905).

rationibus, sed propter auctoritatem testis pro vera habet. *Quod scimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati*[1]).

b. Ad actum fidei in genere consideratae intellectus plerumque movetur a voluntate; sed ut fides rationabilis sit, intellectus praevie cognoscere debet testem mereri fidem, eo quod intelligit testem nec in cognoscendo falli, nec in testando fallere.

2. Virtus theologica fidei considerari potest, quatenus *habitus* et quatenus *actus* est. Fides habitualis permanens est et iam in infantibus baptizatis habetur; fides actualis transiens est atque in eo habetur, qui elicit actum fidei.

a. Fides theologica ut *virtus* definitur: habitus supernaturalis infusus, quo homo disponitur ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis ob auctoritatem ipsius Dei revelantis.

α. Prima definitionis verba exhibent notam, quae fidei cum reliquis virtutibus theologicis communis est; verba: *ad firmiter assentiendum* etc. exhibent id, quod fidei proprium est et quo a reliquis virtutibus theologicis distinguitur, eius scilicet *obiectum materiale* et *formale*.

β. *Subiectum* fidei seu potentia, cui habitus fidei inhaeret, est intellectus: habitus enim in eadem potentia residet, a qua elicitur actus; actus vero fidei ab intellectu elicitur, qui ad ipsum actum eliciendum habitu instruitur. Quia tamen ad actum fidei eliciendum etiam voluntas concurrit, assensum nempe imperando, etiam in voluntate est habitus disponens ad eliciendum pium affectum credendi.

γ. *Habitus fidei* solum per peccatum infidelitatis seu per peccatum haeresis *amittitur*, quod fidei directe opponitur: per actum enim, quo homo recedit a motivo fidei, ipse habitus fidei destruitur. Si quis ergo culpabiliter *omittit* elicere actum fidei, vel si quis *exterius* tantum *negat* fidem, graviter quidem peccat contra fidem, attamen habitum fidei non amittit, quia a motivo fidei non recedit.

δ. Habitus fidei vocari solet *lumen fidei*: sicut enim intellectus, quo veritates ordinis naturalis cognoscimus, lumen naturale dicitur, ita potentia, qua veritates revelatas amplectimur, lumen supernaturale vocatur.

b. Fides theologica ut *actus* definitur: firmus assensus, quo veritates a Deo revelatas ob auctoritatem ipsius Dei revelantis amplectimur.

4. Obiectum fidei. *a. Obiectum materiale* fidei theologicae est verbum Dei: illud nempe constituunt omnes

---

[1]) *S. Augustinus*, De utilitate credendi n. 25.

veritates a Deo revelatae. Distinguitur obiectum materiale *primarium*, quod est ipse Deus eiusque perfectiones; et obiectum materiale *secundarium*, quod constituunt aliae veritates a Deo distinctae, quae tamen omnes revelatae sunt in ordine ad Deum, ut nempe Deus eiusque perfectiones melius cognoscantur, et ut homo pervenire possit ad Deum, beatitudinem suam aeternam.

b. Obiectum formale fide theologicae constituit auctoritas Dei revelantis, qui, cum sit prima veritas, nec falli in cognoscendo neque in dicendo fallere potest. In prima ergo veritate seu in duabus perfectionibus divinis fides theologica innititur: in summa Dei sapientia seu infallibilitate in cognoscendo, et in summa Dei veracitate in loquendo.

Ex motivo formali liquet fidem debere esse *universalem*, quae scilicet se extendat ad omnes veritates revelatas: qui enim vel unum articulum fidei negat, eo ipso implicite omnes negat, quia negat obiectum formale fidei, auctoritatem Dei revelantis, in qua reliqui omnes articuli innituntur.

5. Genesis seu analysis fidei. Ut actus fidei elici possit, ratio complures veritates prius cognoscat oportet, quae cognitiones ideo a theologis *praeambula fidei* nuncupantur.

1. Imprimis cognoscere debet *Deum esse locutum* seu Deum dedisse revelationem: nisi enim constet veritatem reapse a Deo esse revelatam, eam credere fide divina nec possumus nec debemus. Illa argumenta, quibus demonstratur factum revelationis, dicuntur *motiva credibilitatis*, quia revelationem (religionem christianam) credibilem reddunt. Iam vero haec argumenta (miracula, vaticinia, ecclesiae mira conservatio et propagatio, constantia martyrum etc.) non sunt quidem evidentia, sed tamen eiusmodi sunt, ut quilibet ex iis factum revelationis certo seu absque prudenti formidine errandi cognoscere possit.

2. Deinde cognoscere debet *Deum esse summe sapientem summeque veracem*, adeo ut neque ipse falli neque alios fallere possit: fides enim natura sua nititur in auctoritate Dei revelantis certo cognita; auctoritas autem omnem suam viam a scientia et veracitate testis desumit.

3. Ex hac duplici cognitione oritur iudicium: veritates a Deo revelatae credibiles sunt, i. e. rationabiliter et prudenter credi possunt, quod quidem iudicium dicitur *de credibilitate* reve-

lationis; immo oritur iudicium: veritates a Deo revelatae credendae sunt, i. e. absolute credi debent, quod quidem iudicium dicitur *de credenditate* revelationis. Sane, ubi certo constat Deum summe sapientem ac veracem esse locutum, homo intelligit gravissimam obligationem credendi: Deo enim fidem exigenti homo credere tenetur: atqui ipso facto revelationis Deus exigit fidem. Utrumque hoc iudicium de credibilitate et credenditate revelationis omnino evidens est.

4. Actum igitur fidei praecedit haec duplex cognitio, auctoritatis nempe divinae (verum et credendum est, quod Deus revelat) et factae revelationis (atqui Deus revelavit religionem christianam); his autem praecognitis nondum sequitur immediate assensus mentis (ergo vera et credenda est religio christiana). Cum enim altera ex cognitionibus praerequisitis (factum scilicet revelationis) non sit evidens, mens ad assensum veritati revelatae praestandum non determinatur argumentis rationis, sed ad assensum fidei praestandum ex imperio voluntatis moveri et determinari debet. Iam vero praelucente hac cognitione, voluntatem nempe posse et debere imperare assensum, ipsa actu positivo intellectui assensum fidei imperat; quem voluntatis actum synodus arausicana secunda *credulitatis affectum* appellat. Ex hoc voluntatis imperio actus seu assensus fidei tandem sequitur.

5. Assensus fidei *liber* et proinde suppositis supponendis *meritorius* est. In eo autem libertas fidei sita est, quod assensus fidei a libera voluntate dependet: ipsa enim praelucente bonitate eiusdem assensus ad illum imperandum libere se determinat.

6. Cum fides theologica, quae a concilio tridentino nuncupatur initium, fundamentum et radix omnis iustificationis[1]), esse debeat actus *supernaturalis*, ipsa non viribus naturae, sed gratiae elicitur. Itaque iudicium intellectus, quo factum revelationis, auctoritatem Dei revelantis et obligationem credendi cognoscimus, ex supernaturali illustratione procedit, voluntas per inspirationem gratiae pium credulitatis affectum concipit ac tandem intellectus per vires gratiae veritati revelatae assentit.

a. Exposita natura fidei iam facile intelligitur nos actibus fidei *credere Deo,* quia ratione obiecti formalis credimus Deo revelanti, nos *credere Deum,* quia ratione obiecti materialis credimus Deum et quaecunque de Deo revelata sunt, ac tandem nos *credere in Deum,* quia per fidem tendimus in Deum, finem nostrum[2]).

---

[1]) Sess. 6. c. 8.

[2]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 2. a. 2.

b. Quamvis vera fides ab homine exigat *sacrificium intellectus,* quatenus amplecti tenetur veritates, quarum internam rationem non intelligit, quatenus proinde intellectum captivare debet in obsequium fidei; nihilominus vera fides est et esse debet *rationabile obsequium,* quatenus non credit nec credere potest, nisi lumine rationis cognoscat, ex auctoritate divina absolute vera esse omnia ea, quae fide amplectitur.

6. Divisio fidei: 1. In *habitualem,* quae est habitus seu virtus fidei supra descripta; et in *actualem,* quae est actus seu assensus fidei item supra definitus.

2. Fides habitualis altera est *caritate formata* seu viva, alia *informis* seu mortua, prout coniuncta est cum habitu caritatis ut in homine iusto, vel eo destituta ut in homine peccatore.

Fides informis non ideo dicitur *mortua,* quod se exercere non possit et debeat actibus fidei iisque supernaturalibus: est enim vera virtus et vera fides[1]); sed dicitur mortua, quia fidelis nondum iustificatus *vera vita* supernaturali caret, quae ibi solum habetur, ubi actus meritorii vitae a Deo exerceri possunt.

3. Fides actualis dividitur in fidem *internam,* quae est assensus fidei mente conceptus; et *externam,* quae est fidei internae externa professio per verba, actiones vel alia signa.

4. Fides actualis insuper dividitur in fidem *simpliciter divinam,* qua creditur, quod a Deo quidem revelatum, sed non etiam ab ecclesia ad credendum propositum est; et in fidem *catholicam,* qua creditur, quidquid a Deo revelatur et ab ecclesia credendum proponitur.

a. Ex voluntate Christi ecclesia constituta est medium et organum, quo fidelibus proponantur veritates revelatae et credendae; ex quo patet fide *catholica* non posse credi nisi revelationem publicam, quae auctoritate ecclesiae omnibus credenda proponitur, fide autem *divina* credi posse etiam revelationem privatam, quae uni soli conceditur homini.

b. Ideo fides secundario fundatur etiam in *auctoritate ecclesiae* tamquam medio infallibili et necessario, quo ea cognoscimus, quae Deus revelavit. Qui ergo articulum fidei credit, non solum auctoritatem Dei revelantis, sed etiam infallibilem auctoritatem ecclesiae agnoscit, et qui articulum fidei negat, non solum auctoritatem Dei revelantis, sed etiam

---

[1]) *Concilium trid.* sess 6. can. 28.

auctoritatem ecclesiae veritates revelatas infallibiliter proponentis contemnit.

c. Hinc recte dicitur fidem theologicam *immediate resolvi* in auctoritatem ecclesiae tamquam in medium fidei infallibiliter proponens veritates a Deo revelatas, et *ultimo resolvi* in sapientiam et veracitatem Dei tamquam in motivum fidei.

5. Fides actualis dividitur (obiective) in *explicitam*, qua aliquid in se ipso creditur sive id terminis confuse tantum sive distincte cognitis fit; et *implicitam*, qua aliquid creditur non in se, sed in alio, in quo illud aliquo modo continetur.

Dupliciter autem id, quod creditur, in alio contineri potest: *a.* in *veritate*, quae creditur, si haec veritas generalis est, in qua aliae veritates continentur; sic qui explicite credit omnia, quae Deus revelavit, implicite credit ss. trinitatem, et qui explicite credit Deum esse rerum omnium creatorem, implicite credit eum esse creatorem hominum; *b.* in *motivo*, propter quod creditur, quod est auctoritas Dei revelantis: qui enim explicite credit determinatum aliquem articulum fidei, quia Deus illum revelavit, eo ipso implicite credit omnes alias veritates revelatas, quia earum fides in eodem motivo innititur.

6. Fides actualis tandem dividitur (subiective) in *formalem* et *virtualem* seu *exercitam:* illa est fides, quae in aliquam veritatem expresse elicitur ob auctoritatem Dei revelantis, ut si quis credit Deum esse trinum in personis, quia Deus summe sapiens et verax revelavit; haec est fides in aliquam veritatem, quae ab actu alicuius virtutis supponitur eumque suo influxu comitatur; sic fides ss. trinitatis suo influxu comitatur actum formantis signum crucis ab eoque supponitur.

Discrimen inter fidem formalem et virtualem in eo consistit, quod is, qui elicit fidem formalem, explicite ad motivum fidei advertit, ille vero qui elicit fidem virtualem, ad auctoritatem Dei revelantis expresse non advertit nec de ea reflexe cogitat. Fides virtualis et exercita supponit actualem et expressam cognitionem motivi fidei, quae cognitio habitualiter in anima permanens virtute sua in actionem, qua fides exercetur, influit. Sic fidem virtualem et exercitam habet, qui coram ss. sacramento genua flectit, sacramentum poenitentiae suscipit, etsi reflexe de revelatione Dei non cogitet, sicut spem messis virtualem et exercitam habet rusticus, qui ex spe messis semina spargit, etsi reflexe de messe non cogitet.

Quaestio secunda.

De necessitate fidei.

Articulus primus.

De necessitate actus fidei.

7. Assertum. Fides actualis adultis omnibus necessaria est *necessitate medii,* nondum iustificatis ad iustificationem, iustificatis ad salutem.

a. In ordine ad salutem duplex distinguitur necessitas, altera medii, altera praecepti. Illud dicitur necessarium *necessitate medii*, sine quo finis obtineri nequit, etsi inculpabiliter non adhibeatur; et illud dicitur necessarium *necessitate praecepti*, sine quo finis solum tunc obtineri nequit, si illud culpabiliter non adhibetur. Huiusmodi est omne id, quod sub gravi praecepto obligat.

Si illud, quod necessarium est necessitate medii, non est in nostra potestate, necessarium dicitur necessitate *medii tantum;* si autem in nostra potestate est, necessarium dicitur necessitate *medii et praecepti:* eadem enim obligatione, qua tenemur ad finem, tenemur etiam adhibere media ad illum necessaria, si in nostra sunt potestate.

Si illud, quod necessarium est necessitate medii, in se ipso requiritur neque alio medio suppleri potest ut gratia sanctificans in fine vitae, dicitur necessarium necessitate *medii stricta, absoluta et in re;* si autem alio medio suppleri potest ut sacramentum baptismi, dicitur necessarium necessitate medii *lata, hypothetica et saltem in voto.*

b. Ad salutem necessaria est necessitate medii etiam *fides habitualis:* etenim ex fide certum est neminem salvari, nisi gratia sanctificante ornatus sit; sed cum gratia sanctificante, quae in iustificatione infunditur, simul etiam fides habitualis infunditur. Verum cum theologia moralis non de habitibus, sed potissimum de actibus virtutum agat, de necessitate *actus* fidei hoc loco sermo est. Ex quo patet, hanc necessitatem solos adultos respicere; *adulti* autem in theologia morali dicuntur, qui rationis usum adepti sunt.

c. Sunt inter recentes theologos, qui ad faciliorem reddendam aeternam salutem infidelium docent, ad iustificationem consequendam non semper requiri *fidem proprie dictam,* qua veritas revelata propter auctoritatem Dei revelantis creditur, sed quandoque sufficere fidem improprie dictam, qua mens veritatem lumine rationis cognitam sub

actuali influxu gratiae amplectitur. Assertum de fide proprie dicta intelligitur[1]).

d. Ubi hic de necessitate *actus* fidei agitur, solum affirmatur aliquem actum fidei theologicae necessarium esse praescindendo ab eius obiecto seu a veritatibus credendis, de quibus inferius sermo erit.

8. Necessitas medii. 1. Fides actualis *adultis nondum iustificatis* necessaria est necessitate medii ad primam iustificationem sive ex opere operato per sacramentum sive ex opere operantis per actum caritatis aut contritionis perfectae obtinendam: *a. Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit*[2]*);* sed de fide actuali eaque proprie dicta haec verba apostoli intelligenda sunt[3]). *b.* Et sane ad iustificationem homo adultus pervenire non potest, nisi propriis suis actibus ad eam se disponat; sed ad eam se disponere nequit, nisi sciat Deum esse eundemque sibi propitium fore; hoc autem scire nequit, nisi per fidem[4]). *c.* Concilium tridentinum de fide, eaque proprie dicta, loquens addit, *sine qua nulli unquam contingit iustificatio*[5]).

Fides actualis *explicita et formalis* necessaria est solum ad primam iustificationem adulti, ad iustificationem vero secundam, quam consequitur peccator vel in sacramento poenitentiae vel per contritionem perfectam, sufficit fides *virtualis,* nisi habitum fidei amiserit: etsi enim concilium tridentinum[6]) inter dispositiones adulti ad consequendam iustificationem enumeret fidem et spem, actus tamen, quos concilium enumerat, non semper, ut in prima iustificatione, formaliter elici debent, sed sufficit, ut virtualiter adsint.

---

[1]) *Fr. Schmid,* Die ausserordentlichen Heilswege (Brixen. Pressverein. 1899). Zweiter Abschn. Die Notwendigkeit des Glaubens S. 79. *W. Liese,* Der heilsnotwendige Glaube. (Freiburg. Charitas-Druckerei 1902). *Martin,* De necessitate credendi et credendorum seu de fide salutari (Paderborn. Schöningh. 1906).

[2]) Hebr. 11, 6. Cf. Gal. 2. 16.

[3]) Cf. *Schmid* l. c. n. 103.

[4]) Cf. *Schmid* l. c. qui n. 94 ss. argumenta aeque acute atque erudite evolvit.

[5]) *Concilium trid.* sess. 6. c. 7. Cf. *Concilium vat.* sess. 3. c. 3.

[6]) Sess. 6. c. 6.

2. Fides actualis *adultis iam iustificatis* necessaria est necessitate medii ad salutem: homo enim adultus ad Deum, finem ultimum, se suaque omnia ordinare seu ad finem supernaturalem vitae aeternae suis actibus tendere eumque bonis operibus sibi promereri debet; sed hoc fieri nequit, nisi credat Deum esse eumque bonorum remuneratorem, malorum autem vindicem esse.

Sunt, qui dicant omnibus plane hominibus ratione utentibus, etiam pueris baptizatis, cum primum ad usum rationis pervenerint, fidem actualem necessariam esse necessitate medii[1]); alii econtra eiusmodi pueris fidem actualem dicunt necessariam necessitate praecepti[2]). Iam vero nihil impedit, quominus necessaria dicatur necessitate medii, dummodo teneatur eiusmodi adultos aequiparandos esse infantibus, donec in fide instructi sint et ad obligationem eliciendi actum fidei advertant, ac proinde etiam sine actu fidei salvari posse.

3. Fides haec in adultis nondum iustificatis debet esse *explicita et formalis,* qua nonnullae veritates explicite in se credantur, attamen in adultis iam iustificatis sufficit *fides virtualis,* modo explicite sciant, quae necessitate medii credenda sunt et agnoscant auctoritatem Dei revelantis: perfectior enim ad finem obtinendum, propter quem fides necessaria est, non exigitur. Insuper fides necessaria est *in re,* nec sufficit eius votum, quod in actu caritatis Dei continetur.

Articulus secundus.

De veritatibus necessario credendis.

9. Declaratio. Iam quaeritur, quae veritates necessario explicite credi debeant. Non sufficit, ut *implicite* omne id credatur, quod ecclesia tamquam revelatum ad credendum proponit, sed nonnullae veritates *explicite* credi ideoque etiam cognosci debent. Porro aliae sunt veritates, quae *necessitate medii,* aliae, quae *necessitate praecepti* explicite cognoscendae et credendae sunt. Quoad reliquas

[1]) *Lacroix* l. 2. n. 11 ss.

[2]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 10.

autem veritates sufficit, ut unusquisque eas implicite credat, paratus etiam explicite credere, si quas ut credendas ab ecclesia propositas esse cognoverit.

10. Veritates necessitate medii credendae. 1. Certum est necessitate medii ad iustificationem et salutem explicite sciri et credi debere duplicem hanc veritatem: *Deum esse et Deum remuneratorem esse:* nam *a. Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit*[1]). *b.* Contraria propositio: „Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris" damnata est[2]). *c.* Homo ad Deum converti et in eum tendere non potest, nisi cognoscat Deum esse, et speret eum sibi peccata condonaturum et aeternam beatitudinem collaturum esse.

Hinc sequitur nunquam, ne in mortis quidem articulo, posse conferri baptismum vel absolutionem adulto, qui haec duo mysteria ignoret, quorum cognitio et fides *certo* necessaria est necessitate medii: cum enim careat medio absolute necessario, gratiae iustificationis non est capax.

2. Practice probabile est post evangelii promulgationem etiam mysteria *ss. trinitatis et incarnationis* eadem necessitate medii ad iustificationem et salutem explicite sciri et credi debere; certe autem implicite, et necessitate praecepti etiam explicite credenda sunt.

a. Valde difficilis et inter theologos controversa est quaestio, num ad iustificationem consequendam etiam fides utriusque mysterii ss. trinitatis et incarnationis necessitate medii requiratur. Qui necessitatem medii *affirmant,* eam non quidem ex rei natura, attamen argumentis positivis demonstrare conantur. Qui autem id *negant,* potissimum ex s. Paulo ostendunt fidem duplicis tantum veritatis sufficere, cum de necessitate fidei loquens doceat: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit*[3]).

Iidem ita arguunt: ante Christi adventum explicita fides horum mysteriorum necessaria non erat; atqui non potest admitti gentiles

[1]) Hebr. 11, 6.
[2]) Propositio 22. ab *Innocentio XI.* damnata.
[3]) Hebr. 11, 6.

post Christi adventum difficilius salvari posse, quam ante eius adventum, id quod affirmari deberet, si fides explicita horum mysteriorum necessaria esset necessitate medii[1]).

b. Etsi sententia negans non sit dicenda moraliter certa, ea tamen vere probabilis, immo theoretice probabilior dici potest et a *s. Alphonso,* cui affirmans videtur probabilior (n. 2), satis probabilis dicitur[2]); ideo pro praxi haec tenenda sunt:

α. Adultus nondum baptizatus, qui in articulo mortis reperitur et prae morbi gravitate instrui nequit, baptizari potest; pari modo adultus baptizatus, qui in articulo mortis instrui nequit, (sub condicione) absolvi potest, etsi uterque ignoret mysteria trinitatis et incarnationis: cum enim eorum cognitio et fides probabiliter non sit absolute necessaria, uti licet opinione hac probabili circa valorem sacramentorum, ubi agitur de moribundi aeterna salute.

β. At vero extra articulum mortis adultum nondum baptizatum non licet baptizare et baptizatum non licet absolvere, si ignorent mysteria trinitatis et incarnationis: cum enim sententia absolutam necessitatem affirmans sit probabilis, baptismus et poenitentia frustrari possent effectu. Ideo eiusmodi adultus vel dimittendus est, donec sufficienter sit instructus, vel ante collationem sacramenti statim, quoad opus est, instrui debet, addita monitione, ut cognitionem eorum sibi comparet, quae sciri et credi debent ex praecepto[3]).

γ. Ergo adultus, qui per aliquod tempus ignorans mysteria ss. trinitatis et incarnationis confessus fuisset, non debet necessario repetere confessiones in hoc statu ignorantiae peractas: etenim non sunt necessario repetendae confessiones, nisi certo constet eas fuisse invalidas; sed istae confessiones probabiliter validae erant.

11. Veritates necessitate praecepti credendae. Ex praecepto Christi Domini sub gravi obligante omnes fideles, cum ad usum rationis pervenerint, praeter ea, quae necessitate medii credenda sunt, explicite scire et credere tenentur *praecipua fidei christianae mysteria;* insuper scire debent *mandata,* quae ab omnibus observanda sunt: *a. Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*[4]). *Euntes ergo docete omnes gentes . . docentes*

[1]) Cf. *Schmid* l. c. n. 137 ff.

[2]) Citationes ex theologia morali s. Alphonsi fiunt secundum editionem typicam.

[3]) Cf. *S. Officium* 3. maii 1703.

[4]) Marc. 16, 15. 16.

eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis[1]). *b.* Insuper status hominis christiani exigit, ut praecipua fidei christianae mysteria sciat et credat, et praecepta omnibus communia cognoscat et observet.

12. Declaratio huius praecepti. 1. Quae in particulari necessitate praecepti scienda et, quatenus revelata, etiam credenda sunt, ex usu et praxi ecclesiae discimus; ea autem secundum omnes ad haec quatuor revocantur:

a. Symbolum apostolorum[2]), quod continet summam fidei christianae.

In symbolo tamen apostolorum nonnulla continentur, quae non sub gravi, sed solum sub levi explicite credenda sunt: α. *perpetua* virginitas beatae Mariae; β. sepultura Christi et descensio ad inferos; quia hae circumstantiae levioris momenti sunt; γ. sessio ad dexteram Patris et communio sanctorum, quia haec fidelibus captu nimis difficilia sunt. Immo nonnulla ne sub levi quidem cognosci debent: Christum sub *Pontio Pilato* passum esse et *tertia die* resurrexisse.

b. Praecepta decalogi, quae ab unoquoque servari debent, et propter paritatem rationis addenda sunt etiam praecepta *ecclesiae* communia.

Praecepta decalogi non solum scienda, sed etiam credenda sunt, haec namque praecepta revelata sunt, ut ab omnibus serventur; quod autem a Deo revelatum est, fide divina credendum est. Praecepta ecclesiae autem non sunt credenda, sed solum scienda et servanda, quia revelata non sunt.

---

[1]) Matth. 28, 19. 20.

[2]) *Symbolum* etymologice rerum complurium collectionem, usu militari signum seu tesseram, qua milites veri ab aliis distinguantur, usu christiano brevem summam credendorum significat. Symbolorum praecipua sunt haec tria: *a.* Symbolum *apostolicum,* quod fideles in precibus quotidianis et clerici in officio divino recitant. *b.* Symbolum *nicaeno-constantinopolitanum,* quod a primo generali concilio nicaeno inchoatum et a concilio constantinopolitano I. auctum fuit. Hoc nonnullis explicationibus additis illud est, quod in missa recitat ecclesia latina. *c.* Symbolum *athanasianum,* quod ecclesia recitari iubet in officio de dominica ad primam; illud tamen s. Athanasii esse ab eruditis vulgo negatur. A symbolis distinguendae sunt *fidei professiones,* quarum celebrior est *tridentina,* quam Pius IV. concinnavit et in determinatis quibusdam adiunctis cum iuramento emittendam decrevit.

c. Oratio dominica, quae continet omnio, quae a Deo speranda et petenda sunt.

d. Sacramenta omnibus necessaria: baptismus, poenitentia et eucharistia; alia autem sacramenta scire debet, qui ea suscepturus est.

Praeter haec quatuor non sunt alia, quae omnes fideles scire et credere debeant, nisi modus eliciendi *actus fidei, spei, caritatis et contritionis,* etsi certa formula eos eliciendi memoria non teneatur; ratione autem status et condicionis (e. g. sacerdotis, parochi) fieri potest, ut quis complura alia explicite et distincte scire et credere debeat.

2. Generatim necesse non est, ut fideles hasce veritates *verbotenus* vel eo ordine, quo proponuntur, *memoria* teneant; nec requiritur, ut *claram et distinctam* singularum cognitionem habeant, sed sufficit, ut eas quoad substantiam i. e. quoad communem et simplicem verborum significationem cognoscant.

Plerique tamen auctores censent eos, qui symbolum fidei, orationem dominicam (et salutationem angelicam) verbotenus non discunt, committere *peccatum veniale,* nisi hebetudo mentis eos excuset, praesertim cum valde timendum sit, ne ogligationem orandi penitus negligant, nisi saltem orationem dominicam (et salutationem angelicam) didicerint.

a. Sub gravi ergo necesse est, ut fideles quoad *symbolum* interrogati de singulis, quae in eo continentur, recte respondeant; quoad *decalogum et praecepta ecclesiae,* ut interrogati sciant ea a Deo vel ab ecclesia praecipi aut prohiberi; quoad *orationem dominicam,* ut sciant Deum esse orandum ab eoque petenda esse omnia bona animae et corporis; quoad *sacramenta,* ut cognoscant ea, quae necessario requiruntur, ut cum fructu suscipi possint.

b. Ex his pro praxi consequitur: α. peccare (graviter vel leviter pro gravitate materiae) non solum eos, qui haec addiscere negligunt, sed etiam pastores, qui suos subditos, et parentes, qui filios nec per se nec per alios instruunt in iis, quae ad salutem necessaria sunt.

β. In confessione interrogandi sunt de iis, quae scitu necessaria sunt, poenitentes, qui probabiliter praesumuntur hac cognitione carere. Et quandoquidem nostro tempore in rebus ad religionem pertinentibus frequenter valde rudes sunt, qui in rebus profanis satis exculti apparent, hi autem eiusmodi interrogationibus facile offenduntur: praestabit.

de veritatibus necessariis eos ita docere, ut cum ipsis circa eas actus fidei eliciantur.

γ. Qui scitu necessaria, necessitate praecepti, ignorant, absolvi non possunt, nisi prius promiserint se ea discere velle; et ubi ignorantia est graviter culpabilis, nisi prius doleant de hocce peccato, illud accusent et propositum concipiant ea postmodum addiscendi.

δ. Patet praecepto isto non teneri eos, qui ob mentis angustiam inhabiles sunt ad haec addiscenda; et si essent homines adeo rudes, ut nec mysteria ss. trinitatis et incarnationis concipere et explicite credere possent, de eorum salute non esset desperandum: etsi enim fides horum mysteriorum adultis necessitate medii necessaria dicatur, eiusmodi rudes quoad hoc non sunt accensendi adultis, sed infantibus, qui circa haec mysteria fidem elicere non possunt.

ε. Perfectiorem fidei cognitionem sibi comparare tenentur ii, qui in adiunctis vivunt, in quibus sine maiore religionis notitia in magno periculo sunt amittendae fidei, ut iis accidit, quibus cum incredulis et socialistis frequentius conversari necesse est.

Articulus tertius.

De praecepto fidei internae.

13. Praemittenda de ipsis praeceptis fidei. 1. Praeceptum fidei est tum de actu *interno* tum de actu *externo;* utrumque duplex est: *negativum* non negandi neve interius neve exterius fidem, et *affirmativum* eliciendi interius actum fidei et confitendi exterius fidem. Hoc praeceptum fidei externae tum *divinum* tum *ecclesiasticum* est.

2. Obligatio eliciendi actum fidei quandoque exsistit *per se* seu ratione ipsius fidei, quandoque exsistit *per accidens* seu ratione alius praecepti, quod sine actu fidei adimpleri nequit e. g. s. communionem sumendi. Qui priorem obligationem laedit, committit peccatum contra fidem; qui posteriorem laedit, solum contra illam virtutem peccat, quae sine actu fidei exerceri non potest.

3. Ut fideles praecepto fidei satisfaciant, necesse non est, ut actus fidei sit formalis, sed sufficit *virtualis,* qualem pii fideles saepissime eliciunt, modo mysteria fidei ipsis proposita sint ut a Deo revelata, e. g. dum recitant symbolum apostolicum, formant signum crucis, orant, missam

audiunt, sacramenta frequentant: haec enim omnia actum fidei supponunt vel includunt.

14. Num exsistat et quando obliget. 1. Exsistit praeceptum divinum graviter obligans eliciendi actus fidei. In sacris litteris saepius hoc praeceptum iniungitur: *Qui non crediderit, condemnabitur*[1]*; qui non credit, iam iudicatus est*[2]*; et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius, Iesu Christi*[3]. Patet autem hoc praeceptum *grave* esse: condemnatio enim est poena peccati mortalis[4]).

2. Cum praeceptum affirmativum non obliget semper, sed solum certis temporibus, iam quaeritur, *quoties et quando actus fidei internus eliciendus sit.* Praeceptum affirmativum, quod simul tempus, quo ipsum obliget, non determinat, tum obligare censetur, quando necessarium esse intelligitur; atqui quinque sunt tempora, quibus praeceptum eliciendi actum fidei *urget per se:*

a. Quando homini revelatio divina sufficienter proposita est.

α. Cum primum divina revelatio sufficienter proposita est, actus fidei necessarius est: nam reverentia erga infallibilem auctoritatem Dei postulat, ut homo statim credat, ubi aliquid tamquam a Deo revelatum et credendum ipsi proponitur, alias auctoritas Dei contemni censeretur. Sicut enim regi nobis comparenti statim reverentiam exhibere, ita Deo nobis loquenti statim credere debemus. Insuper quando homo adeptus est usum rationis, vitae spiritualis initium ponere i. e. ad Deum finem ultimum supernaturalem vitae suae tendere per observationem mandatorum tenetur; atqui id sine actu fidei saltem virtualiter elicito fieri nequit.

β. Veritates fidei iis censentur *sufficienter propositae,* qui earum revelationem a Deo factam et obligationem credendi certo cognoscunt. Ergo christifidelium pueri tenentur elicere actum fidei, statim atque usum rationis perfecte assecuti et in fide ita instructi sunt, ut mysteria fidei tamquam a Deo revelata apprehendant; infideles autem et haeretici ad id tenentur (cum ingressu in ecclesiam catholicam), cum

[1]) Marc. 16, 16.

[2]) Ioan. 3, 18.

[3]) I. Ioan. 3, 23.

[4]) Damnata est haec propositio (16) ab *Innocentio XI.: fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.*

primum veritates fidei eis ita propositae sunt, ut eas tamquam a Deo revelatas et obligationem illas credendi *certo* cognoscant[1]).

γ. Sicubi potestas politica conversionem ad veram fidem ante certum aetatis annum (16. vel 18.) prohibeat, lex impia est, nec licet ei, cui de veritate religionis catholicae persuasum est, propter legem civilem professionem fidei diutius differre. Pastores animarum tenentur eos, qui in sinum ecclesiae cooptari petunt, non obstante quocunque malo temporali proprio vel alieno ad professionem fidei admittere. Ad evitanda autem mala, quae tum parocho tum convertendo ex lege civili imminent, permitti potest, ut mutuo consensu conversio usque ad aetatem legitimam differatur, vel ut peracta conversio usque ad illam aetatem occultetur, si haec iam proxime instet.

b. Saepius in vita, quia fides admodum necessaria est ad conservandam vitam spiritualem. Praeter *initium vitae spiritualis* non potest quidem assignari aliud tempus determinatum, quo praeceptum divinum eliciendi actum fidei obliget; attamen negari non potest ipsum *aliquoties* obligare. Quare enixe quidem hortandi sunt fideles, ut actus fidei frequenter eliciant; at de peccato propter omissum actum fidei non facile arguendi sunt.

Nonnulli auctores affirmant tempore determinato fidem eliciendam esse, et alii quidem saltem semel in anno, alii vero semel in mense, alii singulis dominicis et festis[2]). Ad hanc suam sententiam confirmandam provocant ad duas propositiones ab *Innocentio XI.* damnatas, quarum altera (17) haec est: *Satis est actum fidei semel in vita elicere;* altera vero (65) ita habet: *Sufficit illa mysteria (ss. trinitatis et incarnationis) semel credidisse.* Addunt tamen auctores, qui haec praecepta statuunt, iis satisfieri per usum fidei, eo scilicet, quod fides per observationem aliorum praeceptorum exerceatur.

Verum ex propositionibus damnatis id solum habemus, exsistere praeceptum pluries quam semel (saepius) in vita eliciendi actum fidei;

---

[1]) Infidelis vel haereticus non tenetur quidem credere, quamdiu veritatem fidei christianae *certo* non cognoscit, tenetur autem in veram fidem inquirere: ubi enim agitur de salute aeterna, non licet prius quiescere, quam cum certa via illam obtinendi inventa sit. Ideo damnata est haec propositio (4) ab *Innocentio XI.: Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili;* i. e. quamdiu infideli sua secta apparet probabilis (etsi minus quam religio christiana), non tenetur quidem credere, sed neque potest licite in sua secta tranquillus manere, cum ulterius inquirere teneatur, donec ad certam veritatis cognitionem pervenerit.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* l. 2. n. 7.

quoties autem et quando eliciendus sit, prorsus indeterminatum est; praeceptum autem indeterminatum determinato tempore urgere non potest. Ceterum raro fideles contra hoc praeceptum formaliter peccabunt: qui enim christiane vivunt, abunde illi satisfaciunt per exercitium fidei; alii autem ad obligationem credendi non advertunt. Ideo necessarium non est, ut confessarius poenitentes de actu fidei interdum elicito interroget, sive in exercenda religione diligentes sive negligentes fuerant.

c. Post lapsum in haeresim vel post negationem fidei: qui enim fidem amisit, per fidem Deo iterum adhaerere debet.

d. Quando urget *tentatio contra fidem,* quae solum per actum fidei superanda speratur.

Si urget tentatio contra fidem, ex ipsa virtute fidei ad hanc conservandam contra tentationem pugnare tenemur; quoties ergo actus fidei unicum medium est superandae tentationis, eum ex praecepto fidei elicere tenemur. Attamen extra articulum mortis raro eveniet, ut tentatio contra fidem solum per actum fidei superari possit, eo vel magis, quod tentationes contra fidem plerumque efficacius vincantur, si contra illas non directe luctemur, sed mentem ad alia obiecta convertamus.

e. Quando nova definitio vel novus articulus fidei proponitur: Deo enim loquenti credendum est. Hinc si novum aliquod dogma proponitur, non sufficit illud suspendendo assensum non negare, sed interno assensu credendum est.

Sunt, qui cum *s. Alphonso* (n. 7) dicant praeceptum eliciendi actum fidei insuper urgere *per se in articulo mortis,* quia tunc maxime teneamur tendere in Deum finem ultimum; insuper si tunc obliget praeceptum communionis, obligare etiam praeceptum fidei. Verum non potest certo probari fidem eo tempore necessariam esse, nisi urgeat vehemens tentatio contra fidem. Et sane, qui in morte obligatus dicitur ad eliciendam fidem, vel est in statu gratiae vel in statu peccati: si primum, non apparet fidei necessitas, nisi tentatio contra fidem alias superari non possit; si alterum, fides quidem necessaria est, sed non per se ex virtute fidei, sed per accidens ex obligatione se reconciliandi cum Deo, quod sine fide virtualiter saltem elicita fieri nequit. Et quod s. communionem attinet, exsistit quidem praeceptum sumendi in morte s. eucharistiam propter peculiarem huius sacramenti in ultima lucta necessitatem, at praeceptum eliciendi in morte actum fidei afferri non potest.

15. Quando obliget per accidens. *Per accidens* urget obligatio eliciendi actum fidei: *a.* quando adimplendae sunt

aliae obligationes, quae fidem requirunt; sic non possunt fideles audire sacrum nec sacramenta suscipere etc., non supposito actu fidei, qui virtualiter eliciatur; *b.* quando urget gravis tentatio contra aliam virtutem, quae tentatio sine actu fidei superari non potest: quivis enim tenetur usurpare medium necessarium ad peccatum vitandum.

Articulus quartus.

De praecepto fidei externae.

16. Num exsistat et quando obliget praeceptum divinum. 1. Exsistit gravis obligatio *fidem externe confitendi* etiam cum vitae periculo, quod constat ex s. scriptura: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in coelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in coelis est*[1]). *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris, salvus eris: corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*[2]).

Cum etiam hoc praeceptum sit affirmativum, quaeritur, *quando urgeat obligatio exterius confitendi fidem.* Quaeritur autem de *formali* confessione fidei, quae fit ea intentione, ut fides interna exterius manifestetur, non de *materiali,* quae fit per observationem praecepti, quod fidei manifestationem continet.

2. Praeceptum divinum *formaliter* confitendi fidem obligat:

a. Quando *honor Dei* aut *Christi* externam confessionem exigit, ubi nempe ex omissione confessionis magnum honoris divini detrimentum sequitur, ex confessione vero Deo aut Christo magnus honor accrescit, id quod potissimum accidit: α. si quis *a publica auctoritate* in causa fidei de sua fide interrogatur; β. si doctrina fidei irridetur vel si res sacrae violantur.

---

[1]) Matth. 10, 32. 33.

[2]) Rom. 10, 9 ss. Cf. 2. Tim. 2, 12.

α. Si quis *a publica auctoritate* in causa fidei de sua fide interrogetur, num scilicet catholicus sit, vel quid de aliqua veritate fidei sentiat, sive publice id fit sive privatim, tenetur sine ambiguitate fidem suam confiteri etiam cum vitae periculo[1]), quia omissio professionis apud infideles valde minueret existimationem de Deo et de vera religione, econtra per publicam confessionem vera fides confirmatur et propagatur. Si quis autem *privatus infidelis* vel *haereticus* aliquem de sua fide interrogat, per se non tenetur eam fateri, sed tacere vel alio modo quaestionem eludere potest.

β. Si te praesente doctrina fidei vel ecclesiae irrisioni vel blasphemiis exponatur, non solum fidem profiteri, sed eam, si te ad id sufficientem iudicas, etiam defendere teneris; et si te praesente ss. eucharistia vel sacrae imagines vel reliquiae violentur, teneris te catholicum manifestare et iniurias cohibere, nisi praevideas conatus tuos nihil profuturos[2]).

b. Quando *utilitas proximi* externam confessionem exigit, ubi nempe ex omissione confessionis fideles a fide deficerent, infideles in suo errore confirmarentur; econtra ex confessione infideles converterentur, fideles in vera fide confirmarentur.

Num adultus, qui baptismum suscipit vel ad ecclesiam redit, fidem publice profiteri debeat. — Omnis christianus ex voluntate Christi ecclesiae visibiliter adhaerere debet; visibiliter autem ecclesiae adhaeret per professionem fidei. Haec obligatio exterius manifestandi fidem *per decursum vitae* perdurat, eo ipso autem impletur, quod praecepta observantur, quae externam professionem fidei continent ut auditio sacri, susceptio sacramentorum etc.

α. Hinc extra casum necessitatis non licet adultum baptizare vel ad conversionem admittere secreto (solo sacerdote sciente), sed id fieri debet publice coram aliis (saltem duobus testibus). Ideo praescribit ecclesia, ut abiuratio haeresis, quae a neoconversis exigitur, coram duobus testibus fiat et facta conversio in libros parochiales inseratur, tum ut satisfiat obligationi profitendi fidem, tum ut conversus subsit iurisdictioni ecclesiae in foro externo.

β. Receptum baptismum vel peractam conversionem ad tempus quidem ex gravi ratione occultare licet, quin divulgetur, modo neocon-

[1]) Propositio 18. ab *Innocentio XI.* damnata: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

[2]) *Sporer-Bierbaum* I. tract. 2. n. 43.

versus nihil agat, quo falsam sectam profiteatur; sic teste historia in aula imperatorum romanorum occulti christiani degebant; a praeceptis autem positivis sive Dei sive ecclesiae ob grave incommodum interim excusatur. Diu tamen occultatio illicita est, tum quia urget obligatio profitendi fidem, tum quia in praxi fieri nequit, quin mox adiuncta occurrant, in quibus conversus fidem negare et sectam exterius profiteri debeat. Ideo statutum est non posse admitti ad baptismum mahumedanum, qui propter vitae periculum vult christianus occultus esse et manere, sed illum debere se transferre ad loca, ubi possit publice christianam religionem profiteri[1]).

γ. In casu necessitatis, ubi nempe moribundus ex gravi causa publicam conversionem ad fidem detrectat, a quovis sacerdote prorsus occulte in ecclesiam recipi potest, ut eius saluti consulatur, nisi ratio scandali praecavendi vel salutis proximi promovendae aliud exigat ut in homine magnae dignitatis et auctoritatis. Sed etiam in hoc casu conversio fieri potest coram duobus testibus tantum, qui rem, si opus fuerit, postea divulgare possunt[2]).

17. Lege ecclesiastica quibusdam personis tum ecclesiasticis tum laicis in certis adiunctis praecipitur *professio fidei*. Causa huius praecepti censetur esse gravis, ne scilicet regimen spirituale vel temporale et munus docendi alios homini infideli vel haeretico committatur. In multis tamen regionibus hoc praeceptum saltem ex parte per desuetudinem abolitum est[3]).

Articulus quintus.

De negatione fidei.

18. Praenotiones. *a.* Praeceptum fidei *negativum* prohibet, ne fides sive interne sive externe negetur; hoc ergo praeceptum utpote negativum obligat semper et pro semper.

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 28. maii 1635.

[2]) Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 182 ss.

[3]) Quinam professionem fidei iuxta formam a Pio IV. praescriptam cum additione a Pio IX. facta emittere debeant, cf. apud *Lehmkuhl* I. n. 296; *Aichner,* Compendium iuris eccles. (Brixinae. Weger. 1900) § 150. 3.

b. Aliud est fidem *negare*, aliud fidem *dissimulare;* ille fidem dissimulat, qui utitur verbis vel signis, quae fidem nec manifestant nec negant, sed in dubio relinquunt, ideoque apta sunt ad fidem *occultandam.*

c. Aliud est fidem *negare,* aliud fidem *erubescere;* ille fidem erubescit, qui prae verecundia vel metu fidem non profitetur, quando praeceptum id exigit.

d. Directe fidem negat, qui scienter et voluntarie veram fidem negat aut falsam profitetur; *indirecte* fidem negat, qui absque intentione negandi fidem actionem ponit, quam alii pro negatione fidei habent aut habere possunt, ut si quis assistit ritibus haereticorum.

19. Numquam licet directe fidem negare, sive id serio sive ficte et externe tantum fit.

Ratio *primi* est, quia negatio fidei gravissima iniuria est Deo illata: qui enim fidem negat, aut iudicat divinam revelationem non esse veram, aut saltem divinam maiestatem erubescit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in coelis est*[1]). *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua*[2]). Quare ecclesia negationem fidei etiam tempore persecutionum semper gravissimum peccatum habuit.

Ratio *secundi* est, quia ficta fidei negatio est mendacium Deo iniuriosum et proximo propter scandalum nocivum, quare ecclesia etiam externam tantum fidei negationem grave peccatum habuit. Etsi ergo is, qui exterius tantum fidem negat, non sit haereticus nec habitum fidei amittat, quia interne fidem retinet, peccat tamen contra praeceptum negativum fidei.

20. Quot modis fides negetur. Fides negari potest aut *verbis* aut *factis* aut *signis* aut *silentio.* 1. *Verbis* fidem negat, qui serio vel ficte utitur verbis, quae vel ex se vel prout ab audientibus recte percipiuntur, fidem universim vel aliquem fidei articulum negant.

a. Qui interrogatus negat se esse catholicum, infallibilistam etc.; item qui affirmat se esse turcam, francomurarium etc.; pari modo qui

---

[1]) Matth. 10, 33.

[2]) Luc. 9, 26.

profitetur se esse lutheranum, vetero-catholicum, veram fidem explicite negat.

b. Si sacerdos vel religiosus transiens per terras principis infidelis vel haeretici ab hoc interrogaretur de suo statu (num sit sacerdos), posset per se ex gravi causa eludere interrogationem verbis ambiguis, quia non est interrogatio de fide, sed de statu suo; et si statum suum negaret, non contra fidem, sed contra veritatem per mendacium (venialiter) peccaret.

2. *Factis* fidem negat, qui serio vel ficte exercet actionem, quae vel ex natura sua vel ex adiunctis necessario professionem falsae religionis significat.

a. Qui sacrificat idolo, coram idolo genua flectit, coenae haereticorum communicat, haereticorum sacra ordinarie frequentat, cum eis orat vel cantat, fidem negat, quia factis profitetur falsam religionem; et qui ficte id agit, facto committit mendacium Deo iniuriosum et hominibus nocivum. Ideo s. sedes declaravit non licere sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigatur ad crucem sub veste latentem[1]).

b. Ad quaestionem propositam, num liceat fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis vel schismaticis, responsum fuit: etsi genuflectendum sit, curandum tamen est (ne eiusmodi cultum praestando miscere se videantur catholici cum schismaticis), ut declinent occasiones occursus schismaticorum, dum sacramentum deferunt[2]).

c. Licet ss. sacramentum visitare, quod in ecclesiis schismaticorum asservatur, et coram imaginibus sanctorum, quae in iis reperiuntur, orare. dummodo catholici in precibus cum schismaticis non associentur[3]).

3. *Signis* fidem negat, qui utitur vestibus vel signis, quae vel ex natura sua vel ex usu et consuetudine solum indicant haeresim vel infidelitatem.

Insignia francomurariorum deferre vel nutus et manuum vel digitorum compressionem adhibere, quibus francomurarii se invicem agnoscunt, illicitum est, quia continet professionem falsae sectae et negationem verae fidei. Attamen hoc restringendum est ad casum, quo catholicus haec signa adhibet: usus enim horum signorum, quibus ipsi francomurarii, qui habitualiter fidem negant, inter se utuntur ad se invicem agnoscendos, non videtur singulis vicibus esse nova negatio fidei.

4. *Silentio* fidem negat, qui in illis adiunctis tacet, in quibus silentium merito habetur pro fidei negatione.

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 12. sept. 1645.

[2]) Responsa *Pii VI.* 18. maii 1793 ad 11. Cf. Bullarii rom. continuatio (ed. *Barbèri*, Romae) IX. p. 314.

[3]) *S. C. de prop. fide* 15. dec. 1764.

Qui tacet, quando alius pro eo respondet ipsum non esse catholicum, item qui tacet, quando pluribus de fide interrogatis aliqui negant quemquam ex ipsis esse catholicum, fidem negavit, quia silentium in hoc casu est negationis consensus.

Qui alios contra fidem loquentes vel catholicam religionem irridentes atque calumniantes audit, per se contradicere eosque monere tenetur, ne eis consentire videatur; si tamen aut peiores calumnias aut sibi gravia incommoda timet, tacendo non peccat. Sacerdos autem in tali casu, praesertim inter catholicos, vix unquam tacere poterit: nam eius taciturnitas scandalum esset et erroris confirmatio[1]); insuper facilius admonitionis fructus sperari potest.

21. Licet fidem occultare vel dissimulare, quando non obligat praeceptum confitendi fidem, immo si ex fidei professione nihil boni, sed potius detrimentum honoris Dei vel salutis proximorum sequitur, fidem occultare praeceptum esse potest. Fidem autem dissimulare vel occultare aliquis potest aut silentio aut verbis ambiguis aut factis, signis et vestibus etc.

a. Licet catholico vel sacerdoti in terris haereticorum exsistenti diebus prohibitis carnes comedere, ne agnitus ut catholicus grave periculum vel vitae vel bonorum subeat: etenim haec actio ex se non significat negationem fidei; praeterea nulla in his adiunctis adest necessitas confitendi fidem, praeceptum ecclesiae autem cum gravi incommodo non obligat. Ad evitandas vero irrisiones idem non liceret, quia leve incommodum a praeceptis ecclesiae non excusat.

b. Qui sive in contemptum fidei vel praecepti ecclesiastici, sive in protestationem inoboedientiae erga ecclesiam vel summum pontificem sive in professionem falsae sectae provocatus ad comedendas carnes id facit, fidem negat, quia in his adiunctis, in quibus urget obligatio profitendi fidem, esus carnis non est actio indifferens, sed virtualis negatio fidei.

Num liceat uti verbis ambiguis ad occultandam fidem. Quando obligat praeceptum profitendi fidem, certe non licet; quando autem hoc praeceptum non urget, non solum tacere vel declinare responsum *(tua hoc non interest)*, sed etiam uti verbis ambiguis licet, nisi verba ab audientibus intelligi debeant pro negatione verae fidei[2]).

22. *Num ad occultandam fidem licitum sit uti vestibus vel aliis signis infidelium.* — In genere dicendum est, si

[1]) *E. Müller*, Theologia moralis[7] (Vindobonae. Meyer. 1894) II. § 10. n. 6.

[2]) Cf. *Lacroix* l. 2. n. 61.

vestimentum vel signum eiusmodi est, ut is, qui illud assumit, iudicari *debeat* falsam religionem profiteri, non licet; si autem iudicari *potest* ipsum ad alium finem illud assumpsisse, ex iusta causa licet: sine causa enim non licet deceptionem aliorum permittere. Causa vero eo gravior esse debet, quo magis signum aptum est, quod falsum iudicium ingerat.

a. Quaedam vestimenta vel signa sunt potius *distinctiva nationis* quam religionis, ut pileus turcarum; iam vero his vestibus aut signis ex gravi causa uti licet ad occultandam religionem.

b. Alia vestimenta et signa sunt *distinctiva religionis;* quare ex usu communi solum ab infidelibus vel membris determinatae sectae adhibentur ad distinguendos homines unius sectae ab hominibus alterius ut sagum praedicantium vel toga bonziorum vel flavus pileus, quo utebantur iudaei Romae; porro ex gravissima causa etiam his vestibus aut signis uti licet ad fidem occultandam.

Quia ex usu et institutione hominum haec non sunt signa, quae immediate manifestant fidem, quam secta profitetur, ideo qui iis utitur, non necessario debet censeri infidelis aut haereticus: primarius enim eorum usus est ad corpus tegendum vel ornandum, et secundarius ad sectam distinguendam.

c. Alia tandem vestimenta et signa non solum sunt distinctiva sectae, sed ex institutione vel consuetudine immediate sunt *manifestativa et protestativa haeresis vel infidelitatis* ut vestimenta sacerdotalia, quibus idololatrae vel haeretici in exercitio functionum suarum e. g. in sacrificiis utuntur, vel signum, quo turcae se profitentur asseclas Mahometis. His vestimentis aut signis uti non licet, quia eorum usus est professio falsae fidei, nisi ex circumstantiis manifesto appareat ea non ad falsam sectam profitendam, sed ex alia prorsus causa adhiberi, ut si quis in publicis spectaculis iis utatur.

Simili modo iudicandum est de signis francomurariorum aliarumque sectarum acatholicarum, quae ex sua institutione et usu aliud non significant nisi professionem falsae sectae[1]).

[1]) Cf. *Lugo*, De virtute fidei div. disp. 14. n. 87.

23. *Num urgente persecutione fidei licitum sit fugere.* Per se seu ratione fugae semper licitum est fugere: qui enim fugit, non negat nec dissimulat fidem nec simulat falsam fidem, sed timens persecutionem utitur iure suo ad conservandam fidem. Per accidens tamen non licet omnibus fugere; qua de re haec regula statuitur:

a. Illi, quorum praesentia ad salutem fidelium necessaria est, ut sunt pastores animarum, episcopi et parochi, non possunt licite fugere.

b. Illi, quorum praesentia est quidem utilis sed non necessaria, manere vel etiam licite fugere possunt.

c. Illi, quorum conservatio bono publico necessaria est, vel quibus proximum periculum imminet negandi fidem, tenentur fugere.

24. Ex iusta causa licet indirecte negare fidem, modo actio, quae ponitur, sit indifferens et intentio eam actionem ponendi sit honesta.

Etsi fidem negare *per se* ne indirecte quidem liceat, sub certis condicionibus tamen id licitum dici debet; sic licet catholico ex iusta causa assistere functionibus religiosis haereticorum. Etenim si actio, quae ponitur, eiusmodi est, ut in his adiunctis neque ex se neque ex institutione humana iudicari debeat professio falsae et negatio verae fidei, ab hominibus autem ut talis iudicari soleat, actio in se indifferens eatenus illicita est, quatenus ex ea sequitur deceptio et scandalum aliorum; sed exsistente iusta causa licet malum hunc effectum permittere, nisi opportuna monitione prorsus impediri possit.

Quaestio tertia.

De peccatis contra fidem.

25. Quae sint peccata contra fidem. Contra fidem peccari potest *omissione,* scilicet omittendo *a.* debitam diligentiam in addiscendis veritatibus fidei scitu necessariis;

b. actum fidei praeceptum; *c.* professionem fidei sive a Deo sive ab ecclesia praescriptam, et *commissione* ponendo actionem per praeceptum fidei prohibitam. Peccatum commissionis committi potest per excessum et per defectum. Per *excessum* peccatur *credulitate*, qua sine sufficienti ratione temere creditur tamquam a Deo revelatum, quod revelatum non est, ut si quis leviter privatas revelationes credit; hoc tamen peccatum veniale non excedit. Per *defectum* peccatur *negatione externa* vel *interna* fidei, quae fit infidelitate, apostasia, haeresi, dubio de fide et communicatione in sacris cum infidelibus et haereticis.

Articulus primus.

De infidelitate.

26. Definitio. 1. *Infidelitas proprie dicta* est carentia fidei in homine non baptizato: infidelis enim proprie is dicitur, qui non accepit habitum infusum fidei. *Infidelitas improprie dicta* est quilibet defectus fidei internae, quo sensu infidelitas comprehendit etiam haeresim et apostasiam a fide.

2. *Infidelitas* proprie dicta alia est *negativa*, quae est carentia fidei in eo, qui nihil unquam de fide audivit: alia est *privativa,* quae est carentia fidei in eo, qui sibi cognitionem fidei data occasione comparare negligit; alia est *positiva,* quae est carentia fidei in eo, cui veritates fidei sufficienter propositae sunt.

27. Malitia moralis. 1. Infidelitas *negativa* peccatum non est, quia voluntaria non est; ideo damnata est propositio baiana 68[1]).

2. Infidelitas *privativa* est grave peccatum omissionis, quo negligitur medium ad salutem necessarium. Simile peccatum committit, qui inquisitionem veritatis post rationabile dubium de veritate propriae religionis negligit.

[1]) *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

3. Infidelitas *positiva* est grave peccatum commissionis, qua reiicitur medium ad salutem necessarium; insuper continet formalem contemptum Dei revelantis.

Species infidelitatis sunt: *paganismus, iudaismus, muhametismus, deismus, atheismus, pantheismus:* desumuntur ex diversis erroribus, quibus infideles adhaerent, qui tamen errores ad theologiam moralem non pertinent.

Articulus secundus.

De apostasia a fide et de haeresi.

28. Apostasia a fide est totalis defectio a fide in eo, qui veram fidem per baptismum susceperat; ideo qui ab infantia haeresim professi sunt, fide prorsus abiecta, non sunt apostatae, sed illi tantum, qui semel veram fidem amplexi sunt[1]).

Ut aliquis sit *apostata* a fide, non requiritur, ut falsae alicui sectae adhaereat, sed sufficit, ut post susceptum baptismum in ecclesia catholica penitus a fide deficiat; quare rationalistae, naturalistae, liberi cogitatores etc., qui penitus a fide recesserunt idque exterius manifestant, censentur esse apostatae.

29. Haeresis definitur: hominis christiani error voluntarius et pertinax contra veritatem fidei.

a. Dicitur: α. *Hominis christiani,* qui scilicet per baptismum fidem christianam susceperat eamque retinet: si enim totam eamque veram reiicit, fit apostata. β. *Error voluntarius:* haeresis natura sua postulat assensum positivum contrarium veritati fidei; qui ergo exterius tantum sermone vel opere veritatem fidei negat, interna fide retenta, non est haereticus. γ. *Pertinax:* ad haeresim formalem requiritur pertinacia voluntatis contra auctoritatem ecclesiae, quae veritates revelatas ad credendum proponit; pertinax autem est, qui sciens adversatur auctoritati ecclesiae, sive id ex vana gloria, sive ex cupiditate

[1]) Ab apostasia a fide triplex alia distinguitur: *apostasia a religione,* quae est discessio ab ordine religioso sine animo redeundi. Religiosus, qui ad tempus tantum propria auctoritate in saeculo vagatur cum animo redeundi, *fugitivus* dicitur. *Apostasia ab ordine sacro,* quae est defectio ab ordine sacro cum animo vivendi in statu laicali. *Apostasia ab oboedientia,* quae est totalis defectio ab oboedientia summi pontificis et ecclesiae; talis apostasia est *schisma.*

contradicendi, sive ex levitate, sive ex quacunque alia causa fit. Ergo ut quis sit pertinax, non requiritur, ut mordicus et certa temporis mora sententiam suam tueatur, sed sufficit, ut sciat hanc esse contrariam definitioni ecclesiae. δ. *Contra veritatem fidei:* quae nempe ab ecclesia ad credendum proposita est; quocirca stricte loquendo haeretici non sunt, qui negant conclusionem theologicam, quae in se non est a Deo revelata; neque illi, qui affirmant propositionem ab ecclesia vel a s. pontifice damnatam, sed non ut haereticam. Ubi notandum est ecclesiam credenda proponere omnia, quae in sacra scriptura ut revelata continentur; quare haereticus est, qui negat veritatem revelatam *manifeste* in sacra scriptura contentam.

b. Quamdiu aliquis retinet voluntatem se submittendi auctoritati ecclesiae, etsi erret in fide vel teneat sententiam fidei contrariam, non est haereticus, quia non est *pertinax,* sed agnoscit infallibilem auctoritatem ecclesiae. Ex his colligitur, quatenus haeretici sint, qui falsae sectae adhaereant. Scilicet puer in haeresi natus sed valide baptizatus ad veram ecclesiam Christi pertinet, quae sola habet verum baptismum. Quando corde amplectitur fidem suae sectae et frequentare incipit eius ritus religiosos, fit *haereticus materialis* et manet talis, quamdiu de veritate suae religionis aut non dubitat, aut dubitat quidem, sed investigationem veritatis solum omittit ex negligentia et incuria vel ex timore humano, ne inventam veritatem, quam amplecti non auderet, credere debeat. *Haereticus formalis* fit, quando de veritate suae religionis serio dubitans investigationem veritatis ideo negligit, quia religionem catholicam, si forte vera esset, amplecti renuit, aut religionem catholicam, quam veram cognoscit, non amplectitur.

Ad discernendum haereticum formalem a materiali interrogandus est: α. num apprehenderit obligationem inquirendi veritatem; β. utrum indagaverit veritatem an investigationem neglexerit; γ. num paratus fuerit amplecti veritatem, cumprimum sufficienter proposita fuisset.

c. Qui scienter negat dogma, quod ab omnibus creditur, vel qui deliberate amplectitur sententiam, quam cognoscit esse contrariam definitioni ecclesiae, eo ipso contemnit eiusdem ecclesiae auctoritatem, etsi de ea explicite non cogitet: impossibile enim est ad eam saltem virtualiter non advertere.

30. Haeresis dividitur: *a.* In *materialem,* quae ex sola ignorantia procedit sine pertinacia voluntatis, et *formalem*, quae coniuncta est cum pertinacia voluntatis. Supra definitur haeresis formalis; haeresis materialis definienda est: *hominis christiani error voluntarius contra veritatem fidei.*

b. In *internam,* quae solum interius mente concipitur, et *externam,* quae etiam exterius manifestatur; manifestari autem potest verbis vel factis vel etiam omissione facti.

c. Externa altera est *publica,* si coram pluribus manifestatur, et altera *occulta,* si nemine praesente vel coram paucis tantum profertur, ita ut celari adhuc possit.

31. Malitia moralis et specifica. 1. *Haeresis formalis* et *apostasia* a fide sunt *peccata* ex toto genere suo *mortalia,* post Dei formale odium *gravissima,* graviora omnibus peccatis, quae contra virtutes morales committuntur: nam continent formalem contemptum sapientiae et veracitatis divinae.

2. *Haeresis materialis* culpa vacat, antequam ortum est rationabile dubium de veritate propriae sectae; postquam ortum est eiusmodi dubium, peccatum grave vel leve est pro gravitate negligentiae in veritate inquirenda.

3. *Haeresis et apostasia specifice non differunt,* quia tum apostasia tum haeresis auctoritati Dei loquentis moraliter eodem modo adversantur; quod ergo apostata plures, haereticus pauciores veritates neget, non est nisi circumstantia aggravans.

4. *Diversae haereses* sive interius mente conceptae sive exterius verbo prolatae ob eandem rationem specie non differunt, quia nimirum singulae eandem auctoritatem Dei loquentis eodem morali modo contemnunt.

32. *An peccet contra fidem, qui non reiicit propositionem ab ecclesia proscriptam.*

a. Qui non reiicit propositionem, quam ecclesia damnat ut haereticam, graviter peccat contra fidem divinam et est haereticus.

b. Qui non reiicit propositionem, quam ecclesia per concilium vel per romanum pontificem e cathedra loquentem damnat, sed non ut haereticam, graviter peccat contra fidem ecclesiasticam, non autem (saltem non immediate) contra fidem divinam, et ideo non est haereticus.

Propositio, quam ecclesia hoc modo proscribit, est quidem certo falsa, quia ecclesia in illis proscribendis certe infallibilis est. Qui ergo eiusmodi propositionem damnatam non reiicit, virtualiter negat ecclesiae infallibilitatem. Quia vero de fide non est, ecclesiam esse infallibilem in iis, quae non sunt revelata, ideo non peccat contra fidem divinam.

c. Qui non reiicit propositionem, quam ecclesia vel per aliquam congregationem vel per r. pontificem, sed non ex cathedra loquentem, damnat, graviter peccat contra fidem oboedientiae seu contra oboedientiam, quae debetur auctoritati ecclesiae docentis, at non peccat contra fidem.

Etsi eiusmodi decreta doctrinalia non sint absolute infallibilia, auctoritate tamen superant quamcunque auctoritatem hominis privati, quia s. pontifex a Christo Domino positus est regere ecclesiam supremo suo magisterio. Ideo non sufficit eis praebere assensum externum, nihil scilicet contra ipsa dicendo aut scribendo, sed omnes christiani interno assensu ea amplecti tenentur, quem ecclesia eo ipso a suis subditis exigit, quod auctoritate sua doctrinali errorem damnat et veritatem proponit. Id concilium vaticanum innuit his verbis: „Omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae opiniones ab hac sancta sede proscriptae et prohibitae sunt“[1]).

Nota. Ad veritates, quae fidem ecclesiasticam (alii putant oboedientiam) merentur, pertinet ea, qua credimus *ignem inferni esse realem*, non metaphoricum. Quae veritas ideo explicite notanda est, quia non ita pridem s. sedes edixit poenitentes, qui realitatem ignis inferni non admittunt, diligenter instruendos et pertinaces non absolvendos esse[2]), quin tamen prohibeatur usus regulae de non monendo poenitente, qui in bona fide errat, ubi nullus sperari potest fructus et pariter nullum timetur scandalum aut commune detrimentum. — Assensus oboedientiae debetur etiam decretis beatificationis servorum Dei et decretis, quibus prohibentur libri quoad doctrinas, quae in eis reprobantur.

32*. De revelationibus privatis. *a.* Sunt revelationes privatae, de quibus auctoritas ecclesiastica nullum iudicium tulit; et sunt revelationes privatae, quae a sede apostolica approbatae sunt. Approbationes duplicis generis sunt: aliae revelationes solum approbantur ad effectum beatificationis et canonisationis servorum et servarum Dei. Approbatio in hoc casu mere nega-

[1]) Constitutio *De fide cathol.* c. 4.

[2]) *S. Poenitent.* 30. apr. 1890.

tiva est, significans nihil in eis contineri, quod sit contra fidem aut bonos mores, de illarum autem origine divina ecclesia nihil statuit. Eiusmodi sunt revelationes iis concessae, quibus postmodum coelitum honores sunt collati. Aliae revelationes positive approbantur, eo quod auctoritas ecclesiastica explicite vel implicite decernit, determinatae personae revelationem a Deo revera esse factam: eiusmodi est revelatio s. Francisco assisiensi, Iulianae leodiensi, Margaritae Alacoque, virgini lourdensi concessa.

b. Revelationes privatae a s. sede positive approbatae admitti debent assensu oboedientiae: quamvis enim auctoritate ecclesiastica firmentur, non sunt tamen infallibiliter certae, ideoque non merentur nisi fidem humanam, atque de iis dubitare quin eas etiam negare licet, dummodo sufficientes rationes affulgeant. De aliis revelationibus privatis, sive negative approbatae sunt sive non sunt, haec notentur: α. A personis, quibus a Deo conceduntur, credi possunt et debent fide divina, si eis de revelatione divina persuasum est, id quod etiam de priore genere valet; alii vero eas credere non possunt nisi fide humana, eas tamen credere non debent, tum quia ad ipsos non pertinent, tum quia vix unquam de eis certitudinem habere possunt, ne tum quidem, cum ab ecclesia approbantur: ecclesiae enim approbatio id solum declarat eas non adversari fidei et bonis moribus, et proinde ad fidelium aedificationem vulgari posse. β. Si ex regulis sanae criticae constat eas esse genuinas, non licet eas spernere, sed secundum regulas prudentiae admittendae sunt. Qui ergo sine sufficienti ratione eas negat, temere et imprudenter agit, tum quia etiam revelationes privatae saepe veritates exhibent profundissimas et utilissimas, tum quia possunt esse verbum Dei; graviter tamen non peccat.

Schisma definitur separatio ab unitate ecclesiae, quatenus haec est societas ex fidelibus tamquam membris et ex romano pontifice tamquam capite constans. *Schismatici* dicuntur, qui renuunt subesse romano pontifici et cum membris ecclesiae eidem subiectis communicare recusant.

Schisma proprie non est peccatum *contra fidem,* attamen practice sine peccato haeresis vix reperitur, quia schismatici unum alterumve fidei dogma e. g. primatum romani pontificis simul infitiantur. Schisma est peccatum speciale *contra caritatem,* quia separat ab unitate ecclesiae, quam facit caritas.

Articulus tertius.

De dubio in fide.

33. Quatenus peccatum sit. 1. De rebus fidei dubium non est impossibile, quia tum factum revelationis tum ipsum obiectum fidei caret evidentia, quae intellectum ad assensum cogat et possibilitatem dubii excludat.

Quare in homine fideli dubia de fide eiusque veritatibus, etiam contra voluntatem, oriri possunt; atque in hoc ipso meritum fidei consistit, quod eiusmodi dubitationes, quandoque vehementes, per voluntatem excludantur et fides in sua firmitate conservetur.

2. Fidelis catholicus nunquam fidem mutare aut de fide dubitare licite potest[1]).

Cum enim sciat fidem fundari in auctoritate divina, cui falsitas absolute repugnat, nunquam habere potest sufficientem causam mutandi vel in dubium revocandi suam fidem. Quare insurgentibus dubiis vel difficultatibus contra fidem persuadere sibi debet, non occurrere difficultatem, quae solvi non possit.

a. Ergo recte damnata est *universalis dubitatio Hermesii,* qui docuerat fideli catholico dandam esse licentiam voluntarie dubitandi de veritate religionis et remanendi in dubio, donec instituto examine de veritate religionis catholicae plenam persuasionem nactus sit. His tamen non prohibetur *dubium methodicum,* quod in eo consistit, quod fidelis catholicus, non suspenso, sed retento fidei assensu, ita agat atque in fundamenta fidei, praesertim in factum revelationis, inquirat, ac si de eo nondum constaret, ut instituto examine confirmetur in fide, quam videt esse rationabile obsequium.

b. Ergo quoad fidem dispar est condicio catholici et haeretici. Catholicus non potest de fide sua dubitare, quin a persuasione propria deficiat: scit enim fidem suam falsam esse non posse; haereticus autem de fide dubitare atque ulterius in veritatem inquirere potest, nec principiis suis atque ideo conscientiae suae ullo modo repugnat. Haereticus enim non agnoscit in sua secta fundamentum veritatis, infallibile econtra principium liberae inquisitionis (das Prinzip der freien Forschung) propugnat. Quam ob rem non solum ipsi dubitare licet, sed etiam nos eum ad dubitandum excitare possumus, quamvis eum in bona fide esse supponamus. — Quo magis catholicus cognoscere studet ecclesiam eiusque originem et propagationem, eo magis confirmatur in fide, econtra quo magis haereticus cognoscere studet sectam suam

[1]) Cf. *Concilium vatic.* De fide c. 3.

eiusque originem ac propagationem, eo clarius et certius intelligit eam esse magistram erroris.

3. Fidelis catholicus. *a.* Qui *positive* dubitat i. e. positivo assensu *iudicat* veritates ab ecclesia ad credendum propositas esse dubias atque incertas ob rationes contrarias, est haereticus formalis: fides enim a nobis exigit assensum certum; qui ergo iudicat veritates fidei esse incertas, aeque contra auctoritatem Dei et ecclesiae peccat, atque ille, qui veritates fidei omnino negat. Et hoc sensu recte dicitur: *dubius in fide infidelis est.*

b. Qui *negative* se habet seu assensum circa fidem vel aliquem fidei articulum *suspendit,* non est haereticus, quia non errat in fide nec ullam admittit pertinaciam; at contra fidem internam peccat.

c. Qui in tentatione contra fidem fluctuat inter assensum et dissensum, nec tamen deliberate assensum suspendit, non peccat nisi forte venialiter, eo quod negligenter et remisse tentationi resistit.

Orientibus dubiis contra fidem simul oritur lucta inter intellectum praebentem et voluntatem imperantem assensum sive fidei universim, sive determinatae fidei veritati. Ad evitandum peccatum necesse est, ut voluntas dubiis resistat, fidem servare velit firmumque assensum imperare pergat. Intellectus relate ad dubia dupliciter se habere potest: aut statim intelligit, vel directe ex consideratione dubiorum vel saltem indirecte ex auctoritate divina, dubia esse inania firmumque assensum retinet, aut dubium, cum eius inanitatem non videat illudque propterea removere non possit, ad tempus retinet. Iam vero indeliberata eiusmodi dubitatio non obest firmitati fidei, dummodo voluntas dubio resistat atque formidinem errandi suo imperio excludat seu dummodo retineatur voluntas se submittendi auctoritati ecclesiae.

4. *Indifferentismus,* qui ex dubitatione de rebus fidei oritur, moraliter malus atque illicitus est, quocunque modo accipitur.

Etenim *a.* si affirmat veram religionem cognosci non posse, adversatur argumentis, quibus christiana religio vera esse ostenditur; *b.* si docet omnes religiones aeque veras vel aeque falsas esse, insuper hunc errorem continet veritatem scilicet et falsitatem eodem loco habendas esse; *c.* si tandem dicit hominem non ex eo, quod credit, sed ex eo, quod agit, aestimandum atque iudicandum esse, adversatur

huic principio morali, hominem nempe absoluta obligatione teneri ad fidem habendam Deo loquenti.

Nota pro praxi. 1. Nunc temporis multi sunt, qui de veritate religionis serio dubitant aut errores veritatibus revelatis contrarios fovent et praedicant, sed nihilominus fideles catholicos se esse putant et officia christiana suo modo adimplent. De his iam quaeritur: *a.* utrum peccatum formalis haeresis committant, an in bona fide esse possint; *b.* num in sua bona fide ad sacramenta admitti possint.

Ad a. Ex defectu sufficientis instructionis fieri potest, ut non advertant eiusmodi dubia vel errores esse graviter peccaminosa, utpote contra infallibilem auctoritatem ecclesiae et proinde contra auctoritatem Dei revelantis; quin immo fieri posse videtur, ut sibi persuadeant se habere iustam causam recedendi a fide, adeo ut absque peccato formalis haeresis penitus a fide deficiant[1]).

Ad b. Dispiciat confessarius, quid ad salutem eiusmodi poenitentis, qui in confessione dicit se dubitare de fide vel se non omnia credere posse, magis conferat, si eum absolvat aut sine absolutione dimittat, donec depositis dubiis atque erroribus fidem plene amplectatur. Cum absolutio valida esse possit, addita monitione credendi omnia, quae Deus revelavit et ecclesia proponit, et cavendi, ne alios ad dubia vel errores contra fidem inducat, licite etiam absolvi poterit, quoties ex negata absolutione maius detrimentum spirituale timendum sit[2]).

2. Laici, qui se accusant de *dubiis* in fide vel de *sermonibus* contra fidem, *a.* interrogandi sunt, de quanam re dubitaverint vel locuti sint: saepe enim erronee putant veritates fidei esse, quae tales non sunt, quo in casu solum ex conscientia erronea contra fidem peccare possunt.

b. Quodsi reipsa de veritate fidei agitur, contra quam locuti sunt, haeresim commiserunt, si scientes doctrinam ab ecclesia esse propositam serio veritatem fidei impugnarunt, immo supposita cognitione poenae excommunicationem contraxerunt. Quodsi ita locuti sunt vel ex respectu humano vel ex vanitate, graviter contra fidem externam peccarunt. Quodsi tandem ita locuti sunt ad difficultates suas exponendas et veritates fidei melius intelligendas, nullatenus peccarunt.

---

[1]) Cf. *Pesch* VIII. n. 383 s.

[2]) Cf. *Berardi,* Praxis confessariorum[3] I. n. 87 ss.

Articulus quartus.

De communicatione cum infidelibus et haereticis.

34. Notiones. *a.* Duplex distinguitur communicatio: *civilis,* quae fit in rebus ad sociale commercium pertinentibus, et *religiosa* seu *in sacris,* quae fit in rebus ad religionem pertinentibus. Haec iterum duplex est: *activa,* quando nos aliorum sacris participamus, et *passiva,* quando infideles vel haereticos in nostris sacris communicare permittimus.

b. Communicatio activa altera est *formalis,* si quis interne, mente et voluntate sacris acatholicorum interest; et altera *materialis,* si quis solum externe et corpore eorum sacris assistit.

c. Communicatio activa altera est *publica,* si quis sacris interest, quae ab acatholicis instituuntur, prout sunt coetus religiosus; cuiusmodi sunt sacra, quae in eorum templis fiunt; altera *privata,* si quis cum acatholico participat in re sacra, quam ipse peragit, prout est persona privata, ut si catholicus cum acatholico orationem dominicam recitat.

Quod de communicatione *in* (rebus) *sacris* statuitur, valet etiam de communicatione *in* (rebus) *mixtis,* cuiusmodi sunt matrimonia et funera, quatenus haec ex ritibus religiosis consistunt et proinde ad religionem spectant.

35. De communicatione cum infidelibus. 1. Communicatio *civilis* cum infidelibus nullo iure prohibita est nec unquam prohibita fuit, modo absit periculum perversionis.

Quandoquidem *familiaritas* magnum inducit perversionis periculum, familiaritatem autem significant et promovent *convivia,* propter perversionis periculum per se prohibita sunt convivia cum infidelibus[1]).

2. Communicatio *in sacris activa* cum infidelibus per se prohibita est, quia saltem externam professionem falsae

[1]) *S. C. de prop. fide* 2. iul. 1827.

et negationem verae religionis significat; ideo apostolus ait: *Quae pars fideli cum infideli*[1]*?*

Strictius prohibetur haec communicatio cum infidelibus quam cum haereticis, quia illorum cultus plane falsus et superstitiosus est; ideo etiam multo difficilius permittitur fidelibus, ut infidelium quam haereticorum ritibus mixtis intersint, praesertim ubi pauci fideles multis infidelibus permixti vivunt.

3. Lege tum divina tum ecclesiastica prohibetur in specie matrimonium inire cum infideli[2]).

36. De communicatione cum iudaeis. Cum *iudaeis* in specie praeter communicationem in sacris et mixtis complures aliae communicationes civiles fidelibus interdicuntur: *a.* in eadem domo cum eis habitare, *b.* eodem cum ipsis balneo uti, *c.* iudaeum medicum adhibere, *d.* iudaeis famulari vel eos famulos adhibere, *e.* eidem convivio cum iudaeis interesse, *f.* publica eis officia inter christianos concedere, *g.* eorum azyma comedere etc.[3]). Finis harum prohibitionum est, tum ut conservetur dignitas religionis christianae, tum ut caveatur periculum perversionis. Hodie tamen, cum iudaei fere ubique iisdem iuribus civilibus cum christianis gaudeant, in desuetudinem abierunt prohibitiones istae prout positivae sunt; quare ex lege universali non alia cum eis stricte interdicitur communicatio, nisi ea, quam lex naturae vel statutum particulare vetat ratione scandali aut periculi perversionis; attamen normae instar fideles has prohibitiones, quae mentem ecclesiae in hac re nobis ostendunt, extra casum necessitatis nunquam non prae oculis habeant.

Ergo ne famulatus quidem apud iudaeos in omni casu prohiberi potest: etenim si famulae non sollicitantur ad turpia vel illicita, si insuper eis permittitur, ut praecepta religionis catholicae (auditio sacri, abstinentia, ieiunium etc.) observent nec aliud imminet periculum, famulatus non debet absolute interdici. Quin etiam ille famulatus, quo mulier catholica in familia iudaica nutricem agit, nunc ex se non debet absolute prohiberi. Particularia tamen locorum adiuncta efficere possunt, ut apud iudaeos famulari, praesertim vero iudaeorum infantibus nutricem se exhibere illicitum sit.

37. De communicatione cum haereticis[4]). 1. Communicatio in sacris *passiva* cum haereticis (idem valet de

[1]) 2. Cor. 6, 15.

[2]) 2. Cor. 6, 14 ss. C. *Cave* 15. c. 28. q. 1.

[3]) C. *Nullus* 13. et C. *Omnes* 14. c. 28. q. 1.

[4]) Quae communicatio cum haereticis interdicatur ratione *excommunicationis* eis inflictae, dicetur, ubi de censuris agitur.

infidelibus et iudaeis) prohibetur, quae necessario existimari debet signum religiosae unitatis, ut ipsis ritibus catholicis se immiscere.

a. Haereticum admittere ad participationem in ipso ritu religioso ***per se*** intrinsecus malum est, quia est signum unionis et consensus inter catholicum et haereticum in professione religiosa, ac si cultus catholicus et haereticus ab invicem non differrent essentialiter. Attamen non semper et necessario haec intima communicatio in sacris unitatem et consensum in cultu religioso significat: quandoque enim ex ipsis adiunctis colligi potest haereticum in hac re agnoscere veritatem religionis catholicae; quare in eiusmodi adiunctis ex gravissima causa haec communicatio licita esse potest. Sic permittit ecclesia celebrationem matrimonii mixti coram ministro catholico.

b. Possunt ergo haeretici in nostris ecclesiis audire conciones, assistere sacro, interesse functionibus liturgicis etc.; quia in his non communicant in ipso ritu catholico. Attamen excluduntur a sacramentis, a sacramentalibus, quae singulis publice in ecclesia administrantur, a sepultura ecclesiastica et eiusmodi. Complures habentur de hac re decisiones *s. Officii*, ex quibus potissimum intelligitur, quaenam sint functiones, in quibus haeretici licite participare nequeunt, quia participatio per se significat consensum catholici cum haeretico in professione religiosa.

α. Permitti non potest, ut haereticus agat patrinum in baptismo catholice conferendo[1]).

β. „Illicitum est ergo in sacris functionibus haereticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, candelas et palmas benedictas aliaque id genus externi cultus, quae interioris vinculi et consensionis indicia iure existimantur“[2]).

γ. Non licet haereticos, schismaticos aut iudaeos, etsi pueri aut puellae sint, admittere, ut in ecclesiis catholicis ad functiones liturgicas in choro musico cantent[3]). Tolerari tamen potest, ut schismatici una cum catholicis in ecclesiasticis functionibus cantent, dummodo exclusum sit periculum scandali et schismatici non sine magnis difficultatibus a cantu excludi possint[4]). — Licet autem acatholicis permittere, ut ad functiones liturgicas in ecclesia catholica organum pulsent, si ex eo non est timendum scandalum[5]).

δ. Non licet acatholicis permittere, ut ad functiones liturgicas catholicorum faces vel lumina deferant[6]).

---

[1]) *S. Officium* 1763; 3. maii 1893; 27. iunii 1900.
[2]) *S. Officium* 8. iun. 1859.
[3]) *S. Officium* 1. maii 1889.
[4]) *S. Officium* 24. ian. 1906.
[5]) *S. Officium* 23. febr. 1820.
[6]) *S. Officium* 20. nov. 1850.

38. 2. Communicatio in sacris *activa* multipliciter distingui debet: *a.* Communicatio in sacris *activa formalis* nunquam licita est, cum sit negatio fidei per professionem internam et externam falsae religionis.

Communicatio in sacris in duplici casu formalis est: *a. explicite,* sit fit cum intentione participandi in ritibus sacris atque ideo cum approbatione falsae religionis; *b. implicite,* si fit in ipso ritu sacro i. e. in actione, quae ad ritum sacrum pertinet, ut coenam haereticam sumere, cum haereticis in functione sacra canere: ab eiusmodi enim actionibus prava intentio participandi in ritu haeretico separari non potest.

b. Communicatio in sacris *activa materialis et privata,* si non versatur circa rem in se malam, excluso scandalo et perversionis periculo, licita est.

Sic licite catholicus cum protestante simul orationem dominicam vel alias preces recitare potest, quia in hac actione non continetur professio falsae religionis: privatus enim cultus, in quo nihil falsi continetur, non est haereticus.

c. Communicatio in sacris *activa materialis et publica* per se non solum lege ecclesiastica[1]), sed etiam lege naturae sub gravi prohibita est, idque multiplici ex capite: α. propter periculum perversionis in fide; β. propter scandalum tum ex parte fidelium, qui exinde ansam sumunt male iudicandi de persona, quae cum haereticis communicat, et dubitandi de vera fide, tum ex parte haereticorum, qui in suo errore confirmantur; γ. propter approbationem falsae et negationem verae religionis, quam communicatio per se significat. Sepositis aliis rationibus haec ultima hic potissimum attendenda est.

d. Communicatio in sacris *activa materialis et publica* ex causa proportionate gravi quandoque licita evadere potest (n. 22). Scilicet illae actiones, quae non pertinent ad ipsum ritum sacrum et ideo non necessario involvunt confessionem falsae et negationem verae religionis, excluso scandalo et periculo perversionis, ex iusta causa licitae sunt e. g. assistere functionibus haereticis, comitari funus alicuius haeretici.

---

[1]) C. Quicunque 2. *De haereticis* in 6° (V. 2).

Eo gravior requiritur causa, quo gravior est res sacra, in qua catholicus participat, et quo propius actio, per quam participat, ad ipsum cultum acatholicum accedit. Ceterum de hac re ex iisdem principiis iudicium ferendum est, quae de actione, ex qua sequitur duplex effectus, bonus et malus, iam exposita sunt[1]), et infra de cooperatione exponenda erunt.

39. Quaestiones particulares de communicatione in sacris cum haereticis. Triplici modo falsam religionem externe profiteri possumus: *a.* communicando in sacris cum acatholicis; *b.* eorum falsis ritibus cooperando; *c.* adhibendo signa falsae eorum religionis. De hoc ultimo supra dictum est (n. 20); de secundo infra dicetur, ubi de cooperatione agitur; quaestiones, quae ad primum pertinent, hoc loco considerandae sunt.

1. **De simultaneitate.** *a.* Sicut non licet permittere, ut haeretici in nostris ecclesiis suos ritus celebrent, ita nobis non licet nostros in eorum ecclesiis celebrare: hoc enim propter ecclesiae identitatem est communicare cum haereticis in divinis[2]). Cum tamen in eadem ecclesia simul cum haereticis divina celebrare non sit natura sua communicatio in iisdem sacris, ideo ex gravissima causa haec simultaneitas permitti potest et de facto permittitur[3]). Reipsa Hierosolymis in ecclesia s. sepulchri omnes sectae suos ritus peragunt. *b.* Pariter sicut non licet permittere, ut haeretici (i. e. sectae haereticorum) se immisceant precibus vel ritibus nostris, ita nobis non licet una cum haereticis liturgicam functionem peragere vel universim cum ipsis publicas preces fundere: cultus enim sectae ex fide, quam profitetur, tamquam ex sua radice procedit, quae cum sit haeretica, etiam cultus haereticus est.

2. **De communicatione in baptismo haereticorum.** *a.* Nunquam licet catholico *munus patrini agere* in baptismo filii haeretici, qui baptizatur a ministro haeretico. Diu quidem multumque in utramque partem disputatum est, num haec actio sit intrinsecus mala utpote communicatio in ipso ritu haeretico; controversia tandem finita est *s. Officii* declaratione, quae statuit, id absolute non licere nec per se nec per alios[4]). Nam baptismus ab haeretico sollemniter collatus est ritus haereticus; qui autem patrinum agit, in hoc ritu vere participat eumque implicite approbat, cum puerum baptizandum offerat et baptismum petat. Haereticorum autem

---

[1]) Cf. *De principiis* n. 53 ss.

[2]) *S. C. de prop. fide* 14. aug. 1627; *s. Officium* 10. maii 1753.

[3]) *S. C. de prop. fide* 12. apr. 1704.

[4]) *S. Officium* 10. maii 1770.

baptismis mere materialiter tamquam spectatorem vel honoris causa interesse et testem vel patrinum honorarium agere iusta exsistente causa non prohibetur.

b. Non licet parentibus catholicis positive permittere, ut filii ipsorum a ministro haeretico baptizentur; quod si absque gravi incommodo evitari non potest, negative (passive se habendo) permitti potest.

3. **De communicatione in nuptiis haereticorum.** *a.* Licitum est interesse eorum convivio nuptiali: etenim haec actio est mere civilis proptereaque communicatio civilis, quae cum haereticis licita est. *b.* Interesse nuptiis, quae ab haereticis coram ministro haeretico ritu haeretico celebrantur, licitum est, si de praesentia mere materiali, quae fiat curiositatis vel honoris causa, agitur[1]). *c.* Haereticorum nuptiis in aliquo munere e. g. testis interesse quod ad valorem matrimonii requiritur vel partem ipsius ritus sacri constituit, illicitum est, quia est tacita approbatio falsae sectae. *d.* Prorsus illicitum est catholico nuptias inire cum haeretico coram ministro haeretico: haec enim actio est manifesta participatio in ipsis sacris haereticis et agnitio cultus haeretici.

Puellae, quae ut in America septentrionali principalem assistentiam sponsae agunt (first bride's maid), ex communi aestimatione solum civile officium praestare censentur[2]).

4. **De ingressu in templa haereticorum et de assistentia in eorum sacris.** *a.* Per se (secluso scandalo et periculo perversionis) licitum est haereticorum templa ingredi ad ipsa invisenda merae curiositatis causa, quando nullus ibi habetur ritus sacer, quia iste ingressus est actio indifferens nec explicite nec implicite falsi cultus approbationem significat[3]).

b. Per se non licet assistere concionibus vel sacris functionibus haereticorum, quia haec assistentia per se est participatio cum haereticis in sacris; ex causa tamen proportionate gravi assistentia permitti posset, modo assistens materialiter tantum adsit absque ullo reverentiae signo.

α. Sic ex gravissima causa et excluso perversionis periculo licet famulae catholicae comitari dominam suam in templum haere-

---

[1]) *S. Officium* 14. ian. 1874 tolerari posse declarat, si catholici civilis tantum officii causa intersint nuptiis, quae contrahuntur inter partem catholicam et acatholicam coram ministro haeretico, remoto scandalo et quovis perversionis periculo nec non ecclesiasticae auctoritatis contemptu, qui tamen plerumque timendus est, si proxime coniuncti intersint matrimoniis contra ecclesiae prohibitionem initis.

[2]) *Sabetti* apud *Génicot,* Casus conscientiae p. 45.

[3]) Cf. *Lugo,* De fide d. 14. n. 171 ss.

ticum, et militibus licet assistere regi haeretico templum visitanti ad exemplum Naaman syri, cui propheta Elisaeus permisit, ut dominum suum regem comitaretur in templum ibique cum eo se incurvaret, ut rex eius humero inniteretur, dum coram idolo genuflecteret[1]).

β. Licet viris catholicis doctis haereticorum conciones audire ad eos confutandos, excluso semper scandalo et perversionis periculo: solum enim accedunt, ut sciant, quid haeretici doceant. Notandum tamen haec omnia, etsi solum materialiter fiant, in nonnullis regionibus, ut in compluribus Italiae dioecesibus, speciali lege ecclesiastica prohiberi.

c. Nunquam vero licet in templis haereticorum, quando ibi functiones religiosae peraguntur, organum vel alia instrumenta pulsare, hymnos et psalmos cantare etc., quia eiusmodi actiones continent participationem in ipso cultu falso haereticorum, quae est formalis et prorsus illicita communicatio in sacris[2]).

5. Si **assistentia,** quae fiat functionibus sacris haereticorum, catholicis **a gubernio praecipitur,** ita distinguendum est:

a. Si catholici in ipsis functionibus sacris haereticorum participare coguntur, ut accidit pueris scholas publicas in imperio russiaco frequentantibus, qui iubentur templa schismaticorum adire, panes benedictos accipere, cum aliis orare etc., id non licet[3]).

b. Si catholicis assistentia praecipitur in odium fidei vel in favorem falsae sectae, ea pariter licita non est.

c. Si catholicis assistentia praecipitur solum ordinis domestici causa, non in favorem falsae sectae, ut quandoque accidit militibus, captivis in carceribus, nautis in publicis navibus, qui omnes iubentur functionibus sacris assistere, quae ibi habentur, ea licita videtur, dummodo functionibus materialiter tantum assistant[4]).

6. **Quoad sepulturam haereticorum:** *a.* Licet catholico funus haeretici comitari, etiamsi funus ritu haeretico celebretur, modo α. materialiter tantum adsit ad obsequium civile praestandum, β. abesse nequeat sine gravi damno, saltem sine laesione civilis officii, γ. in sacris cum haereticis non communicet, ergo nec simul cum eis oret, nec eorum ritibus se immisceat, nec luminare deferat, nec concioni, quae habenda sit, intersit[5]).

b. Sacerdos catholicus non potest in locis, in quibus haeretici proprios non habent ministros, comitari cadaver haeretici a domo

---

[1]) IV. Reg. 5, 18. 19. Cf. *Lugo* ibid. n. 173.

[2]) *S. C. de prop. fide* 19. iun. 1889.

[3]) *S. Officium* 26. apr. 1894.

[4]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 651 in nota.

[5]) *S. Officium* 13. ian. 1818. Cf. *Lugo* l. c. n. 159.

ad coemeterium, etsi cadaver ad ecclesiam non deferatur neque campanae pulsentur[1]).

7. **Institutionem religiosam haereticorum** frequentare non est communicatio in sacris, quia institutio religiosa non habet rationem ritus sacri, sed disciplinae litterariae ad excolendum animum institutae. Voluntaria tamen frequentatio est illicita professio falsae religionis; involuntaria, excluso periculo perversionis, ex gravissima causa permitti potest; minime vero licet falsas haereticorum doctrinas repetere, quasi verae essent et admitterentur.

8. *Num liceat sacramenta petere ab haereticis* cf. *De sacramentis* n. 43.

40. Num licita sit disputatio cum haereticis.

a. Disputatio publica seu coram frequenti populo tum clericis tum laicis prohibita est absque expressa romani pontificis licentia, quia publicae disputationes optato fructu carere solent[2]).

b. Disputatio privata seu coram paucis auditoribus clericis permittitur, si provocantur, si fructus aliquis vel in provocante vel in audientibus speratur et si clerici sunt periti et sufficienti doctrina instructi.

c. Laicis autem etiam privata disputatio de rebus fidei iure positivo prohibita est[3]): cum enim multo facilius sit difficultates proponere quam propositas solvere, ex imperitia laicorum facile fieri posset, ut haeretici in errore confirmentur, catholici vero ipsi dubia concipiant et in fide vacillent. Haec tamen prohibitio non extenditur ad viros vere doctos et in fide firmos, ubi magna speratur utilitas vel ubi inducta est consuetudo ut in Germania.

Nota. Hisce exhibentur principia in communicatione religiosa cum haereticis vel schismaticis de iure servanda; pro praxi tamen haec notanda sunt: in regionibus, in quibus iam a longo tempore catholici mixti cum haereticis vivunt, ex consuetudine complura sine gravi causa fiunt, quae per se solum ex gravi causa licita sunt; sic ex mera curiositate catholici templa haereticorum ingrediuntur, etiam dum ibi sacrae functiones habentur, funeribus intersunt etc., quin immo ea quoque bona fide peragunt, quae prorsus illicita sunt. Iam vero quia in eiusmodi regionibus periculum perversionis et scandalum fidelium minus timendum est, communicatio, quae in se illicita non est, facilius tolerari potest, immo etiam in iis prohibendis, quae permitti nullatenus possunt, animarum pastores valde cauti et prudentes esse debent, ne sine spe

---

[1]) *S. Officium* 26. ian. 1886.

[2]) S. C. C. 8. mart. 1658.

[3]) C. Quicunque 2. *De haereticis* in 6° (V. 2).

fructus bonam fidem perturbent et haereticorum odia provocent; ideo ipsa s. sedes declaravit communicationes illicitas ad graviora damna vitanda quandoque dissimulari posse[1]). In regionibus autem, in quibus haeretici paulo ante sedes fixerunt et templa erexerunt et proinde periculum et scandalum vetitae communicationis maius est, normae supra expositae severius urgendae sunt. Ideo cardinalis vicarius, cum haeretici Romae templa erigerent, in instructione ad parochos Urbis edita declaravit peccare graviter omnes, qui ex mera curiositate audiunt conciones protestantium et assistunt vel materialiter tantum functionibus acatholicis[2]).

---

[1]) *S. Officium* 26. apr. 1894.

[2]) Instructio 12. iul. 1878 apud *Aichner*, Compendium iuris eccles.⁹ (Brixinae. Weger. 1900) p. 156.

Liber secundus.

De praeceptis spei[1]).

Quaestio prima.

De natura spei theologicae.

41. Definitio. 1. *Spes ut virtus (spes habitualis)* definitur: habitus supernaturalis infusus, quo homo disponitur ad certo exspectandum ex promissione Dei beatitudinem aeternam et media ad illam necessaria.

Spes theologica ut actus (spes actualis) definitur: certa exspectatio futurae beatitudinis ex fidelissima promissione divina per media a Deo ordinata obtinendae.

Nomen *spei* vario sensu accipitur: significat enim *a. exspectationem boni futuri* possibilis sive sensibilis sive suprasensibilis; *b. ipsam rem speratam,* ut cum dicitur: exspectantes beatam spem[2]) aut: spem (beatitudinem) ex meritis nobis provenire; *c.* causam et *rationem spei* sive primariam sive secundariam, ut cum dicitur: factus es (Domine)

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 17—22. *S. Alphonsus* l. 2. n. 20. 21. *Suarez,* De spe disp. 1. et 2. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moralis decalog. tract. 2. n. 107—125. *Reuter,* Theologia moral. II. n. 56—70. *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. morale[3] II. 109—133. *Lehmkuhl,* Theologia moralis[10] I. n. 305—313.

[2]) Tit. 2, 13.

spes mea, aut si beata virgo dicitur spes nostra; *d. tum habitum tum actum virtutis theologicae.*

2. Spes non est actus intellectus sed voluntatis consistens in *fiduciali exspectatione,* quae coniuncta est cum certitudine seu firmitate et quiete excludente inordinatum timorem, ne bonum speratum non obtineamus.

a. Actus spei complures actus supponit et continet: α. actum *amoris* (concupiscentiae), quo nobis placet Deus ut bonum nostrum et obiectum beatitudinis nostrae: neque enim sperare possumus, nisi quod nobis tamquam bonum nostrum placet; β. actum *desiderii,* quo voluntas fertur in bonum absens: ex amore enim boni natura sua nascitur desiderium eius, si bonum amatum absens est. γ. Ex promissione divina *cognoscimus* adeptionem boni desiderati nobis esse possibilem: etenim sperare non possumus bonum, quod a nobis obtineri non potest, et simul cognoscimus Deum ob suam fidelitatem in promissis servandis nobis deesse non posse, unde in illud bonum oritur actus *exspectationis et fiduciae,* fore ut aliquando eiusdem participes fiamus. Tandem intelligimus Deo nec potentiam nec voluntatem deesse ex sua parte dandi bona promissa, unde erigimur ad *firmam certamque* exspectationem.

b. Quia igitur spes plene et adaequate spectata complures actus in se continet, multiplex etiam dicendum est spei sic consideratae *obiectum formale,* et quidem *amoris* concupiscentiae et *desiderii* obiectum formale est Deus, prout nobis bonus est, seu bonitas Dei relativa; *spei* formaliter consideratae motivum est fidelitas Dei in promissis implendis; certitudinis et *firmitatis,* quae fiduciae inest, motivum est Dei omnipotentia et misericordia.

42. Spes cum timore coniuncta. Spes theologica debet esse *firma et certa* excludens omnem diffidentiam et haesitationem, et nihilominus adiunctum habet *timorem: cum metu et tremore vestram salutem operamini*[1]). Firmitas refertur ad promissionem, timor ad assecutionem. Firmitas et certitudo spei oritur ex motivo sperandi, quod habemus *ex parte Dei,* scilicet ex certa cognitione Deum posse et velle stare omnibus suis promissis, quia omnipotens et misericors est; et firmitas quidem huius cognitionis ex eo augetur, quod Deus tam manifesta argumenta suae erga nos pietatis et misericordiae iam dedit. Timor, qui spei adiungitur, ortum habet *ex parte nostra,* quia cognoscimus eventum eorum, quae speramus, ob fragilitatem nostram frustrari posse. Deum enim beatitudinem nobis non promisit absolute, sed condicionate, depen-

[1]) Phil. 2, 12. Cf. *Concilium trid.* sess. 6. c. 9.

denter nimirum a nostra cooperatione; iam cum absoluta certitudine scire non possimus, utrum condiciones ex parte nostra impleantur necne, semper adest ratio timoris: certo enim scire non possumus, utrum amore an odio digni simus[1]). Cum tamen aeternam beatitudinem assequi possimus, modo ipsi serio velimus, timor iste hinc quidem temerariam securitatem, inde vero pusillanimem quoque anxietatem excludere debet.

43. Obiectum spei. *a. Obiectum materiale* spei constituunt omnia bona nobis a Deo promissa, quae cum sint duplicis generis, distinguitur obiectum *primarium,* quod est ipse Deus, prout est summum bonum nostrum et beatitudo nostra obiectiva, et *secundarium,* quod constituunt omnia media, quae ex Dei ordinatione ad illam obtinendam necessaria et utilia sunt, scilicet dona habitualia, auxilia gratiae, remissio peccatorum, bona tum spiritualia tum etiam temporalia, et specialis Dei providentia, quae mala a nobis avertat et bona nobis procuret.

b. Obiectum *formale* spei est summa *fidelitas* Dei promittentis, qui praestare potest, quod promisit, quia *omnipotens* est, et praestare vult, quod promisit, quia *benignissimus* est. Et sicut fides revelationem, ita spes promissionem divinam eorum, quae speramus, tamquam condicionem necessariam supponit[2]).

Quaestio secunda.

De necessitate spei.

44. De ipsa necessitate spei. 1. Spes *actualis* adultis necessaria est *necessitate medii,* nondum iustificatis ad iustificationem, iustificatis ad salutem.

[1]) Eccl. 9, 1.

[2]) Alii rationem spei eiusque obiectum formale aliter exhibent. Cf. Zeitschrift f. k. Theol. XXII. (1898) S. 63 ff.: Das Formalobjekt der Hoffnung.

Argumenta. *a.* Adultus ad iustificationem a Deo obtinendam propriis actibus se disponere debet, quod impossibile est sine spe, qua remissionem peccatorum se consequi posse confidat. Insuper qui iustificari intendit, saltem implicitum propositum habere debet servandi omnia mandata toto tempore vitae suae; sed cum id propriis viribus praestare non possit, hoc propositum concipere nequit, nisi in auxilium gratiae confidat. Ideo concilium tridentinum inter dispositiones, quae ad iustificationem adultorum requiruntur, post fidem etiam enumerat *spem*[1]). *b.* Homo iustificatus finem suum supernaturalem aeternae beatitudinis consequi debet propriis meritis per auxilium gratiae acquirendis; sed ad hunc finem tendere nequit, nisi speret aeternam beatitudinem et auxilia gratiae ad illam obtinendam necessaria. Insuper oratio ad salutem necessaria est necessitate medii; sed oratio sine exercitio spei impossibilis est[2]); ergo etiam spes necessitate medii necessaria est.

Sermo est hic de *actu* spei, quem theologia moralis potissimum considerat. *Habitus infusus spei* omnibus, etiam infantibus, necessarius est ad salutem necessitate medii absoluta: cum enim gratia sanctificans absolute necessaria sit, etiam habitus spei, qui simul cum illa infunditur, absolute necessarius est.

2. Spes actualis adultis necessaria est etiam *necessitate praecepti* divini tum *naturalis* tum *positivi.*

a. Praecepto enim naturali tenetur homo adhibere media ad salutem necessaria; atqui actus spei est medium ad salutem necessarium. *b.* In sacris litteris passim admonemur et excitamur ad spem[3]); his autem s. scripturae textibus actus spei non solum consulitur, sed vere praecipitur. Insuper Christus Dominus oratione dominica modum sperandi et petendi nos docuit eumque nobis praecepit[4]).

Praeceptum spei affirmativum et negativum est: quatenus *affirmativum* est, obligationem imponit eliciendi actum spei; quatenus *negativum* est, obligationem iniungit non desperandi et non praesumendi. Praeceptum vero affirmativum obligat *per se* et *per accidens;* iam quaeritur quando et quoties eliciendus sit actus spei.

45. Quando obliget praeceptum spei. 1. Praeceptum spei obligat *per se* seu ratione ipsius virtutis spei:

---

[1]) *Concilium Trid.* sess. 6. c. 6.

[2]) Iac. 1, 6. 7.

[3]) 1. Tim. 6, 17. Rom. 8, 24. Col. 1, 5. Ps. 4, 6.

[4]) Propositio 1. ab *Alexandro VII.* damnata: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, caritatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

a. Initio usus rationis seu vitae spiritualis i. e. ubi primum homini Deus et aeterna beatitudo, in quam mediis a Deo ordinatis tendere debet, sufficienter proposita est.

α. Reverentia enim Deo debita exigit, ut statim firma fiducia Deo adhaereamus, ubi primum cognoscimus Deum promisisse nobis beatitudinem aeternam. β. Insuper initio usus rationis homo in Deum finem ultimum per media ad id ordinata tendere debet; sed in Deum tendere et vitam spiritualem, quae sit meritoria vitae aeternae, incipere non potest, nisi aeternam retributionem et media ad salutem necessaria speret.

b. Aliquoties in vita ad conservandam iustitiam; tempus autem, quo actus spei elici debeat, determinari non potest. Frequenter autem eliciendus est, quia ad vitam christianam ducendam tantopere necessarius est, quod tum ex eo patet, quod desiderium aeternae beatitudinis efficacissimum motivum est observandi praecepta, tum ex eo, quod necessaria est oratio, quae sine spe exerceri nequit.

Quia tamen ad satisfaciendum praecepto spei non requiritur actus spei formalis, sed sufficit virtualis, practice illud non affert difficultatem: etenim non est fidelis christianus satis instructus, qui hoc modo non saepius eliciat actus spei, dum orat, sacramenta suscipit, praecepta observat, proponit Deum non offendere, ne a salute aeterna excidat; quod si vitam christianam negligit, ad hanc obligationem non advertit.

c. Quando *urget tentatio contra spem,* quae vinci non potest nisi per actum spei: praeceptum enim spei obligat ad tentationes, quae contra eam insurgunt, repellendas; nam si actus spei est medium ad id necessarium, ex praecepto spei adhiberi debet.

d. Quando homo *per peccatum mortale desperationis amisit habitum spei:* tenetur enim per conversionem a desperatione ad Deum redire, id quod per actum spei fieri debet.

2. *Per accidens* urget praeceptum eliciendi spem: *a.* in tentatione contra aliam virtutem, si haec tentatio superari non possit, nisi actu spei firmetur animus; *b.* quando adimplendum est aliud praeceptum, quod sine actu spei

saltem virtuali et implicito impleri nequit ut praeceptum orationis, poenitentiae etc.

46. De timore et spe, quatenus sunt motiva actionum moralium. Quandoquidem scriptores acatholici doctrinam moralem ecclesiae, quin etiam evangelii ideo reprehendunt, quia doctrina catholica actiones morales ex timore poenae vel ex spe praemii peractas honestas et licitas dicit, cum sint inutiles, quin et vitiosae, iuvat paucis exponere, quo sensu timor et spes sint motiva actionum moralium licita atque honesta. Scilicet quamvis secundum doctrinam ecclesiae opera ex caritate facta sint perfectiora, non carent tamen honestate morali atque utilitate spirituali opera intuitu mercedis aeternae peracta.

Iam pridem *Lutherus* et *Calvinus* docuerant opera intuitu mercedis aeternae peracta esse inutilia et vitiosam sapere cupiditatem; idem postea affirmaverant *Baius* et *Ianseniani,* quorum doctrinam damnaverant *Concilium tridentinum*[1]) et *Alexander VIII.*[2]). Cum hisce haereticis hodie consentiunt philosophi athei, qui in hac affirmatione consentiunt: Actiones ex motivo vitae aeternae adversantur purae moralitati. Die Motivierung der Handlungen durch die Hoffnung auf ewige Seligkeit ist eine Fälschung der reinen Sittlichkeit.

1. **De timore.** *a. Timor* est actus voluntatis, qui aversatur malum imminens; timor *Dei* seu divinus aversatur malum, quod Deus propter peccatum infligere potest.

Timor servilis timet poenam (damnationem) a Deo propter peccatum infligendam sive peccatum tamquam causam huius poenae; dicitur servilis, quia servi ob timorem poenae obtemperare solent. Iste timor est *serviliter servilis,* si timens poenam seu peccatum propter poenam voluntatem habet peccandi, si non esset poena (infernus).

Timor filialis timet offensam Dei et amissionem amicitiae divinae seu peccatum, quia est offensa Dei cum amissione amicitiae divinae. Dicitur filialis, quia filiorum est timere, ne offendant parentes.

---

[1]) Sess. 6. can. 31: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, a. s.*

[2]) Prop. 13. *Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

Timor initialis timet offensam Dei et poenam aeternam seu peccatum, quia est offensa Dei aeterna poena punienda. Dicitur initialis, quia incipientium est timere peccatum, tum quia est offensa Dei tum quia est causa poenae.

b. Sicut timor servilis licitus est atque honestus, ita Deo servire, peccata vitare et praecepta observare ex metu poenae licitum est atque honestum, dummodo excludatur voluntas peccandi; attamen motivum caritatis longe nobilius est atque perfectius.

Timor serviliter servilis moraliter malus est et vitiosus, quia voluntatem peccandi non excludit, poenam peccato, peccatorem Deo creatori praefert, id quod de timore servili dici nequit. Ideo timor a Deo praecipitur: *Timete eum, qui . . habet potestatem mittere in gehennam*[1]*);* in s. scriptura oppositus dicitur peccato: *Timor Domini expellit peccatum*[2]); tamquam donum a Deo petitur: *Confige timore tuo carnes meas*[3]).

2. **De spe.** *a.* Ex motivo spei potest quis Deo servire et praecepta observare triplici diverso modo: α. ita ut praecepta non servaret, nisi promissum esset praemium aeternum; β. ita ut ea solum observet propter praemium aeternum, nihil cogitans de illa condicione; γ. ita ut ea observet tum propter praemium tum propter Deum.

b. Praecepta observare intuitu mercedis aeternae, ita ut non observarentur, si non daretur merces, vitiosa cupiditas est: qui enim ita bonum operatur, seipsum Deo praefert; at praecepta observare intuitu mercedis, opus moraliter bonum et sub debitis condicionibus meritorium est.

α. Motivum spei naturae humanae convenientissimum est, cum naturali appetitui, quo homo fertur in propriam felicitatem, apprime consentaneum sit. Insuper ubi in servitio Dei magnae difficultates superandae sunt, homo per motivum spei et timoris iuvari debet, ne a morali perfectione deficiat.

β. S. scriptura opera, quae ex motivo spei intuitu mercedis fiunt laudat atque commendat: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*[4]).

---

[1]) Luc. 12, 5.

[2]) Eccli. 1, 27.

[3]) Ps. 118, 120.

[4]) 1. Cor. 9, 25. Cf. ps. 118, 112; Col. 3, 23 s.; Apoc. 2, 10.

c. Quamvis motivum spei inferius sit motivo caritatis, illud tamen motivum caritatis non excludit, immo ad caritatem necessario inducit.

Qui vult consequi vitam aeternam, vult etiam ea, quae ad consequendam vitam aeternam necessaria sunt; sed ad consequendam vitam aeternam necessaria est caritas[1]).

Nota. Considerari debet peculiaris relatio, quae inter hominis sanctitatem (caritatem Dei) et aeternam beatitudinem exsistit. Vita aeterna, ad quam contendimus, simul hominis sanctitas atque felicitas est. Qui ergo praecepta observat intuitu mercedis, implicite simul propriam sanctitatem et Dei gloriam intendit; et qui praecepta observat ex caritate Dei seu ad adipiscendam sanctitatem, implicite simul propriam beatitudinem intendit, cum beatitudo aeterna Deus sit.

Quaestio tertia.

De peccatis contra spem.

47. Quae sint peccata contra spem. Contra spem peccari potest omissione et commissione; *omissione* quidem, si non elicitur actus spei, quando vi praecepti eliciendus est. Peccata *commissionis* contra spem sunt duplicis generis: vel enim adversantur duplici actui, qui spem theologicam praecedit, amori scilicet et desiderio beatitudinis, vel actui, qui spem essentialiter constituit, nempe fiduciae obtinendi beatitudinem et media ad illam necessaria. Porro spei, quatenus continet desiderium beatitudinis, opponitur *odium Dei,* beatitudinis nostrae, seu *nimia adhaesio* ad bona terrena; spei autem, quatenus est fiducia, duo peccata opponuntur, alterum per defectum, quod est *desperatio,* alterum per excessum, quod est *praesumptio.*

---

[1]) Cf. de hac quaestione: *Kneib,* Die „Lohnsucht" der christl. Moral (Theolog. Studien der Leo-Gesellschaft Wien. Meyer. 1904). *Kneib,* Die „Jenseitsmoral" im Kampfe um ihre Grundlagen (Freiburg. Herder. 1907). *Schneider,* Die göttliche Weltordnung (Paderborn. Schöningh. 1900): Die „Lohnsucht" der religiösen Moral S. 496.

Num sit peccatum contra spem, ex taedio vitae optare mortem. — Quia iste actus non continet aversionem a Deo fine ultimo, nec excludit desiderium aeternae beatitudinis, non est peccatum contra spem, sed vel est defectus subiectionis erga ordinem divinae providentiae, qui defectus ordinarie non excedit veniale peccatum, vel est impatientia orta ex inordinato amore sui, qua quis renuit ferre miserias huius vitae, quod pariter veniale peccatum ordinarie non excedit. Grave peccatum est hoc desiderium, si fiat cum plena deliberatione atque expressa rebellione contra divinam providentiam. — Si quis vero optet mortem cum debita patientia et subordinatione erga Deum, nedum peccatum sed actum virtutis facit, dummodo ex desiderio aeternae beatitudinis in Deo consequendae procedat[1]). — Optare nunquam natum esse vel annihilari est peccatum grave contra spem, nisi quis eiusmodi desideriis solum vehementiam doloris significare intendat.

48. Odium Dei, quod directe spei adversatur (odium abominationis), illud est, quo homo a Deo, fine suo ultimo, se avertit, nolens in eo constituere beatitudinem suam. Hoc odium Dei signum est magnae et inordinatae adhaesionis ad bona terrena et certe grave peccatum est, quia bona terrena praeferuntur Deo eiusque possessioni, id quod Dei contemptum involvit.

Num grave peccatum sit, optare perpetuo in hac vita manere. — Si hoc desiderium cohaeret cum illa animi dispositione, qua quis paratus est Deo relinquere coelum, si sibi terram concedat, grave peccatum est contra spem, quia a Deo se avertens ad creaturas se convertit atque in his felicitatem suam ponit. Quodsi hoc desiderium solum significat nimium affectum huius terrae et bonorum eius vel timorem mortis ob incertitudinem felicitatis aeternae, non est necessario grave peccatum contra spem, quia haec animi dispositio per se non excludit desiderium beatitudinis. Coniuges, qui perpetuo convivere in terra desiderant, non raro eiusmodi verbis solum vehementiam amoris significare intendunt.

49. Desperatio est voluntaria et plena diffidentia obtinendi beatitudinem et media ad illam necessaria.

a. Desperatio consistit in actu positivo voluntatis, quo haec, abiecta omni spe, a Deo, fine ultimo, seu a beatitudine et prosecutione eius voluntarie recedit. Desperatio proxime oritur ex praevio iudicio intellectus, quo quis existimat se a beatitudine exclusum iri; ratio autem, ob quam aliquis putat se non esse salvandum, diversa esse

[1]) Phil. 1, 23.

potest: vel enim sibi persuadet sua peccata esse maiora, quam ut Deus ea remittere possit, vel existimat viam mandatorum Dei esse nimis arduam, vel iudicat Deum sibi nec parcere nec auxilia largiri velle, vel iudicat nunquam fieri, ut Deus sibi parcat, ut rite se disponat ad veniam peccatorum obtinendam etc.

b. A desperatione distinguendus est *timor,* quo interdum etiam homines pii anguntur propter incertitudinem salutis. Pari modo animae devotae, quae quandoque continuis tentationibus desperationis agitantur, non facile iudicandae sunt graviter peccasse. Ut confessarius cognoscat, num poenitens in peccatum desperationis consenserit, interrogare eum poterit, num ideo consueta pietatis exercitia omiserit. Etenim si quis e. g. ideo *cessat orare,* quia persuasum habet Deum nolle ipsi subvenire, graviter contra spem peccat; quodsi solum ex inordinata quadam tristitia animum despondeat et ab oratione cesset, graviter non peccat; et nullatenus peccat, si cessat sanitatem petere, quia putat Deum nolle eam ipsi restituere[1]).

50. Eius malitia moralis. Cum desperatio directe repugnet divinis attributis (fidelitati, bonitati), ipsa *est peccatum ex toto genere suo mortale* (non admittens parvitatem materiae), maius quidem peccatis, quae opponuntur virtutibus moralibus, minus vero peccatis infidelitatis et odii Dei, quod caritati adversatur: nam infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, ut est in se; desperatio autem est contra Deum, ut est bonum nostrum.

a. Etsi desperatio non sit peccatum omnium gravissimum, est tamen ceteris peccatis periculosius: experientia enim constat spe salutis plane abiecta homines sine freno in vitia ruere[2]). In concreto autem advertendum est, utrum aliquis reipsa desperet de bonitate et misericordia Dei, an potius ex pusillanimitate de propria cooperatione cum gratia divina.

b. Homines, qui ex pravo habitu peccatis e. g. ebrietatis vel pollutionis dediti sunt, quandoque desperare videntur, cum dicere soleant se non posse pravum habitum iam nimis inveteratum deponere. Hi tamen magis pusillanimes sunt quam desperabundi, potius de propria cooperatione quam de auxilio divino desperant. Quare in maiorem divinae gratiae fiduciam erigendi et de cooperatione cum gratiae auxilio monendi sunt.

---

[1]) Cf. *Bucceroni,* Casus conscientiae[5] (Romae. Typogr. iuv. opif. 1902) n. 32.

[2]) *S. Thomas* II. II. q. 20. a. 3.

51. Praesumptio est temeraria expectatio aeternae beatitudinis et mediorum ad illam consequendam, aliter scilicet ac Deus ordinavit. Peccatum praesumptionis quinque diversis modis committi potest:

a. Si quis confidit se remissionem peccatorum et aeternam beatitudinem consecuturum esse propriis viribus, quae est praesumptio *pelagiana.*

b. Si quis confidit se consecuturum esse remissionem peccatorum et beatitudinem aeternam sine bonis operibus ex solis meritis Christi, aut sine observatione mandatorum ex sola misericordia Dei, quae est praesumptio *lutherana.*

c. Si quis confidit se consecuturum esse auxilium divinum ad exsequendum malum e. g. vindictam. Cum praesumptione in hoc casu coniungitur blasphemia.

d. Si quis confidit se consecuturum esse extraordinaria bona contra ordinem divinae providentiae, e. g. sanctitatem b. virginis Mariae vel maximi sancti, ad quam scit se non esse a Deo elevandum.

e. Si quis divinam misericordiam assumit tamquam motivum peccandi et peccata iterandi[1]).

Num sit praesumptio, peccare propter spem veniae obtinendae.

α. Peccare vel in peccato perseverare ex passione vel fragilitate *cum spe* veniae obtinendae, non est praesumptio: nam spes veniae non est motivum inducens ad peccandum, sed affectus concomitans peccatum; ut si miles vitae liberiori indulgens confessionem differt usque ad peractam militiam.

β. Peccare *propter facilitatem* accusandi peccata, i. e. si quis iterat peccatum, quia facile est confiteri vel quia tam facile plura peccata accusantur quam unum, pariter non est praesumptio, quia motivum inducens ad iteranda peccata non est facilitas obtinendi veniam, sed facilitas confessionis.

γ. Peccare *propter spem veniae,* i. e. si quis peccat et in peccatis perseverat, quia Deus tam facile remittit plura peccata quam unum, tam facile sero quam cito, est peccatum praesumptionis, quia spes veniae est motivum inducens ad peccandum ideoque inordinata fiducia in divinam misericordiam. Raro tamen hoc peccatum praesumptionis committitur, quia spes veniae potius occasio quam motivum peccandi dicenda est[2]).

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 310.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 130.

52. Eius malitia moralis. 1. Praesumptio est peccatum *ex toto genere suo grave* seu semper mortale, si continet haeresim vel blasphemiam (1. 2. 3. modus), alias admittit parvitatem materiae (4. et 5. modus).

Sic leve est divinam misericordiam assumere tamquam motivum leviter peccandi. Item in levi periculo sine oratione expectare auxilium, quod Deus non promisit.

2. Desperatio et praesumptio aut est *simplex* aut *qualificata*, prout est aut non est coniuncta cum peccato contra fidem. Nam tum desperatio tum praesumptio supponit erroneum intellectus iudicium; iam si erroneum illud iudicium est contra fidem, peccata illa *coniuncta sunt cum haeresi.*

Sic qui desperat, quia putat Deum ipsum salvare non posse aut non velle, vel quia iudicat observationem mandatorum sibi esse impossibilem, non solum desperans, sed suppositis supponendis etiam haereticus est; item praesumptio tum pelagiana tum lutherana haeresim continet.

Nota 1. Ad dignoscendum in praxi confessionis, num poenitens revera commiserit peccatum contra spem, et num cum peccato contra spem coniunctum sit etiam peccatum contra fidem, interrogandus erit, cur desperaverit vel praesumpserit, et ex responsione iudicium de hac re formari poterit.

Nota 2. *Habitus spei* non *amittitur* per quodvis peccatum contra spem, sed per illud solum, quod obiecto formali spei directe opponitur; quare per peccatum desperationis, per odium Dei, qui a Deo quatenus est beatitudo nostra receditur, et per praesumptionem pelagianam habitus spei amittitur. Insuper cum fides sit fundamentum spei, per peccata, quibus amittitur habitus fidei, simul amittitur habitus spei.

Liber tertius.

De praeceptis caritatis[1]).

Quaestio prima.

De caritate Dei.

Articulus primus.

De natura caritatis Dei.

53. Definitio. 1. Caritas theologica ut *virtus* definitur: habitus supernaturalis infusus, quo inclinamur ad Deum super omnia diligendum propter se, nos ipsos autem et proximum propter Deum.

Caritas habitualis non est ipse Spiritus Sanctus animam inhabitans, neque gratia sanctificans animae inhaerens, sed est donum supernaturale realiter a gratia sanctificante distinctum, voluntati inhaerens, quod hominem reddit potentem ad actus supernaturalis amoris benevolentiae erga Deum, seipsum et proximum cum auxilio gratiae eliciendos. Etsi caritas a gratia sanctificante sit distincta, cum ea tamen

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 23—44. *S. Alphonsus* l. 2. n. 22—80. *Suarez*, De caritate disp. 1—10. *Sporer-Bierbaum*, Theologia moralis decalog. tract. 2. n. 126—225. *Io. Reuter*, Theologia moralis II. n. 71—138. *Castropalao*, Operis moralis pars I. tract. 6. de caritate. *Lessius*, De summo bono. *S. Franc. Sales.*, Theotimus. *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. morale[3] II. n. 134—302. *Lehmkuhl*, Theol moralis[1]. I. n. 314—327. *Göpfert*, Moraltheologie[5] I. n. 305—312. *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae[3] (Friburgi. Herder. 1900) VIII. n. 533—661.

inseparabiliter coniuncta est; hinc simul cum gratia sanctificante acquiritur, augetur, destruitur et, cessantibus habitibus fidei et spei, manet in patria coelesti.

2. Caritas theologica ut *actus* definitur: amor, quo Deum super omnia diligimus propter se, nos ipsos et proximum propter Deum. Duplex igitur est actus caritatis prout duplex est eius obiectum, sed unum est utriusque actus motivum.

Nota. 1. Nomen *amoris* usu theologico utramque dilectionem significat, naturalem et supernaturalem, puram et concupiscentiae, honestam atque vitiosam; e contra terminus *caritatis* solam dilectionem supernaturalem et theologicam significat, eam scilicet, qua Deus seipsum et nos diligit, vel eam, qua nos habitu vel actu Deum diligimus.

2. Obiectum caritatis theologicae debet esse Deus, prout a fide nobis proponitur: virtutes enim theologicae supernaturales esse debent non solum quoad principium sed etiam quoad obiectum. In iis autem, qui habitualiter fidem tenent, reipsa Deus (sapiens, potens, iustus etc.) concipitur, non solum ut naturali ratione, sed etiam ut ex fide cognitus est.

54. Divisio. 1. *Amor benevolentiae* est amor, quo rem (personam) amamus propter se vel quo alicui bonum volumus propter se, ut ipsi bene sit; *amor concupiscentiae* est amor, quo rem (personam) amamus propter nos vel quo alicui bonum volumus propter nos, ut nobis inde bene sit.

a. Amare est bonum velle. Iam vero cum in actu amoris duo consideranda sint, bonum, quod volumus, et persona, cui bonum volumus, bonum (rem vel personam) dupliciter velle possumus, quia in se bonum est seu propter perfectionem, quam in se habet et qua in se amabile est, aut quia nobis bonum est seu propter commodum, quod nobis affert. Item bonum alicui personae dupliciter velle seu desiderare possumus, aut quia personae amatae bonum est, aut quia nobis inde bonum provenit. In priore casu habetur amor *benevolentiae*, in posteriore amor *concupiscentiae*.

b. Amor benevolentiae distingui potest in amorem *complacentiae*, quo rem vel personam (virtutem, amicum) amamus propter se; et in amorem *benevolentiae*, quo alicui personae bonum volumus et optamus propter ipsam, ut ipsi bene sit.

c. Amor benevolentiae, qui ad Deum refertur, ratione obiecti formalis dicitur *caritas perfecta;* amor concupiscentiae ad Deum relatus

dicitur *caritas imperfecta* (minus perfecta), cum perfectius sit Deum diligere, quia est bonum in se, quam eum diligere, quia ex Deo in nos bonum redundat. Et haec quidem est amor, qui in spe continetur.

d. Amor benevolentiae dicitur *amor amicitiae,* si amantes α. sibi *mutuo* bonum velint et communicent seu si mutuo se affectu et effectu diligant, β. si de hac mutua benevolentia et beneficentia *cognitionem* habent. Actus caritatis theologicae est actus amoris benevolentiae et amicitiae inter Deum et hominem exercitus: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis*[1]).

2. Caritas Dei potest esse *summa* seu *super omnia* dupliciter: *appretiative,* si per eam Deus omnibus aliis rebus praefertur, si ergo vi caritatis parati sumus omnia alia bona potius amittere et omnia alia mala potius sustinere, quam Dei iacturam facere, seu quod eodem redit, si parati sumus quodvis peccatum mortale vitare; *intensive*, si vehementiore et ardentiore affectu Deum diligimus quam ullam aliam rem creatam.

a. Caritas, qua Deus super omnia diligitur, *tres gradus* habet: *primus* est, si Deus ita diligitur, ut parati simus potius omnia amittere et omnia pati quam Deum gravi peccato offendere; *secundus* est, si Deum ita diligimus, ut parati simus potius omnia amittere et omnia pati quam Deo levi offensa displicere; *tertius* est, si Deum ita diligimus, ut parati simus potius omnia amittere et omnia pati quam id, quod Deo gratum, immo id, quod Deo gratius esse novimus, omittere. Primus gradus, cum simpliciter sit amor Dei super omnia et excludat affectum ad quodvis peccatum grave, sufficit ad iustificationem obtinendam et ad praeceptum caritatis implendum.

b. Fideles ergo, qui timent, ne creaturam (filium, sponsum) plus ament quam Deum, de amore Dei appretiative summo instruendi sunt eisque dicendum est, si praecepta sub gravi et a fortiori si etiam praecepta sub levi obligantia observant, de amore Dei, prout ad salutem requiritur, non esse dubitandum. Quodsi absque causa excusante ob amorem creaturae aliquod praeceptum violant, eorum amor inordinatus nec amor Dei appretiative summus est.

3. Caritas *dividitur* in *affectivam,* qua Deum (et proximum) actu interno amamus; et *effectivam* seu practicam, qua conamur praecepta observare et peccata vitare, quae duo sunt effectus caritatis internae.

---

[1]) Ioan. 15, 14.

55. Obiectum caritatis Dei. 1. *Obiectum materiale primarium* caritatis est ipse Deus, *secundarium* sunt creaturae gratiae et gloriae divinae capaces; idem ergo habitus infusus, qui inclinat ad diligendum Deum propter se, inclinat etiam secundario ad diligendum nosipsos et proximum propter Deum.

2. *Obiectum formale* seu motivum, propter quod utrumque obiectum diligendum est, est ipse Deus, summa eius bonitas. Hanc autem bonitatem Dei infinitam, quae est motivum caritatis theologicae, non constituit solum cumulus omnium perfectionum, sed singula etiam attributa Dei sive absoluta sive relativa: quodvis enim attributum Dei est ipse Deus, et dicit bonitatem et perfectionem infinitam.

a. Obiectum formale caritatis theologicae est bonitas Dei; etenim quia caritas est virtus theologica, eius obiectum formale debet esse ipse *Deus,* et quia est actus voluntatis, debet esse *bonitas* Dei. Iam vero bonitas Dei dupliciter considerari potest: *absolute,* prout est bonum in se, et *relative,* prout est bonum nostrum, nos beatificans. Posteriore modo considerata est obiectum spei; priore modo considerata est obiectum caritatis. Bonitas Dei absoluta iterum dupliciter considerari potest, prout complectitur essentiam divinam cum omnibus attributis, aut prout est singulare aliquod attributum divinum e. g. sapientia, benignitas. Sed cum attributa divina nec inter se nec ab essentia distinguantur, quodvis attributum Dei sive absolutum sive relativum includit omnem bonitatem divinam. Ideo obiectum et motivum formale caritatis est tum bonitas Dei, quatenus est quasi summa omnium attributorum, tum bonitas Dei, quatenus in qualibet perfectione divina, sive absoluta sive relativa, tota bonitas Dei infinita continetur.

b. Cum actus caritatis perfectae omnibus fidelibus necessarius sit necessitate medii, omnibus debet esse facilis et pervius; sed facilis redditur fidelibus actus caritatis, si Deum considerant sub ea ratione seu perfectione, sub qua magis ad amorem movet. Atqui magis ad amorem movent Dei attributa relativa quam absoluta: per illa enim summa et infinita Dei bonitas melius et perfectius nobis manifestatur. Et sane bonitas aptius relucet ex illis perfectionibus, quae Deum ostendunt ut patrem, redemptorem, sanctificatorem, ut eum, qui hominem per gratiam in filium adoptat et beatitudinis divinae participem efficit. Ex his ergo facilius ad caritatem movemur. Et haec est ratio, propter quam *s. scriptura* nos provocans ad caritatem divinam Deum nobis proponit sub ratione fortitudinis nostrae, gaudii et benefactoris nostri.

c. Cum *Iesus Christus* sit verus Deus, qui Iesum amat, ut est persona divina, elicit actum caritatis Dei. Sed nullibi splendidius bonitas divina se nobis manifestat, quam in incarnatione, passione et morte Christi Domini. Ideo non est facilior modus perveniendi ad actum caritatis divinae, quam considerando Dei benignitatem, qua se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium.

56. Praxis caritatis theologicae[1]. Caritas Dei plures actus habet, ideoque diversis modis exerceri potest:

a. Complacentia, qua gaudemus de bono, quod possidet: qui enim Deum diligit, vult bonum eius, et cum intelligat Deum possidere bona tum interna, scilicet summas et infinitas perfectiones, tum externa, scilicet gloriam ex mirabilibus eius operibus resultantem, gaudet de illis et exultat Deum esse infinite scientem, potentem, misericordem etc. Iste est actus amoris, quo Deus seipsum amat infinite gaudendo de bono suo infinito, et quo angeli et sancti Deum amant: Deum enim clare intuentes amore erga eum abrepti gaudent et exultant Deum esse tam immensum, tam incomprehensibilem *laetitia inenarrabili et glorificata*[2]).

b. Desiderio, quo optamus ei bonum, tum illud, quod possidet, tum illud, quod non possidet: qui enim Deum diligit, ei vult bonum, et cum intelligat Deum cumulatissime possidere omne bonum, infinitas nempe perfectiones, intimo affectu ei congratulatur, admirans eum laudat eique benedicit. Cum insuper intelligat esse bonum, quod non possidet, maiorem nempe gloriam externam, optat et desiderat, ut semper magis et perfectius cognoscatur et ametur ab omnibus creaturis suis. Ideo qui recitat *Gloria Patri,* qui orat: *sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua,* elicit totidem actus caritatis theologicae.

c. Dolore et tristitia de peccatis: qui enim Deo vult bonum, eo ipso odio habet, quod bono divino contrarium est, et cum intelligat peccata esse bono divino contraria, de eis tam propriis quam alienis tamquam malo Deo contrario tristatur eaque detestatur.

d. Amore effectivo, quo conamur Deo conferre et procurare gloriam externam: qui enim Deo vere et sincere vult bona et intelligit gloriam Dei esse bonum, quod possidere potest et nondum possidet, Dei cognitionem et dilectionem tum in se tum in aliis augendam et promovendam curat. Hinc zelus gloriae Dei et salutis animarum est exercitium caritatis erga Deum.

---

[1]) *Sporer-Bierbaum* I. tr. 2. n. 142 ss.

[2]) 1. Petr. 1, 8.

e. Amore oboedientiali: qui enim Deo vult bonum et intelligit bonum Dei augeri et promoveri eo, quod fiat, quod ipse vult et praecipit, in id intendit, ut Deo serviatur quam perfectissime tam a se quam ab aliis, eo quod serventur praecepta et vitetur peccatum saltem mortale. Ideo Christus: *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me. Si quis diligit me, sermonem meum servabit*[1]).

57. De efficacia caritatis. 1. Actus caritatis perfectae hominem per se sine sacramento, non tamen sine voto sacramenti *iustificat: Ego diligentes me diligo*[2]). *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum*[3]). *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*[4]). *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*[5]).

a. Voluntas suscipiendi sacramentum, quod est medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum a Deo institutum, in actu caritatis implicite continetur, quia in ea continetur voluntas servandi omnia praecepta.

b. Actus caritatis hominem iustificat non per modum causae efficientis, sed *per modum ultimae dispositionis*, qua posita Deus vi promissionis infallibiliter infundit gratiam sanctificantem.

2. Cum caritas sit actus amoris, quo Deus diligitur ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ipsa continet plenam subiectionem ac perfectam oblationem erga Deum, qua homo se subordinat Deo et se suaque omnia ad Deum refert.

Articulus secundus.

De necessitate caritatis Dei.

58. De ipsa necessitate caritatis. Caritas *habitualis*, quae cum gratia sanctificante inseparabiliter coniuncta est,

---

[1]) Ioan. 14, 15. 21. 23.
[2]) Prov. 8, 17.
[3]) Ioan. 14, 21.
[4]) 1. Ioan. 4, 7.
[5]) Luc. 7, 47.

omnibus tum adultis tum infantibus necessaria est necessitate medii ad salutem: nemo enim ad Deum venire potest sine gratia sanctificante et habitu caritatis. Hic autem quaeritur de necessitate eliciendi *actum* caritatis.

1. Caritas *actualis* in novo testamento non est necessaria *necessitate medii* ad iustificationem et salutem nisi in defectu sacramenti: etenim si adultus primo iustificationem acquirit per sacramentum baptismi vel poenitentiae, actus caritatis non est aeque necessarius atque actus fidei et spei, cum ad iustificationem obtinendam per sacramentum sufficiat dispositio per attritionem.

Attamen actus caritatis explicitus vel implicitus in contritione, qui in vetere testamento absolute necessarius erat ad iustificationem et salutem, in novo testamento *hypothetice* necessarius est *necessitate medii,* iis nempe, qui sacramenta baptismi aut poenitentiae suscipere nequeunt: nam extra sacramentum (excepto casu martyrii) non est aliud medium perveniendi ad iustificationem.

2. Caritas *actualis* necessaria est necessitate *praecepti divini:* exstat enim speciale praeceptum caritatis, quo tenemur diligere Deum super omnia caritate appretiative, non autem necessario etiam intensive summa.

a. Christus Dominus mandatum magnum caritatis nobis. iniungit his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum*[1]). Et sane cum Deus sit finis ultimus omnium rerum propter se summe amabilis, ordo rerum exigit, ut Deus a creatura amoris capaci propter se et super omnia ametur; ideo non potuit non praecipere hunc actum caritatis. Praeterea natura ipsa hominis tantae est perfectionis, ut quietari et plene beari non possit nisi in caritate Dei, summi boni, unde nota *s. Augustini* verba: *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*[2]).

b. Praeceptum caritatis est praeceptum *speciale* ab aliis distinctum; ideo ei non satisfit per solam aliorum praeceptorum observationem, sed per ipsum actum caritatis impleri debet. Sane exstant tres propositiones ab *Innocentio XI.* damnatae, ex quibus id praeprimis colligimus exsistere speciale praeceptum ab aliis distinctum eliciendi actum amoris Dei super omnia[3]).

[1]) Matth. 22, 37. 38. Cf. Marc. 13, 30. Deut. 6, 5.

[2]) Confess. l. 1. c. 1.

[3]) *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus* (5). *Probabile est, ne sin-*

Neque dicatur ex s. scriptura sufficere caritatem effectivam, non requiri affectivam, cum dicat: *Qui servat verbum eius, in hoc caritas Dei perfecta est*[1]). Cum enim hoc testimonium cum aliis s. scripturae verbis, quae caritatem affectivam praecipiunt, pugnare non possit, ita exponendum est: qui servat mandata, habet caritatem perfectam (internam et externam), quia observatio mandatorum effectus et signum est caritatis internae. Ceterum, qui non elicit actum caritatis, *non servat verbum eius* (Dei), quia negligit primum et maximum mandatum, quod est de caritate Dei affectiva.

c. Ad implendum praeceptum caritatis requiritur *caritas perfecta*, quae est amor benevolentiae: caritas enim, qua Deum diligere debemus, est actus amoris *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus;* est ergo amor perfectissimae speciei; atqui caritas, qua Deum diligimus propter se ipsum, perfectior est quam caritas, qua Deum diligimus propter bona nobis ab eo provenientia.

d. Super omnia: Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem . . . adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus[2]). Et sane Deum eo diligere debemus modo, qui respondet divinae bonitati, propter quam Deum diligimus; haec autem cetera omnia infinite superat.

e. Appretiative summa, quia infinita Dei bonitas postulat, ut Deum omnibus bonis creatis praeferamus. *Non intensive,* quia intensio amoris non tam respondet dignitati obiecti quam vivacitati apprehensionis et dispositioni naturali subiecti. Maxime tamen convenit, ut amor Dei etiam intensive maior sit amore creaturae.

Ergo non peccat, qui magis intense et magis sensibiliter amat filium, amicum, sponsam quam Deum, modo animo paratus sit omnia potius amittere quam Deum eiusque amicitiam, quia non requiritur amor intensive summus. Peccaret autem, qui ita animo dispositus esset, ut Deum non diligeret, si spes praemii non esset vel si timendus non esset infernus, quia non Deum, sed semetipsum vel beatitudinem suam constitueret finem ultimum.

59. Quando obliget praeceptum caritatis.

Praeceptum diligendi Deum est affirmativum et negativum; quatenus *negativum* est, prohibet odium Dei et amorem creaturarum ap-

---

gulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum (6). *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus* (7). Cf. etiam propositio 1. ab *Alexandro VII.* damnata (n. 45).

[1]) 1. Ioan. 2, 5.

[2]) Luc. 14, 26. Cf. Matth. 10, 37.

pretiative maiorem amore Dei; quatenus *affirmativum* est, praecipit actum amoris Dei. Cum praecepta affirmativa obligent certis temporibus, iam quaeritur, quoties et quando eliciendus sit actus amoris Dei. Porro quandoque elici debet *per se* seu ratione ipsius caritatis, quandoque *per accidens* seu ratione alterius praecepti adimplendi.

Per se obligat praeceptum diligendi Deum: *a.* Postquam homo *adeptus est usum rationis,* i. e. quando homo de Deo eiusque bonitate sufficienter instructus apprehendit obligationem Deum super omnia diligendi; quod tamen non mathematice de determinato tempore vel die, sed moraliter i. e. ita accipiendum est, ut post acquisitum usum rationis actus caritatis diu sine peccato differri non possit.

b. Saepius in vita: ex propositione (6) ab *Innocentio XI.* damnata certum est praeceptum diligendi Deum obligare saltem intra quinquennium; num saepius et quoties urgeat, determinari non potest.

Auctores de hac re diversa statuunt: alii enim dicunt singulis diebus dominicis et festis, alii cum *s. Alphonso* (l. 2. n. 8.) semel in mense, alii semel in anno, alii denique singulis trienniis eliciendum esse actum caritatis; at certi nihil statui potest. Quare enixe hortandi et monendi sunt fideles, ut frequenter actus virtutum theologicarum eliciant, sed dicendum non est eos vel singulis hebdomadibus vel singulis mensibus vel singulis annis ad id obligari, quia de hac obligatione determinate non constat.

c. In tentatione peccandi contra caritatem per odium Dei, id quod accidere potest in adversitatibus: etenim si actus caritatis est unicum medium, sine quo superari non potest tentatio, ex praecepto caritatis eliciendus est; raro autem fiet, ut actus caritatis sit unicum medium, quo repellatur tentatio.

Ceterum cum praecepto caritatis aeque ac praecepto fidei et spei satisfieri possit per actum caritatis virtualem, non est necesse, ut poenitentes interrogentur, num praeceptum caritatis Dei impleverint. Qui enim christiane vivunt, frequenter eliciunt actus caritatis, etsi non advertant se illos elicere e. g. dum servant praecepta et vitant peccata, ne Deo displiceant; dum desiderant, ut omnes Deum colant; dum orant, ut sanctificetur nomen eius, adveniat regnum eius, fiat voluntas eius etc.; qui autem impie vivunt, ad ipsam obligationem non advertunt, ideoque formaliter non peccant.

Nota. Sunt, qui addant eliciendum esse actum caritatis:

a. In articulo mortis. Hanc obligationem *s. Alphonsus* probabilissimam dicit, eo quod tunc „securissima via eligenda sit"; verum haec obligatio exsistit solum pro iis, qui in peccato mortali sunt et sacramentum suscipere non possunt. Ceterum necesse non est, ut via securissima, sed sufficit, ut simpliciter secura et tuta eligatur.

b. Quando homo per peccatum mortale *amisit habitum caritatis.* Attamen obligatio, qua peccator, qui per attritionem in sacramento poenitentiae iustificatus est, statim aut mox postquam adeptus est iustificationem, teneatur elicere actum caritatis, nullo probabili argumento demonstrari potest. Immo qui hanc obligationem nimis urgent, contra concilium tridentinum[1]) affirmare videntur attritionem cum sacramento ad veram iustificationem non sufficere, vel absque sufficienti motivo statuunt speciale praeceptum omnes nostras actiones ex motivo caritatis referendi ad Deum[2]).

60. Per accidens urget obligatio eliciendi actum caritatis: *a.* Quando aliquis indiget statu gratiae et non potest suscipere sacramentum, ut cum exsistens in peccato mortali administrare debet sacramentum vel recipere sacramentum vivorum, vel quando aliquis constitutus est in periculo mortis nec adest copia confessarii: nam ad statum gratiae pervenire non potest, nisi eliciat actum caritatis vel contritionis perfectae, in quo actus caritatis continetur.

b. Quando aliquis reperitur in gravi tentatione contra aliam virtutem, quae tentatio removeri non possit nisi elicito actu caritatis, ut si quis aut fidem negare deberet aut mortem subire.

Nota. 1. Parochi, magistri et parentes curare debent, ut pueri et rudes in virtutibus theologicis eliciendis apte instruantur. Quare non solum veritates revelatae exponendae sunt, sed simul addendum est illas veritates a Deo esse revelatas et Deo revelanti nos credere debere. Pari modo instrui debent circa finem, ad quem a Deo creati sint, et ut facilius ad amorem Dei excitentur, sub eo respectu eis proponendus est Deus, sub quo efficacius ad amorem provocat (n. 55).

2. Nihilominus censet *Lugo* etiam illos fideles, quibus solum dicitur filium Dei incarnatum, Christum pro nobis mortuum esse, quin

[1]) Sess. 14. c. 4.

[2]) Cf. *De principiis* n. 85.

addatur Deum haec revelasse, „regulariter elicere actus fidei divinae", quia hanc doctrinam confuse concipiunt ut aliquid suprahumanum et divinum[1]).

61. Virtutum theologicarum moralis valor. 1. Virtutes theologicae (ut actus) summae sunt dignitatis atque excellentiae: cum enim earum obiectum immediatum sit ipse Deus, homo per virtutes theologicas intellectu et voluntate intime cum Deo eiusque perfectionibus coniungitur.

2. Si invicem comparentur *ratione originis,* prima est *fides:* nisi enim praecedat summi boni cognitio, nec desiderium nec dilectio eius possibilis est; secunda (ordinarie) est *spes:* qui enim novit summa bona in coelo sibi esse proposita, fiducialiter in ea tendit, ut inde beetur; tertia est *caritas,* quae Deum propter summam amabilitatem amore benevolentiae amplectitur. *Ratione dignitatis* prima est caritas: α. natura sua est intima et purissima coniunctio cum summo bono; β. immediate ad recipiendam gratiam sanctificantem disponit eamque inseparabili nexu comitatur; γ. amissa caritate fides et spes virtutes informes sunt, quae a caritate habituali informari debent, ut hominem faciant simpliciter bonum eiusque virtutes meritorias; insuper fidem et spem perficit, quia virtutibus, quae ex caritate fiunt, singularem dignitatem atque splendorem confert; δ. fides et spes sunt virtutes status viae; caritas est virtus patriae; ideo fides in statu termini transit in visionem, spes in possessionem, et sola manet caritas[2]).

3. *Si in se considerantur. Fides* est plenum intellectus et voluntatis obsequium Deo revelanti exhibitum: voluntas enim reverenter oboediendo creatori fidem praecipienti determinat intellectum ad amplectendam veritatem, in se quidem obscuram, attamen hominem elevantem supra id, quod naturali lumine cognosci potest[3]). *Spes,* quatenus desiderium est, hominem a terrenis voluptatibus divellit eumque ad spiritualem beatitudinem alterius vitae dirigit; quatenus fiducia est, homo per eam in Dei bonitate eiusque gratia plene confidens quiescit. *Caritas* summum bonum perfectissimo modo amplectitur hominemque cum Deo intime coniungit; ipsa christianam perfectionem constituit, et cum caritas non possit esse segnis atque otiosa, hominem movet et excitat ad virtutes sedulo exercendas; *plenitudo autem legis est dilectio*[4]).

---

[1]) Cf. *Lugo,* De virtute fidei div. disp. 1. n. 126.

[2]) 1. Cor. 13, 8.

[3]) Cf. *Concilium vatic.* const. de fide c. 3.

[4]) Rom. 13, 10.

Articulus tertius.

De peccatis contra caritatem Dei.

62. Quae sint peccata contra caritatem Dei. *a.* Omnia quidem peccata mortalia aliquo modo sunt contra caritatem Dei, quia quodvis peccatum grave destruit habitum caritatis, et est virtualis aversio a Deo, cum sit conversio ad rem creatam; quaedam autem sunt peccata, quae, utpote formalis aversio a Deo, directe caritati Dei adversantur.

b. Peccata directe caritati Dei opposita committuntur vel *omissione,* quando omittitur actus caritatis ex speciali praecepto caritatis eliciendus, vel *commissione,* si ponitur actus praecepto caritatis prohibitus. Huiusmodi actus sunt *odium Dei* et *acedia,* de qua iam sermo erat[1]).

De peccato omissionis non est, cur confessarii sint solliciti: qui enim christiane vivunt, illud non committunt, qui autem officia christiana diu penitus negligunt, propter inadvertentiam materialiter tantum peccant.

63. De odio Dei. 1. *Odium* est actus voluntatis, quo haec aliquod obiectum aversatur ut malum. Duplex distinguitur odium: abominationis et inimicitiae; illud opponitur amori concupiscentiae, hoc amori benevolentiae et amicitiae.

a. Odium *abominationis* illud est, quo aliquid aversamur ut nobis vel nostris malum. Odium abominationis distinguitur duplex: odium abominationis *personae,* quo personam ipsam ut nobis malam aversamur; et odium abominationis *qualitatis*, quo qualitatem personae ut nobis malam aversamur.

b. Odium *inimicitiae* seu malevolentiae illud est, quo aliquid (personam) aversamur, quia in se malum est, vel quo alicui personae volumus malum, ut ei male sit. Sic

---

[1]) Cf. *De principiis*[7] n. 349.

pessimi homines inimicis suis optant et procurant interitum, etsi ipsi nullum commodum inde accipiant.

2. *Odium Dei* est actus, quo quis aversatur Deum apprehensum ut malum. *Odium abominationis Dei* est actus, quo quis aversatur Deum apprehensum ut malum sibi vel alteri amato. *Odium inimicitiae Dei* est actus, quo quis Deo vult malum, ut ipsi male sit, seu quia ipsi malum est.

Ergo odio inimicitiae Dei peccat: *a.* qui vult Deum non esse vel Deum non esse omnipotentem, omniscium, iustum etc.; *b.* qui tristatur de eius perfectionibus vel gaudet de eius offensa, praecepta Dei violat vel persequitur opera Dei, quia id Deo displicet. Hoc modo diabolus optat et, quantum potest, procurat Deo malum, quia Deo malum est, etsi sciat se inde nullum commodum percipere.

64. Eius malitia. *a.* Odium Dei est *peccatorum omnium gravissimum,* quia directe opponitur omnium virtutum excellentissimae ideoque ipsi infinitae Dei bonitati; et odium quidem inimicitiae gravius est odio abominationis, quia illud adversatur bonitati Dei internae, quae ut mala falso apprehenditur, hoc vero bonitati Dei externae i. e. alicui effectui a Deo procedenti, qui ab homine ut sibi malus et contrarius apprehenditur.

Ut hoc peccatum odii committatur, requiritur, ut abominatio et indignatio tendat in ipsum Deum: si enim affectus aversionis et indignationis non refertur ad Deum, sed ad res adversas sine respectu ad Deum, non erit peccatum odii, sed impatientiae vel odii in proximum.

b. Odium Dei *non admittit parvitatem materiae,* sed omnis actus odii et omnis affectus pravus erga Deum, modo sit deliberatus, est mortale peccatum, eo quod directe opponitur summae Dei bonitati. Quando autem odium Dei cum blasphemia, exsecratione vel actu persecutionis contra ecclesiam coniungitur, manifesto duplex peccatum committitur.

Quaestio secunda.

De caritate sui[1]).

Articulus primus.

De natura caritatis sui.

65. Notiones. 1. Distingui debet amor sui, qui est *innatus appetitus*, et amor sui, qui est *actus moralis*. Homo naturali necessitate fertur in propriam conservationem, perfectionem propriamque felicitatem, quam cum assequi non possit, nisi adsciscat id, quod sibi bonum est, naturali necessitate fertur in id, quod sibi bonum est; sed velle sibi bonum seipsum diligere est. Iam si homo sibi vult bonum per actum, qui a deliberata voluntate procedit, iste actus est *amor sui moralis*.

2. In actibus amoris distingui debet condicio necessaria ex parte obiecti et motivum formale. Homo enim nequit appetere, nisi quod voluntati repraesentatur ut bonum et conveniens appetenti. Potentia enim nequit moveri ad actum nisi a proprio suo obiecto; atqui voluntatis proprium obiectum est id, quod volenti bonum et conveniens est. Sed id, quod appetens cognoscit et cognoscere debet suum bonum esse, appetere potest, aut quia suum bonum est, aut quia in se, aut quia alteri bonum est. Quare omnis actus amoris implicite amor proprius est, quatenus in omni actu amoris amor proprii boni ut condicio necessaria continetur, non autem explicite, quatenus motivum formale amoris bonum proprium sit; id quod in solis actibus amoris concupiscentiae locum habet.

---

[1]) *Lehmkuhl* I. n. 569—590. *Göpfert* II. n. 1—10. *Th. Meyer*, Institutiones iuris natur. (Friburgi. Herder. 1900) II. n. 29—47. *V. Cathrein*, Moralphilosophie[4] (Freiburg. Herder. 1904) II. S. 46—54. *E. Müller*, Theologia moralis[7] (Vindobonae. Mayr. 1894) II. p. 86 ss.

3. Amor sui dicitur *naturalis* ratione obiecti, si tendit in perfectionem et felicitatem naturalem, et ratione principii, si solis naturae viribus elicitur; dicitur *supernaturalis* ratione obiecti, si tendit in perfectionem et felicitatem supernaturalem, quae in bonis gratiae et gloriae consistit, et ratione principii, si auxilio gratiae elicitur.

Cum amor sui *naturalis* eo tendat, ut homo sibi procuret bona naturae et mala naturae vitet, amor iste lege divina regi debet, ne quaerat bona, quae sensibus quidem placent, sed spiritui nocent, neve mala vitet, quae ferri debent, ut homo finem suum assequatur.

4. Amor sui supernaturalis est *amor spei,* si homo diligit Deum, aeternam beatitudinem suam, propter se, ut sibi benè sit; et est *caritas theologica,* si semetipsum propter Deum diligit, quia nempe particeps gratiae et gloriae et sic veluti de familia Dei est.

Fundamentum et condicio amoris moralis et caritatis erga seipsum est congrua *aestimatio sui* (Selbstachtung), qua nosmetipsos secundum dignitatem naturalem personae et secundum dignitatem supernaturalem filiorum Dei et heredum vitae aeternae cognoscimus. Quae tamen sui aestimatio non impedit contemptum et *despicientiam sui* (Selbstverachtung), quam christiana religio tamquam exercitium humilitatis nobis commendat: humilitas enim fundatur in agnitione eorum, quae in nobis *ex nobis* sunt; caritas autem erga nosmetipsos fundatur in cognitione eorum, quae in nobis *ex Deo* sunt.

Articulus secundus.

De praeceptis caritatis sui.

66. De ipsis praeceptis. 1. Exsistit praeceptum divinum nosmetipsos caritate theologica diligendi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*[1]*:* quibus verbis sin minus explicite certe virtualiter caritas theologica erga nos ipsos praecipitur, cum supponatur hominem debere seipsum diligere, ut ad similitudinem huius dilectionis proximum diligat. Insuper tenemur Deum diligere super omnia; sed caritas Dei, si vera est, naturaliter inducit ad diligenda ea omnia, quae Dei sunt, praecipue vero filios Dei adop-

[1]) Matth. 22, 39.

tivos seu membra familiae eius; ergo extendi debet etiam ad nos et alios Dei filios.

2. Vi huius obligationis tenemur *in genere* velle et procurare nobis bona supernaturalia gratiae et gloriae et bona naturalia tum spiritualia tum corporalia interna et externa, et quoniam a natura nobis inditus est cum appetitu propriae conservationis appetitus propriae perfectionis et beatitudinis, a natura ipsa incitamur ad maiora semperque maiora bona tum animae tum corporis nobis comparanda. Nihil obstat, quominus hunc appetitum sequamur, dummodo honestatis normae in omnibus serventur[1]). Quae vero bona *in specie* nobis velle et procurare teneamur, erui debet ex fundamentali obligatione tendendi in finem ultimum vitae aeternae seu volendi et procurandi nobis beatitudinem aeternam.

a. Quoad *bona supernaturalia* tenemur: α. *cognoscere* ultimum finem nostrum et ea, quae necessitate medii et praecepti scitu necessaria sunt, ut vitam homine christiano dignam agere possimus; β. *procurare* nobis vitam supernaturalem, gratiam scilicet sanctificantem et media, quae ad eam conservandam atque augendam necessario requiruntur, insuper merita per observationem mandatorum, sine quibus ad Deum perveniri non potest.

Sed praeter ea, quae sub gravi praecepta sunt, non tenemur ex caritate erga nos sub gravi per opera bona et exercitium virtutum comparare nobis ulteriora merita et maius augmentum gratiae et gloriae; caritas tamen erga nos suppeditat nobis efficax motivum sedulo incumbendi in exercitium virtutum atque operum bonorum.

Tenemur ergo *etiam* ex caritate erga nos ea discere, quae necessitate medii et praecepti scitu necessaria sunt, in mortis periculo comparare nobis statum gratiae, conversionem ad notabile tempus non differre, quia status peccati diu protractus quandam fere necessitatem inducit augendi peccata[2]), eas virtutes et ea opera bona exercere, quae a praeceptis sub gravi obligantibus praescribuntur; ad opera autem

[1]) *Mausbach,* Kernfragen III. Weltflucht und Weltarbeit (M.-Gladbach 1903).

[2]) *S. Thomas* I. II. q. 109. a. 8.

supererogatoria sub gravi non tenemur, alias non essent supererogatoria.

b. Quoad *bona spiritualia* tenemur eam mentis et voluntatis perfectionem atque culturam prosequi, quae necessaria est, ut finem ultimum sine difficultate obtinere et officia status convenienter implere possimus. At stricta obligatio ulteriores cognitiones nobis comparandi non datur, etsi intellectum perficiant nobisque utiles sint: cum enim ad finem ex praecepto obtinendum non sint necessariae, non exsistit eas acquirendi praeceptum, sed solum consilium. Iam quaeritur, quae sit obligatio eligendi *certum vitae statum.*

α. Cum hodie aucta universali cultura singuli officia sua implere vix possint, nisi uberiores cognitiones sibi comparaverint, occasione eas sibi comparandi per aptas scholas sibi oblata uti tenentur.

β. Enixe omnes hortandi atque monendi sunt, ut facultates suas intellectuales et morales, quantum fieri potest, excolant atque perficiant. Nam hoc modo non solum finem huius vitae aptius et perfectius assequentur, sed etiam ad aliorum utilitatem atque ad bonum commune uberius conferre possunt. Accedit, quod ii, qui melius instructi sunt, seductionibus incredulorum facilius resistunt, dummodo cum cultura mentis etiam educatio voluntatis et morum coniungatur.

c. Quoad *bona corporalia* tenemur mediis ordinariis conservare propriam vitam et sanitatem procurando nobis *cibum, indumentum* et *habitationem.*

α. In *cibum* homini nunc inservire possunt omnia alimenta ad vitam sustentandam apta; quoad qualitatem quidem nulla facta distinctione inter cibos mundos atque immundos, ex vegetabilibus vel animalibus sumptos; quoad quantitatem vero servato ordine temperantiae, quo cavetur, ne ex usu cibi et potus corporis sanitas vel mentis vivacitas damnum patiantur.

β. *Indumentum* triplici fini inservit: ut noxium aëris influxum arceat, ut pudicitiae consulat, ut generis ac status distinctionem ostendat. Quodvis indumentum, quod hisce finibus, quantum oportet, satisfacit, moraliter honestum est. Proprii aevi propriaeque nationis mores in hac re sequi et licet et decet, semper tamen caveri debet uterque excessus, quem s. Hieronymus his verbis castigat: „ornatus et sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet“[1]).

[1]) Ep. 52. n. 9.

γ. *Habitatio* ad vitam et sanitatem conservandam, ad pudicitiam tuendam, ad vitam domesticam inter membra familiae commode agendam apta esse debet. Cum hodie ex facto constet miseras habitationes, quas pauperes et operarii praesertim in magnis civitatibus passim incolunt, tum vitae corporali tum vitae morali plurimum nocere, monendi sunt ii, quorum interest, ut haec nocumenta per aptas operariorum habitationes removere studeant[1]).

δ. Ad vitam corporis et animae conservandam perficiendamque summi momenti sunt necessariae *recreationes*, quae omnes licitae sunt, dummodo modestiae ac pudicitiae leges non violent et quoad adiuncta temporis, durationis et modi secundum rationem ordinatae sint. Ex his ludi corporei atque exercitia gymnastica (Sport), praesertim iuvenibus, enixe commendari debent, quia haec plurimum conferunt, ut mens sana in corpore sano educetur et conservetur, dummodo in iis peragendis debitus modus custodiatur. Ludi enim atque exercitia, quae cum defatigatione corporis apte peraguntur, non solum recreationi inserviunt, sed etiam ad virtutes castitatis et temperantiae servandas atque augendas conducunt. Quare non est, cur pastores animarum a societatibus ludendi atque exercendi causa institutis (Sportvereine) abhorrere debeant, sed eas potius promovere et iuxta normas honestatis et religionis dirigere conentur[2]).

d. Bona externa personae sunt honor et fama. *Honor late* est bona alicuius existimatio fundata in eius excellentia. *Honor stricte* est testificatio externa bonae illius existimationis. *Fama* est publica existimatio excellentiae alicuius.

α. Lege naturae tenemur propriae famae curam habere eam custodiendo, ne amittatur, eamque recuperando, si amissa fuerit.

Fama bonum est maximi momenti tum pro ipsa persona: cum enim sit fructus virtutis, multum confert ad virtutem servandam et ad vitium amovendum ob timorem amittendi bonam famam; tum pro vita sociali, quia fiduciam aliorum conciliat, aditum ad munera publica pandit atque ad officia fructuose obeunda necessaria est. Ideo s. scriptura monet: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni*[3]). Attamen haec obligatio ordinarie levis tantum est, et cum fama non sit bonum supremum,

---

[1]) Cf. Stimmen a. M. L.: *Pesch*, Reform des Wohnungswesens 1903 S. 251. Die Wohnungsfrage in ihren Ursachen 1903 S. 524.

[2]) Cf. *Stöhr-Kannamüller*, Handbuch der Pastoralmedizin. (Freiburg. Herder. 1900) S. 184 ff.

[3]) Eccli. 41, 15.

intuitu maioris boni licite etiam negligi potest, nisi spectata hominis condicione necessaria sit.

β. Sine rationabili causa non licet se ipsum infamare: ex iusta causa vero, praesertim virtutis, *per se* licitum est, sicut ex rationabili causa licitum est bonorum fortunae iacturam pati.

Seipsum sine causa diffamare non est quidem *contra iustitiam*, quia homo est dominus suae famae; quare seipsum infamando nemini facit iniuriam; neque est *contra caritatem*, quia caritas non obligat ad conservanda bona externa, nisi quatenus necessaria sunt ad conservanda bona interna vel spiritualia vel corporalia; sed est vitium prodigalitatis *contra liberalitatem* (per excessum), quod tamen peccatum veniale non excedit. Grave esse potest sive contra caritatem sive contra iustitiam, si fama muneri obeundo necessaria est vel si alii inde damnum patiuntur.

e. Ea *bona externa fortunae* nobis comparare tenemur, quibus indigemus, ut officia tum individualia tum socialia commode implere possimus: qui enim tenetur ad finem, ex eodem praecepto tenetur etiam ad media necessaria. Sed praeter bona ad hunc finem moraliter necessaria, nulla *obligatione* tenemur quaerere maiorem bonorum copiam vitaeque prosperitatem. *Licet* tamen unicuique sibi comparare bona abundantiora, dummodo in eorum quaestu et usu servet normas morales. Cum medium comparandi sibi necessaria bona externa sit labor, hoc loco se offert occasio inquirendi, num exsistat *obligatio laborandi*.

67. De obligatione amplectendi certum vitae statum[1]). 1. *Status,* prout hic accipitur, est certa vitae condicio ex causa permanente stabilitatem habens. Distinguitur status *civilis* et *ecclesiasticus,* prout ad societatem civilem vel ecclesiasticam pertinet. Sic iudex, advocatus, medicus, operarius statum civilem habet, quia electione facta stabilem (etsi mutabilem) vitae condicionem in societate civili obtinet; christifidelis, sacerdos, religiosus statum ecclesiasticum occupat, quia suscepto baptismo vel ordine sacro vel emissa professione religiosa stabilem (et

[1]) *Krier*, Der Beruf[3] (Freiburg. Herder. 1899).

immutabilem) vitae condicionem in societate ecclesiastica amplexus est.

2. Cum specialis Dei vocatio ad determinatum vitae statum, si a statu clericali, religioso et virginitatis in saeculo praescinditur, non exsistat, unusquisque eum eligere potest, quem consideratis qualitatibus personae et adiunctis externis vitae, familiae, societatis sibi aptum iudicaverit, ut vitam conservare atque perficere et salutem suam operari possit. Ceterum hic non agitur de statu, quis vel quomodo eligendus sit (de hac re ascetae tractant), sed de quaestione, num pro singulis hominibus exsistat obligatio eligendi aliquem statum sive ecclesiasticum sive civilem atque in eo vitam degendi.

a. Magna *utilitas,* quae ex certo vitae statu hominibus provenit, manifesta est, tum quia status determinatum modum praebet, quo homo activitatem suam in propriam et aliorum utilitatem exercere atque ab otio cavere possit, cui facile indulgent, qui absque vitae statu vagantur, tum quia optimum medium est operandi suam salutem: qui enim officia religionis christianae et status sui diligenter implet, de salute animae suae securus esse potest.

b. Obligatio eligendi certum vitae statum ex duplici capite oriri potest: α. *Ex caritate sui* seu ex obligatione operandi propriam salutem. Hinc qui intelligit statum matrimonialem vel statum religiosum sibi esse medium salutis necessarium, eum eligere tenetur. β. *Ex pietate* seu ex obligatione subveniendi parentibus in egestate positis. Hinc qui intelligit se officiis suis satisfacere non posse, nisi statum patris (agricolae, fabri etc.) amplectatur, eum eligere tenetur.

Ideo peccare potest (non tamen iniuria in societatem humanam), qui non utitur opportuna occasione comparandi sibi vitae statum, qui facultates suas sive spirituales sive corporeas, cum possit, non excolit, nec scientias et artes addiscit, quibus ad certum vitae statum sese aptum efficiat.

Nota. Ad satisfaciendum hisce praeceptis caritatis comparandi nobis bona necessaria sive supernaturalia sive naturalia necesse non est, ut *ex motivo caritatis* agamus.

Articulus tertius.

De praecepto laborandi[1]).

Labor manualis, quem ethnici in genere ut rem ignominiosam contemnebant, nedum contemptibilis, sed potius lege naturae praeceptus, exemplo Christi atque Apostolorum nobilitatus et proinde unicuique summo decori est.

67*. Praenotiones. 1. Nomen *laboris* latiore et strictiore sensu accipitur: *latiore* sensu intelligitur quaevis occupatio, sive corpore sive mente exercetur, sive utilis est aliis sive inutilis; *strictiore* sensu intelligitur activitas humana tum corporalis tum spiritualis, qua bona producuntur aliquo modo proficua.

Priore sensu etiam oratio tum vocalis tum mentalis, exercitia pietatis, opera misericordiae in proximum et eiusmodi nomine laboris censentur, in genere quaevis activitas humana, ea sola exclusa, quae mere delectationis causa suscipitur. Altero sensu solus labor productivus et lucrativus labor vocatur, qui ipsi laboranti vel aliis vel societati utilis est, et proinde etiam „labor socialis" dicitur.

2. Sunt, qui contendant omnibus et singulis hominibus, qui ad hoc apti sunt, impositum esse praeceptum naturale et divinum laborandi, non quidem semper labore productivo et lucrativo, sed tamen labore serio et constanti, ordinarie per maiorem diei partem exantlato. — Etsi non exsistat praeceptum divinum omnes et singulos homines directe obligans ad laborem, exsistit tamen praeceptum universale laboris pro genere humano, adeo ut labor ad officia vitae humanae pertineat; indirecte autem labor plus minusve omnibus et singulis praecipitur.

3. Labori convenit *a. momentum sociale,* cum prosperitatem temporalem gignat, culturam perficiat et vitae commoda augeat; *b.* momentum *morale,* cum sit medium exercendae virtutis et abnegationis; *c.* momentum *supernaturale,* cum Christo salvatori nostro, qui in laboribus erat a iuventute sua, nos similes reddat.

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 187. a. 3. Litterae encyclicae *Leonis XIII.* De condicione opificum: *Rerum novarum* 15. maii 1891. *Ed. Génicot,* Theologiae moralis institutiones[4] (Lovanii. Polleunis et Ceuterick. 1902) I. n. 365. *S. Weber,* Evangelium und Arbeit. (Freiburg. Herder. 1898).

68. Unde oriatur obligatio laboris. 1. Ex compluribus rationibus vera exsistit obligatio laborandi, quae plus minusve unumquemque adstringit.

a. Ex praecepto conservandae vitae. Obligatio laborandi certe oritur ex officio vitae mediis ordinariis conservandae: cum enim plerique homines careant mediis vitae aut simpliciter aut convenienter tuendae necessariis, nisi iugi labore ea sibi comparent, labor autem sit medium ad hunc finem aeque ordinarium ac necessarium, omnes adstringuntur obligatione subeundi laborem, qui aliunde non habent sufficientem bonorum copiam, quibus honeste se alere possint.

α. Praeceptum laborandi exigit quidem, ut homo labore viribus suis proportionato sibi comparet media necessaria, quibus vitam dignitati naturae humanae convenientem degere possit; minime vero exigit, ut abundantiorem rerum copiam sibi procuret, quibus etiam commodis et deliciis illarum nationum frui possit, quae a materiali cultura atque progressu praecipue laudantur.

β. Sicut a praecepto laborandi, quatenus ex hoc capite oritur, immunes sunt ii, qui vitae conservandae necessaria iam habent, ita ab eodem immunes sunt, qui aliorum pietate aluntur, etsi proprio labore victum necessarium sibi comparare possent ut religiosi, qui mendicato vivunt: labor enim non propter se praecipitur, sed ut medium tuendae vitae necessarium; pro iis ergo, qui vitae necessaria aliunde accipiunt nec otio indulgent, cessat praeceptum proprio labore ea quaerendi.

γ. Praeter obligationem tuendi propriam vitam, necessitatem laboris in compluribus hominibus inducunt alia praecepta, quae sine multiplici labore observari non possunt, ut parentum filiorumque officia pietatis, clericorum officia religionis etc.

b. Ex obligatione vitandi otii. Otium hominem exponit imminenti periculo labendi in varia peccata: etenim teste experientia haec est corruptae naturae humanae condicio, ut vita otiosa quamplurimis vitiis foedetur, id quod s. scriptura his verbis significat: *multam malitiam docuit otiositas*[1]); sed vitandi otii unicum medium est labor: tenetur ergo homo ad vitanda peccandi pericula, quae ex otio nascuntur, in honestum aliquem laborem incumbere.

---

[1]) Eccli. 33. 29.

Patet ad hanc obligationem implendam sufficere quemcunque laborem, etsi nemini utilis sit, ut exemplo suo nos docent anachoretae; at certe non sufficit occupatio, quae in meris ludis et recreationibus consistit: experientia enim teste ii, qui meris deliciis et voluptatibus aucupandis intenti sunt, non minus vitiis foedantur atque illi, qui otio dediti sunt.

2. *Num ex praecepto positivo divino.* Quamvis labor naturae humanae apprime conveniat[1]) eamque nobilitet atque perficiat, econtra otium et desidia hominem dedeceant, affirmari tamen nequit praeceptum divinum laboris, praesertim lucrativi, independens ab aliis obligationibus omnibus omnino hominibus in sacra scriptura iniunctum esse.

a. Praeceptum naturale laborandi neque ex innata ad operandum propensione, neque ex destinatione generis humani ad culturam, quam aliter assequi non possit nisi indefesso hominum labore, neque ex animi tranquillitate, quam parit labor, dum econtra otium generat fastidium, demonstratur. Summa autem laboris convenientia atque utilitas hominumque naturalis ad operandum destinatio recte ex his rationibus infertur.

b. Multa quidem habentur testimonia s. scripturae, tum v. tum n. testamenti, quibus labor summis laudibus extollitur et enixe commendatur[2]), nullum tamen, quo ipse labor qua talis stricte praecipitur.

α. Verba geneseos: *In sudore vultus tui vesceris pane*[3]) non significant nullum hominem ea, quae ad vitam necessaria sunt, licite consequi posse nisi arduo labore, sed indicant poenam generi humano propter peccatum impositam, scilicet genus humanum, quod vitae alendae necessaria ante peccatum in paradiso terrestri facili et amoeno labore abunde obtinuisset, postea in poenam peccati solum arduo labore obtenturum esse. Simili modo intelligenda sunt verba: *in dolore paries filios*[4]).

β. Verba apud Iob (5, 7): *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum* alium prorsus habent sensum; siquidem *labor* ex contextu significat aerumnas et dolorem, adeo ut sensus sit vel iste: sicut avis ad volatum, ita homo nascitur ad dolorem, vel iste: sicut avis naturâ ad volandum, ita homo naturae propensione incitatur ad peccatum, ex quo aerumnae et dolores oriuntur[5]). Extra contextum verba citata

[1]) Gen. 2, 15.

[2]) Prov. 22, 29; 31, 13 ss. Eccl. 11, 6; 9, 10; Eph. 4, 28; 1. Thess. 4, 10; 2. Thess. 3, 10. 12.

[3]) Gen. 3, 19.

[4]) Gen. 3, 16.

[5]) Cf. *Knabenbauer,* Commentarius in librum Iob (Parisiis. Lethielleux. 1886).

hunc sensum habent: sicut avis naturali instinctu ad volandum, ita homo naturali propensione ad motum et laborem incitatur.

γ. Verba autem *s. Pauli: Si quis non vult operari, nec manducet*[1]) de iis intelligenda sunt, qui, cum nihil agerent, sed otio indulgerent, alieno sumptu vivere volebant, hos nempe ne cibo quidem dignos esse[2]).

3. *Num ex obligatione conferendi ad bonum commune.* Serius hominum labor, is praesertim, qui in artibus et scientiis excolendis impenditur, multum quidem confert ad promovendam societatis humanae prosperitatem et culturam, quare iis, qui rerum necessariarum copia fruuntur, eiusmodi labor nunquam satis commendari potest; at stricta obligatione labore suo conferre ad culturae progressum homo non tenetur. Nec ullum proferri potest argumentum, quo demonstretur singulos homines stricte obligari, ut pro viribus conferant ad promovendum progressum socialem. Ceterum quid singula societatis membra ex obligatione ad commune bonum atque ideo ad procurandam et promovendam temporalem societatis prosperitatem conferre debeant, praecepta caritatis et praecepta ab auctoritate publica in bonum commune lata determinant.

69. De iure ad laborem. Cum obligatione laborandi cohaeret *ius ad laborem,* quod socialistae male interpretantur. Condiciones sociales et oeconomicae nostri temporis efficiunt, ut subinde quamplurimi operarii labore et proinde etiam necessaria sustentatione careant. Ideo socialistae *ius ad laborem* proclamant, quo iure sive homines privati sive respublica teneantur operariis labore carentibus quovis tempore suppeditare occasionem laborandi lucrandique mercedem, qua vivere possint. De qua re haec notasse iuvat:

a. Unusquisque habet *ius laborandi* i. e. ius habet iustis mediis quaerendi sibi licitum laborem eumque exercendi, et proinde ius habet exigendi, ne ab aliis in exercitio huius iuris impediatur. Hoc ius fundatur in alio iure, conservandi et perficiendi vitam, ad quem finem labor oeconomicus in genere prorsus necessarius est.

---

[1]) 2. Thess. 3, 10.

[2]) *B. Iustiniani,* Explanationes in omnes b. Pauli Ap. epistolas, in hunc locum. *G. Estius,* Commentaria in omnes b. Pauli epistolas in hunc locum.

Ergo iniuria irrogatur laborare volenti, si impeditur, quominus pro lubitu laborem quaerat atque exerceat, id quod fit a socialistis praesertim in operistitiis. Potestati autem civili incumbit obligatio tuendi ius laborandi illius, qui sponte iure suo non cedit.

b. Ius *ad laborem* i. e. ius exigendi, ut alius (sive privatus sive respublica) ipsi laborem praebeat vel procuret, nemo habet, etsi mediis ad sustentationem necessariis careat. Qui enim labore caret et simul sustentatione, nequit iure a proximo exigere, ut sibi laborem praebeat (ex caritate tamen quandoque proximus ad id teneri potest): obligatio in omni casu suppeditandi laborem lucrativum adversatur iuri proprietatis. Sed neque potestas politica ei laborem praebere aut procurare tenetur, cum ad eius officium non pertineat, ut bonum temporale singulorum procuret.

c. Quodsi multitudo eorum, qui labore carent, tanta sit, ut inde bonum commune detrimentum patiatur, tenetur potestas publica ex iustitia legali, ne bonum commune in periculum adducatur, occasionem laborandi eis procurare.

Nota. Iuri et obligationi laborandi respondet ius et obligatio ad religiosas ferias. Neque enim vita corporis salva conservari nec salus animae in tuto collocari potest, nisi statis temporibus corpori quies concedatur, ut anima per orationem et religiosarum veritatum contemplationem aeternae saluti prospicere possit. Quam ob rem Deus praecepit: *Sex diebus operaberis . . septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo*[1]).

Articulus quartus.

De peccatis contra caritatem sui.

70. Quae sint haec peccata. 1. Quodvis peccatum adversatur *in genere* caritati sui, quia quovis peccato malum nobis inferimus: *qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae*[2]).

2. Contra caritatem sui *in specie* committitur peccatum:

a. per excessum peccato *egoismi,* quo quis proprium commodum in actionibus suis ita quaerit, ut illud etiam bono divino (gloriae Dei) et bono publico praeferat.

---

[1]) Ex. 20. 9. 10.

[2]) Tob. 12, 10. Cf. Ps. 10, 6.

b. per defectum *odio sui,* de quo sunt verba *s. Augustini: si male amaveris, tum odisti*[1]), eo nempe, quod praeceptum ex ipsa caritate sui obligans laeditur, ut si negligitur cura salutis aeternae vel salutis temporalis, si quis malum contra ordinem caritatis sibi optat vel infert, si quis in mortis periculo reconciliationem cum Deo non quaerit, si quis per notabile tempus in statu peccati permanet.

3. Peccata contra caritatem sui in specie commissa non solent in confessione qua talia declarari, quia non est praeceptum, quod ex sola caritate sui sub gravi obliget; hinc si laesio alius praecepti accusatur, laesio caritatis sui subintelligitur[2]).

Sic qui se accusat de peccato contra quintum decalogi praeceptum, quatenus hoc affirmativum est, simul se accusat de laesione caritatis sui, quatenus haec curam vitae corporalis praecipit; qui se accusat de laesione praecepti sive divini sive ecclesiastici, simul se accusat de laesione caritatis sui, quatenus haec curam aeternae salutis praecipit.

Quaestio tertia.

De caritate proximi.

Articulus primus.

De natura caritatis proximi.

71. Notiones. 1. Nomine *proximi* intelligitur omnis creatura rationalis, quae gratiae divinae et aeternae beatitudinis capax est: angeli et sancti in coelo, animae in purgatorio detentae et homines, sive boni sive mali sunt, sive amici sive inimici, solis daemonibus et damnatis exceptis.

[1]) In Ioannem tract. 51. n. 10.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 156.

Notionem *proximi*, quam graeci et romani ad concives, israelitae vero (iuxta interpretationem pharisaeorum) ad contribules coarctabant, Christus Dominus ad omnes omnino homines, inimicis non exceptis, extendendam esse docet[1]).

2. Proximum diligere possumus caritate theologica et caritate, quae est virtus moralis. *Caritate morali* proximum diligimus, quando amor pro motivo habet honestatem naturalem, quam lumine rationis in eiusmodi amore cognoscimus[2]). *Caritate theologica* diligimus proximum, si motivum diligendi est Deus in se summe bonus lumine fidei cognitus.

Ut proximum propter Deum diligere eique bonum velle possimus, ipse aliquo modo ad Deum relatus apprehendi debet: ut creatura, imago, filius, amicus Dei, ut frater Christi, ut redemptus sanguine Christi, ut templum Spiritus sancti, ut vocatus ad gloriam etc. Et haec quidem relatio est fundamentum et motivum caritatis erga proximum. Caritate ergo theologica proximum diligimus, si ei bonum volumus quia e. g. filius Dei est: ratio enim, propter quam eum diligimus, est Deus summe bonus seu amor erga Deum summe bonum, cuius homo est filius. Ad eundem modum filium amici diligimus propter amicum: id enim, quod nos movet ad diligendum filium amici, est amor erga amicum, quem in filio eius diligimus[3]).

Articulus secundus.

De praecepto caritatis proximi.

72. De ipso praecepto. 1. Praecepto divino tenetur homo proximum diligere *caritate theologica*, quod constat ex verbis Christi: *Secundum autem* (mandatum) *simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*[4]). *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*[5]). Ex quibus patet primo quidem praecipi caritatem

[1]) Cf. Luc. 10, 30—37.

[2]) Cf. *Struggl*, Theologia moralis tr. 4. q. 4. n. 16. *Ballerini-Palmieri* II. n. 152.

[3]) Cf. Zeitschrift f. k. Theol. XXII (1898) S. 77 ff.: Das Formalobjekt der göttl. Nächstenliebe.

[4]) Matth. 22, 39.

[5]) I. Ioan. 4, 21.

proximi, deinde vero hanc caritatem eandem esse, qua Deum diligimus, ac proin theologicam.

a. Amor proximi moralis procedens ex motivo naturalis honestatis nedum malus sed, si ex gratia fiat, supernaturalis et a Deo praeceptus est: *Omnia ergo, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*[1]). Attamen illo amore non satisfit praecepto divino diligendi proximum caritate theologica. Neque ei satisfit amore concupiscentiae, quo proximo bonum volumus, ut nobis inde bene sit.

b. Verbis illis *sicut teipsum* non significatur aequalitas amoris quoad intensitatem, cum ipsi nos magis quam proximum, et proximos non omnes eodem amoris gradu diligere debeamus, sed quoad motivum et obiectum, quatenus propter Deum eadem bona generatim proximo volumus et procuramus sicut et nobis.

2. Praecepto divino dilectionis proximum diligere debemus *amore affectivo* seu actu interno benevolentiae: tenemur enim diligere proximum sicut nos ipsos; atqui nos ipsos diligimus actu interno benevolentiae, nec aliter diligere nos possumus. Et sane amor natura sua in actu voluntatis interno, quo alteri bene volumus, consistit; ergo sine actu interno neque externus verus amor esset[2]).

a. Amor affectivus erga proximum iisdem (quoad speciem *actibus* exercetur, quibus Deum diligimus, ut sunt: α. gaudium de bonis proximi; β. desiderium, quo ei felicitatem optamus; γ. tristitia de malis eius; δ. propositum voluntatis, quo data occasione ei benefacere parati sumus (n. 56).

b. Praecepto diligendi proximum *caritate theologica* satisfit tum orando pro eo, tum per actus externos beneficentiae, qui ex motivo caritatis divinae procedunt. Praecepto diligendi proximum *actu interno* satisfacit, qui ab odio abstinet, pro omnibus orat, voluntatem habet observandi praecepta circa proximum exsistentia et data occasione ea reipsa observat.

3. Praeceptum divinum diligendi proximum praecipit etiam *amorem effectivum* seu actus externos beneficentiae et misericordiae, quibus proximo auxilio nostro indigenti succurramus: *Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit*

---

[1]) Matth. 7, 12. Cf. Tob. 4, 16.

[2]) De hoc praecepto sunt duae propositiones ab *Innocentio XI.* damnatae: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali* (10). *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos* (11).

fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate[1]). *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare* etc.[2]). Et sane affectus internus, si verus ac sincerus est, operibus exterius se manifestare debet.

Praecepto igitur caritatis homo tenetur proximo suo bonum procurare et eius malum impedire tum quoad corpus tum quoad animam, si facile fieri potest. Attamen ad satisfaciendum huic praecepto non requiritur, ut opera beneficentiae erga proximum fiant ex motivo caritatis, sed sufficit, ut ex alio motivo inferiore e. g. misericordiae, caritatis etc. fiant.

4. Amor proximi tum affectivus tum effectivus debet esse *universalis* i. e. ad omnes se extendere debet, qui nomine proximi censentur, praesertim etiam ad peccatores et inimicos. Verum non requiritur ut *singulos* amore interno benevolentiae et externo beneficentiae prosequamur: id enim nullibi praeceptum et reipsa impossibile est, sed sufficit amor generalis, qui neminem excludit ab affectu benevolentiae et paratus est, ubi opus fuerit, ad succurrendum indigenti.

Haec dilectio communis dein in determinatis adiunctis in singulares personas referenda eisque applicanda est, ut si quis in proximum tentatione odii sollicitatur, vel si proximus in necessitate constitutus est.

Articulus tertius.

De ordine caritatis.

Prius quam praeceptum caritatis externae accuratius determinetur, exhibendus est *ordo caritatis*. Cum enim *personae* diligendae et *bona* eis optanda et procuranda inaequalis sint praestantiae, etiam caritas pro diversa eorum praestantia diverso modo in ea ferri debet. Insuper diversae *necessitates* distinguendae sunt, quia pro maiore

[1]) 1. Ioan. 3, 17. 18. cf. Iac. 2, 13 ss.
[2]) Matth. 25, 42 ss.

vel minore necessitate proximi diversa est obligatio eidem succurrendi. Quare triplex ordo servandus est: inter personas, inter bona et inter necessitates.

73. De ordine servando inter personas. 1. Triplici-ter unus altero plus diligi potest: *obiective, appretiative, intensive. a. Obiective* eum plus diligimus, cui maius bonum volumus quam alteri. *b. Appretiative* eum plus diligimus, quem pluris aestimamus quam alium, ita ut, si necesse foret, potius huius quam illius amicitiam amittere vellemus. *c. Intensive* eum plus diligimus, quem actu caritatis ferventiore et perfectiore diligimus quam alium. Patet hos tres diligendi modos non esse necessario coniunctos, sed unum e. g. appretiative, alterum intensive plus diligere possumus.

2. Tres sunt personae diligendae: Deus, nos ipsi et proximus[1]); iam ordinata caritas exigit, ut unusquisque *a.* primo diligat *Deum super omnia* amore saltem appretiative summo, cum divina bonitas omnia bona creata infinite superet.

b. Secundo loco unusquisque diligere debet *seipsum:* nam ex voluntate Christi dilectio sui est norma dilectionis proximi; potior autem est norma quam normatum, ideo vulgare axioma: *ordinata caritas incipit ab ipso* (scilicet diligente).

c. Tertio tandem loco unusquisque diligere debet *proximos.*

74. De ordine servando inter bona. 1. *Bona* tum nobis ipsis tum aliis exoptanda et procuranda sunt triplicis ordinis: *a.* bona *spiritualia* tum *supernaturalia:* vita aeterna, gratia Dei, virtutes etc., quorum bonorum alia sunt ad salutem necessaria, alia solum utilia ut status religiosus, virginitas, tum *naturalia:* intellectus, voluntas, libertas; *b.* bona *corporalia (interna):* vita, sanitas, membrorum

[1]) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et proximum tuum sicut teipsum.* Luc. 10, 27.

integritas et aliae corporis dispositiones; *c.* bona *externa*, quorum alia sunt bona *personae:* (honor, fama), alia bona *fortunae.* Honor et fama, utpote aliquid morale, altioris sunt ordinis quam divitiae.

2. Inter bona unusquisque magis amare debet praestantiora; ideo per se plus amare debet bona spiritualia, quam corporalia, et plus corporalia quam externa. Quibus addendum est, quod *bonum commune maius est bono privato,* quia bonum totius praestat bono partis.

Ex his tamen non sequitur quodvis bonum superioris ordinis praeferendum esse cuivis bono ordinis inferioris: in morali enim aestimatione hominum quandoque plus valet magnum bonum externum, quam leve bonum internum; sic quivis mallet ad breve tempus e. g. capitis dolorem quam magnam divitiarum iacturam pati.

75. De ordine servando inter necessitates. Necessitas, quam proximus pati potest, altera est spiritualis, altera corporalis; utraque vel est extrema, vel gravis, vel levis seu communis.

1. *De necessitate spirituali.*

a. In necessitate *extrema* reperitur, qui sine alieno auxilio aut nullatenus aut solum cum maxima difficultate aeternam damnationem effugere potest, ut infans sine baptismo aut haereticus sine poenitentia moriturus.

b. In *gravi* necessitate spirituali reperitur, qui ex periculo damnationis sine alieno auxilio solum cum magna difficultate se liberare potest, ut peccator christianus rudis in morte, qui nonnisi cum magna difficultate actum contritionis elicere potest.

c. In *levi* necessitate spirituali reperitur, qui ex periculo damnationis vel ex peccato sine alieno auxilio absque magna difficultate se liberare potest, ut ordinarii peccatores, qui, si vellent aliquem conatum adhibere, facile a peccato liberari vel ab eo abstinere possent, quin ab aliis iuventur, doceantur vel corrigantur.

2. *De necessitate corporali.*

a. In *necessitate extrema* reperitur, qui est in periculo mortis aut nunc aut post breve tempus imminentis sive ex causis naturalibus sive ex hominum malitia.

b. In *necessitate quasi-extrema* reperitur, qui est in periculo incidendi in extremam necessitatem vel in grave malum aut perpetuum aut saltem diuturnum (gravis carcer, iactura bonorum, amissio status, *s. Alphonsus* addit etiam gravissimam infamiam).

c. In *gravi necessitate* reperitur, qui patitur malum grave, sed non diuturnum, vel diuturnum quidem sed non adeo grave.

d. In *communi necessitate* reperitur, qui patitur incommodum non admodum molestum, quale patiuntur ordinarii pauperes.

Quoniam necessitatis paene innumeri sunt gradus, aliae praeterea ab auctoribus ponuntur distinctiones, quarum tamen sola necessitas *quasi-extrema* seu *gravissima* attendenda est.

3. *Ordo necessitatis*, in qua maior minorve urget obligatio iuvandi proximum:

a. necessitas spiritualis extrema;

b. necessitas spiritualis gravis;

c. necessitas corporalis extrema; fieri tamen potest, ut in hac maior urgeat obligatio succurrendi quam in priore;

d. necessitas corporalis gravis;

e. necessitas sive spiritualis sive corporalis communis.

76. De ordine servando inter nos et proximum. 1. Ceteris paribus i. e. *in pari ordine* bonorum et pari necessitate unusquisque potest et quandoque tenetur magis diligere seipsum quam proximum: ideo per se amare tenetur *primo* seipsum quoad bona spiritualia, *secundo* proximum quoad eadem bona spiritualia, *tertio* seipsum quoad bona corporalia, *quarto* proximum quoad eadem bona corporalia, *quinto* seipsum quoad bona externa, *sexto* proximum quoad eadem bona externa.

2. Ubi autem *diversus est ordo* bonorum et diversa necessitas nostra et proximi, hunc saepe nobis praeferre debemus secundum regulas sequentes.

77. *Regulae speciales.* 1. Homo tenetur plus diligere seipsum quam proximum *quoad bona spiritualia necessaria:* etenim si unquam, homo certe seipsum proximo praeferre debet in iis, quae ad salutem sunt necessaria. In iis autem, quae sine peccato fieri aut omitti possunt, caritas inclinat ad se aliis praeferendum; licet tamen proximum sibi praeferre, tum quia nulla est obligatio ea sibi procurandi, tum quia bonum, quod omittitur, alio maiore bono compensatur, nempe bono virtutis, quae hac ratione exercetur.

a. Illicitum est *desiderium carendi aeterna beatitudine* propter bonum alterius qualecunque; licet autem velle dilationem beatitudinis ad diutius laborandum pro gloria Dei et proximorum salute[1]). — Nunquam licet ullum *peccatum veniale* committere ad bonum proximi qualecunque sive spirituale sive corporale (e. g. conversionem iudaeorum) procurandum, quia Dei beneplacitum rebus omnibus praeferendum est; Deo autem magis placet, si vitem peccatum, quam si peccando prosim aliis. Insuper non sunt facienda mala, ut eveniant bona[2]).

b. Licitum est ad salutem spiritualem vel corporalem proximi procurandam *se exponere periculo remoto peccandi;* quare sacerdoti licet legere res periculosas, ut ad excipiendas confessiones, et medico id licet, ut ad sananda corpora se habilem reddat. Immo ad procurandam salutem spiritualem in extrema proximi necessitate licet *se exponere periculo proximo peccandi,* adhibitis tamen remediis contra peccatum, quod per Dei gratiam caveri potest[3]).

c. Potest aliquis *differre vel omittere ingressum in religionem* ad exercendam curam animarum, ubi alius pastor inveniri nequit, vel etiam ad alendos pauperes consanguineos. Potest sacerdos omittere orationem, lectionem spiritualem ad erudiendos proximos, ad curandos infirmos.

d. Licet *desiderare maiora bona spiritualia* proximo quam sibi; sic licet optare, ut omnes perfectius cognoscant et ament Deum, quam ego. Caritas tamen potius inclinat, ut unusquisque sibi quam aliis maiora bona exoptet et procuret, sed quia id praeceptum non est, pro lubitu ea sibi vel aliis quilibet procurare potest[4]).

e. Non solum licitum, verum etiam laudabile est *omnes suas satisfactiones offerre pro animabus in purgatorio.* Olim disputabant quidem theologi, num haec oblatio ordinatae caritati consentanea sit; ex quo vero ecclesia eam concessis indulgentiis probaverat, de hac re non potest esse dubium. Et sane licet proximum etiam in bonis spiritualibus sibi praeferre, modo in necessariis ad salutem nos ei praeferamus. Accedit, quod minimum augmentum gratiae et gloriae pluris aestimandum sit, quam liberatio a diuturna poena purgatorii; atqui haec oblatio est eximium opus bonum, quod magnum augmentum gratiae et gloriae producit.

Num licitum sit vitam propriam exponere periculo ad servandam vitam proximi.

Homo tenetur quidem absolute loquendo plus diligere vitam propriam et bona ad eius conservationem necessaria, quam vitam proximi, attamen *a.* vitam proximi praeferre *debet* tum ad servandam personam

---

[1]) Cf. Ex. 32, 32. Rom. 9, 3. Phil. 1, 23 ss.

[2]) Cf. Matth. 16, 26.

[3]) Cf. *s. Alphonsus* l. 2. n. 26. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 376

[4]) Cf. *Castropalao* tr. 6. disp. 1. punct. 7.

religioni aut reipublicae necessariam vel valde utilem, tum ad servandam communitatem periclitantem; *b.* vitam proximi licite praeferre *potest* ad servandam etiam aequalem vel inferiorem, praesertim si id fiat ex motivo virtutis. Ratio *primi* est, quia pro bono communi non solum bona fortunae, sed etiam bonum vitae exponere debemus, ideo potest et debet quivis proprium corpus obiicere ad principem a gladio occisoris defendendum, item debet se hostibus tradere ad patriam incolumem servandam. Ratio *secundi* est, quia non agitur de bono ad salutem necessario; quodsi vita propria ex motivo virtutis periculo exponitur, non comparatur vita propria cum vita proximi, sed virtus, quae in salvanda vita proximi exercetur, cum vita proximi. Ideo laudabile est inservire peste infectis cum periculo vitae; item cum periculo vitae se in aquam coniicere ad alium eripiendum; in sacris litteris laudatur Tobias, qui ad sepelienda defunctorum corpora vitae periculo se obiecit[1]); quandoque pii homines vitam suam obtulerunt pro recuperanda proximi sanitate oblationemque Deus acceptavit[2]).

78. 2. Homo tenetur *plus diligere proximum quoad bona spiritualia quam se ipsum quoad bona corporalia vel externa;* ideo quandoque tenetur proximum iuvare etiam cum proprio suo damno vel incommodo. In particulari vero haec statuenda sunt:

a. Proximo in *extrema necessitate spirituali* constituto succurrendum est etiam cum periculo vitae vel gravi damno temporali: ad exemplum enim Domini *et nos debemus pro fratribus animas ponere*[3]). Sane amissio vitae temporalis comparata cum aeterna salute proximi est leve malum, ad quod subeundum ex caritate tenemur, si necessitas proximi est extrema.

Ut hoc praeceptum urgeat, tres condiciones requiruntur: α. ut adsit certa spes illum iuvandi; β. ut non adsit alius, qui eum iuvare possit et velit; γ. ut gravius malum inde non sequatur, ut si aliquo hac de causa moriente plures alii in periculum salutis adducerentur.

b. Proximo in *gravi necessitate spirituali* constituto homo non tenetur succurrere cum periculo vitae vel gravi damno temporali, nisi *ex officio* spiritualem salutem proximi

---

[1]) Tob. 12, 12.
[2]) Cf. *Müller* II. p. 99.
[3]) 1. Ioan. 3, 16.

curare debeat ut animarum pastor; tenetur tamen cum levi suo damno vel incommodo.

α. Cum enim proximus ipse se iuvare possit, si velit, non est asserenda obligatio, proximo succurrendi etiam cum periculo vitae vel cum iactura notabili bonorum temporalium; attamen exercitium excellentis virtutis hoc esset, quia salus proximi longe maius bonum est, quam vita propria.

β. Quia ad obligationem caritatis *accedit alia obligatio* scilicet officii (iustitiae), animarum pastores etiam in gravi necessitate constituto succurrere debent cum periculo vitae vel bonorum temporalium: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*[1]).

c. Proximo in *levi necessitate spirituali* constituto succurrendum est, si absque damno temporali vel cum levi tantum fieri potest: caritas enim proximi aliquid certe exigit: *Deus mandavit illis unicuique de proximo suo*[2]); at non exigit, ut aliud damnum nisi leve subeamus ad liberandum proximum a malo, a quo ipse facile se liberare potest.

79. 3. Homo tenetur *plus diligere proximum quoad bona corporalia, quam seipsum quoad bona externa;* ideo quandoque tenetur proximo succurrere etiam cum iactura bonorum suorum externorum. In particulari haec statuenda sunt:

a. Proximo in *extrema necessitate temporali* constituto succurrendum est cum magno quidem incommodo, non tamen cum periculo vitae vel boni fere aequalis, nisi quis *ex officio* bonum proximi corporale curare debeat, ut medicus stipendio conductus: nam pro bono proximi tam excellenti aliquod sane incommodum subire tenemur; cum tamen quilibet teneatur prius seipsum diligere, non tenetur adeo grave incommodum pro alterius bono temporali subire.

b. Proximo in *gravi necessitate temporali* constituto succurrendum est cum levi aliquo incommodo: licet enim pro bono proximi excellentiore aliquod incommodum subire debeamus, nemo tamen tenetur ex caritate privare se magno bono, nisi proximo procurandum sit bonum longe maius.

c. Proximo in *communi necessitate temporali* constituto succurrendum est, si facile fieri potest: caritas enim proximi non exigit,

---

[1]) Ioan. 10, 11.
[2]) Eccli. 17, 12.

ut incommodum subeamus ad liberandum eum a malo, quod ipsi grave non est[1]).

80. De ordine servando inter diversos proximos.

Erant, qui dicerent contra perfectionem christianam eos agere, qui unum proximum prae alio plus diligant propter consanguinitatem vel humanam amicitiam. Verum falsi sunt: nam ipsa natura rationali inducimur ad eos magis diligendos, qui nobis magis sunt coniuncti; gratia autem non destruit, sed perficit naturam; ergo etiam caritate supernaturali eos magis diligere possumus et debemus, qui nobis sunt coniunctiores. Idem confirmatur exemplo Christi, qui in evangelio s. Ioannem prae aliis discipulis plus dilexisse narratur. Itaque

1. *Obiective* magis diligere debemus eos, qui aliis sunt *meliores:* caritas enim unicuique vult ea bona naturalia et supernaturalia, quae habet vel quae ei conveniunt, ideo qui sunt sanctiores, obiective magis quam alii diligendi sunt.

2. *Affective* et *effective* in aequali necessitate magis diligendi sunt, qui nobis sunt *magis coniuncti;* quod si necessitas sit inaequalis, prius succurrendum est ei, qui maiorem patitur.

Fratri in extrema necessitate spirituali vel corporali constituto prius succurrere debemus quam extraneo in eadem necessitate constituto, si utrumque iuvare non possumus. Sed extraneo in necessitate spirituali constituto prius succurrere debemus, quam coniuncto in necessitate temporali constituto. — Sacerdos vocatus ad baptizandum infantem et absolvendum moribundum, si par est periculum in mora et non adest laicus, qui infantem baptizet, tenetur praeferre infantem, si adultus se iuvare potest per contritionem; si id non potest, tenetur praeferre adultum.

3. Magis coniuncti solum in iis *bonis* aliis praeferendi sunt, *quae ad illam coniunctionem pertinent;* ergo spiritualiter coniuncti quoad bona spiritualia, carnaliter coniuncti quoad bona corporalia, civiliter coniuncti quoad bona socialia aliis praeferendi sunt. In bonis unicuique coniunctioni communibus praeferendi sunt, qui potiore coniunctione nobiscum uniuntur.

---

[1]) Ergo adagium sollemne: ***caritas non obligat cum gravi incommodo*** suas habet exceptiones: tenemur enim quandoque etiam cum gravi incommodo subvenire proximo.

4. Inter omnes coniunctiones potior est coniunctio carnalis, quia natura prior est et fundamentum omnis alterius coniunctionis; carnalem proxime sequitur spiritualis et deinde moralis seu civilis.

Ideo parochus tempore pestis vocatus ad duos moribundos, quorum alter est ipsius pater, sed non parochianus, alter vero parochianus, patre, si non sit in extrema necessitate, relicto succurrere debet parochiano, quia in bonis spiritualibus aliis praeferendi sunt, qui nobis spiritualiter coniuncti sunt. In extrema tamen necessitate utrimque aequali sive spirituali sive temporali prius succurrendum est carnaliter coniunctis, quia carnalis coniunctio potior est.

Articulus quartus.

De dilectione inimicorum[1]).

81. Declarationes. 1. Nomine *inimici* significantur illi, qui nos odio prosequuntur aut offensa vel iniuria affecerunt. Doctrina de dilectione inimicorum a fortiori extendenda est ad eos, quos ob qualecunque motivum naturaliter aversamur.

Offensa definitur laesio voluntatis alterius; per offensam igitur aliquid fit, quod alteri displicet ideoque eius indignationem et aversionem excitat; *iniuria* definitur laesio iuris alterius; per iniuriam non solum contra voluntatem, sed etiam contra ius alterius aliquid fit; si tandem iniuria illata coniuncta est cum damno alterius, dicitur *damnificatio.* Offensa compensatur per amicam reconciliationem, iniuria compensatur per satisfactionem, eo quod offendens aliquid molesti subeat, ut laesus sibi reconcilietur; damnificatio compensatur per restitutionem, eo quod damnum illatum laeso reparetur.

2. *Signa dilectionis communia* ea dicuntur, quae homines certae condicionis et relationis sibi exhibere solent ad significandum mutuum amorem. Signa vero *specialia* ea dicuntur, quae ultra communia nonnulli homines sibi exhibere solent ad significandam amicitiam et familiaritatem inter ipsos vigentem.

a. Signa *communia* plerumque censentur: salutantem resalutare, interroganti vel scribenti respondere, emere volenti expositas merces

[1]) *M. Waldmann,* Die Feindesliebe in der antiken Welt und im Christentume (Wien. Mayer. 1902).

vendere, a communibus orationibus vel eleemosynis non excludere, communia obsequia praestare, damnum alteri imminens, si commode fieri potest, avertere etc. Ad signa communia pertinent etiam ea, quae libere alicui multitudini exhibentur, ut si quis omnibus alicuius loci pauperibus eleemosynam distribueret. Signa *specialia* fere haec censentur: hospitio excipere, ad convivium invitare, maestum consolari, aegrotum invisere, familiariter alloqui, frequens epistolarum commercium fovere, obvium praevie salutare etc.

b. Ex hac definitione patet haec signa *non absolute, sed relative* determinanda esse, scilicet ratione habita determinati status et condicionis, determinatae relationis et determinatae etiam regionis: alia enim sunt signa communia dilectionis, quae homines culti, alia quae rudes, alia quae fratres et sorores, alia quae remotiores consanguinei, alia quae concives, alia quae prorsus ignoti sibi invicem exhibent.

82. Praeceptum. 1. Exstat speciale *praeceptum* caritatis *diligendi inimicos:* licet enim in generali praecepto caritatis erga proximum dilectio inimicorum iam implicite contineatur, nihilominus explicitum mandatum addidit Christus Dominus tum propter magnam eius difficultatem, tum propter eximiam eius perfectionem, tum denique, quia in v. t. hoc praeceptum in tota amplitudine sua clare non continetur atque insuper a pharisaeorum interpretatione obscuratum erat: *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*[1]).

a. Obligatio diligendi inimicos iam *in iure naturae* continetur: etenim inimicus quoque proximus noster est, quem lex naturae diligendum praecipit. Nihilominus antiqui philosophi ante Christum ad cognitionem *praecepti* de diligendis inimicis non pervenerunt, etsi eandem dilectionem in quibusdam casibus laudaverint.. Aevo tandem christiano stoici posteriores non sine influxu veritatis revelatae inimicos diligendos esse docent[2]). — In *veteri testamento* dilectio inimicorum praecepta erat: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo . , Non quaeras ultionem nec memoreris iniuriae civium*[3]). *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, et Dominus reddet tibi*[4]). Quamvis israelitae inimicum ut proximum diligendum esse docerent, hanc tamen

[1]) Matth. 5, 43 ss. Cf. Luc. 6, 27 ss.

[2]) Cf. *Waldmann* l. c. p. 19 ss.

[3]) Lev. 19, 17 s.

[4]) Prov. 25, 21. 22.

inimici dilectionem non ad omnes extendunt, sed ad inimicos proprii generis coarctant, quin etiam odio prosequebantur, quos adversarios suae gentis et avitae religionis novissent[1]). Christus tandem dilectionem inimicorum perfectam clare pronuntiat.

b. Hoc praeceptum specialem obligationem ab obligatione diligendi proximum distinctam non imponit. Quatenus *negativum* est, prohibet, ne unquam odio habeamus inimicos nostros vel vindictam iramve in eos foveamus; quatenus autem *affirmativum* est, praecipit, ut dilectione tum interna tum externa etiam inimicos prosequamur. Dilectio interna inimicis debita non specialem actum caritatis erga personam inimici, sed id solum exigit, ut inimicum a generali dilectione proximorum non excludamus, et ut promptam voluntatem habeamus etiam inimicis in necessitate subveniendi. Duo tamen in specie declarari debent, obligatio exhibendi *signa dilectionis* et obligatio *se reconciliandi* cum offendente.

2. Ex praecepto caritatis tenemur per se etiam inimicis exhibere *signa communia* dilectionis, non autem *specialia*, nisi per accidens.

Ratio *primi* est, tum quia haec signa sunt dilectionis generalis, quae omnibus debetur, qui nobis proximi sunt, ergo etiam inimicis; tum quia eorum omissio est signum odii, et ideo inimicos in inimicitia confirmaret. Ratio *secundi* est, tum quia haec signa sunt specialis amicitiae, quae nemini debetur, ergo neque inimico; tum quia ex eorum omissione inimicus non potest praesumere affectum odii et vindictae, sed solum defectum amicitiae et familiaritatis, quae ei non debetur.

3. Ex rationabili causa inimico etiam communia dilectionis signa *ad tempus* denegari possunt, odio tamen semper excluso; pari modo per accidens fieri potest, ut quandoque etiam specialia ei debeantur.

a. Communia signa dilectionis ad tempus inimico exhibere non tenemur in triplici casu: α. si spes est fore, ut inimicus exinde emendetur, vel ut eius audacia et insolentia retundatur; β. ad iustam punitionem, ut si superior offensus est ab inferiore; γ. ad ostendendum dolorem et displicentiam de illata nobis iniuria, praesertim si atrox fuerit.

b. Specialia autem signa inimico exhiberi debent: α. si eorum omissio, cum antea dari solebant, in aliis causa scandali esset, quia ex caritate tenemur impedire, ne ex nostro agendi modo proximus damnum capiat, non tamen cum gravi incommodo; β. si ex his signis inimici reconciliatio sperari potest, quia ex caritate proximum a peccato retrahere tenemur, si facile fieri potest; γ. si eorum negatio esset speciale signum odii et inimicitiae; ut si ini-

[1]) Matth. 35, 4.

micus reconciliationem quaerens exhiberet specialia caritatis signa salutando, alloquendo etc., ea non reddere esset signum odii.

83. Negatio communium signorum caritatis *grave peccatum* esse potest. *a.* Ad dimetiendam gravitatem peccati, quae omissione signorum caritatis committitur, attendendum est: α. num omissio horum signorum ex *odio interno* procedat; β. num causa *offensionis* respectu inimici vel *scandali* respectu aliorum sit: si neutrum locum habet, solum veniale peccatum est.

b. Ad discernendum, num negatio signorum caritatis ex odio procedat, attendi debet ad causam, ob quam omittuntur: etenim si gravis est, omissio signorum ex odio procedere censetur.

α. Qui, ne occurrat inimico, aliorsum declinat, etiam citra odium internum, graviter peccat, si inimicus advertit id fieri sui causa et ideo graviter offenditur; nullum est peccatum aut veniale tantum, si id non advertit aut non curat, et si ex rationabili causa fit.

β. Omissio salutationis non est peccatum, nisi ex adiunctis sit signum odii interni, ut si antea salutatio inter ipsos tamquam commune signum usitata erat, vel si inter plures, qui salutantur, solus inimicus praetermittitur.

γ. Non peccat domina, quae ancillam propter gravem iniuriam e servitio dimissam ad tempus neque aspicit neque alloquitur neque occurrentem in via ac salutantem resalutat, dummodo haec non fiant ex odio, sed ex aliquo honesto motivo: ex abominatione delicti, ad ostendendam gravitatem iniuriae sibi illatae, ad iustam punitionem; diutius autem communia caritatis signa ei negare non potest, sed salutantem resalutare tenetur, ut signo exteriore ostendat se offensam iam remisisse[1]).

δ. Qui omne commercium cum altero, a quo offensus est, abrumpit atque nec cum eo loqui neque eum salutare vult, *a.* non peccat, si per aliquot dies id faciat ad iustam tristitiam vel ad abominationem adversus pravam alterius agendi rationem manifestandam, vel ad alterum corripiendum; *b.* leve peccatum committit, ubi agitur de personis, inter quas locutio, salutatio, exhibitio obsequiorum et eiusmodi ad signa communia pertinent, ut cum duo vicini eiusdem pagi vel duo alumni eiusdem seminarii vel duae moniales nolint invicem colloqui nec se invicem salutare, et si causa inimicitiae levis est, etsi

[1]) Cf. *Elbel-Bierbaum*, Theolog. moralis[2] (Paderbornae. Typogr. bonif. 1894) I. pars 2. n. 249 ss.

per aliquod tempus commercium vitaretur et signa communia negarentur; *c.* grave peccatum committit, si illa ex odio procedant, ut cum gravis rixa praecessisset, vel si odium provocent vel scandalum aliis praebeant[1]).

84. De reconciliatione. Qui quocunque modo *laesus* fuit, ex praecepto caritatis cum inimico reconciliationem quaerenti *se reconciliare* debet; tenetur ergo inimico offensam vel iniuriam remittere et externa remissionis signa ostendere, non tamen statim post illatam offensam; iniuriae autem reparationem vel damnum illatum remittere non tenetur, nec intimiorem familiaritatem, quae forte antea exstiterat, instaurare.

a. Offensam vel iniuriam remittere seu veniam dare nil aliud est, quam odium et affectum vindictae deponere; atqui hoc lege divina praeceptum est, ut constat ex praecepto generali caritatis et ex pluribus locis s. scripturae e. g. *si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*[2]).

b. Remissionem exterius manifestari debere colligitur ex praecepto generali exhibendi signa caritatis communia etiam inimico. *Non statim:* nam humanam fragilitatem superat, quod laesus statim, nondum sedata interna perturbatione, cogatur signa reconciliationis exhibere. Unde sufficit, ut interim internus affectus odii et vindictae deponatur.

Offensus per se non tenetur reconciliationem quaerere; per accidens autem quandoque ad id tenetur, si facile fieri potest, ubi nimirum offendens alias in statu peccati perseveraret, vel si scandalum oriretur, eo quod ignota sit causa, ob quam signa communia negentur.

Reconciliatio ideoque communia caritatis signa ad tempus etiam pacem quaerenti, odio et vindicta depositis, in signum maeroris negari possunt; scandalum autem facile abesse potest, si nota sit causa, ob quam signa communia negentur. Quodsi diutius negarentur (etsi pacem non quaerenti), eorum negatio merito censeretur signum inimicitiae ac vindictae, ideoque peccatum esset, excepto casu, quo inimicus signis exhibitis non responderet.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 179.

[2]) Matth. 6, 15. Cf. Lev. 19, 17.

c. Nemo tenetur per se proximo remittere bonum sibi debitum; atqui satisfactio pro iniuria et restitutio pro damno est bonum, quod ei debetur, qui iniuriam vel damnum passus est; ergo illud velle per se unusquisque potest, deposito tamen affectu odii ac vindictae.

Quocirca si offendens debitum compensare nollet, non solum restitutionem pro damno illato, sed etiam satisfactionem pro iniuria irrogata apud iudicem petere licet: unusquisque enim exigere potest, quod sibi iuste debetur.

Immo stricte loquendo, etsi offendens veniam petat, adhuc licet coram iudice irrogatae iniuriae vindictam exigere, ut iustitiae satisfiat vel ut alii cohibeantur, deposito tamen omni maligno affectu in proximum. In praxi autem id omnino dissuaderi debet, quia valde difficile est inimici punitionem exigere excluso omni pravo affectu odii et vindictae.

Per accidens tamen fieri potest, ut laesus ex caritate teneatur etiam iniuriae reparationem inimico condonare, ubi nimirum is ad reparandam iniuriam nimium incommodum subire deberet comparate ad bonum, quod laeso inde obveniret.

d. Pace iam restaurata intimior familiaritas ei non debetur, qui antea amicus erat. Ideo etiam omnia amicitiae signa praeter ea, quae spectata naturali relatione consanguinitatis, contubernii, identitatis status etc. communia sunt, citra peccatum omitti possunt.

85. De modo reconciliationis. 1. Qui alterum quocunque modo *offendit*, tenetur, ubi primum moraliter potest, cum eo reconciliationem quaerere, et quidem, si aliud reconciliationis medium non suppetit, per veniae petitionem: qui enim caritatem laesit, tenetur eo modo, qui sibi moraliter possibilis est, eam reparare; reparatio autem caritatis ordinarie fit per reconciliationem, unde praecipit Christus: *si ergo offers munus tuum . . vade prius reconciliari fratri tuo*[1]).

Num offensor veniam petere debeat. — Veniae petitio est medium ad finem reconciliationis obtinendum; quando igitur ea unicum medium est, dicenda erit necessaria, quod fere accidit, si offensus est pater, dominus, superior etc. Per accidens potest esse necessaria, si

[1]) Matth. 5, 23. 24.

superior vel iudex eam iniungit. Ordinarie autem non est necessaria, cum pax inter inimicos etiam aliis mediis (per signa specialia amicitiae, per officia exhibita, per intercessionem amicorum etc.) redintegrari possit.

2. E duobus, qui *se mutuo offenderunt* et invicem facti sunt inimici, ille prius reconciliationem procurare debet, qui gravius alterum offendit, et si fere aequalis est mutua offensio, ille, qui prius offendit. In praxi vero utrique suadendum est, ut vel per se vel per alium reconciliationem quaerat.

Articulus quintus.

De caritate proximi externa.

§ 1. De misericordia.

86. De natura misericordiae. 1. Actus caritatis erga proximum in miseria constitutum dicitur *misericordia*. Beneficium praestitum proximo in miseria constituto est *opus misericordiae* seu *eleemosyna* generatim sumpta.

2. *Misericordia* est virtus moralis, qua homo ex commiseratione inclinatur ad sublevandam alienam miseriam. A caritate igitur eo differt, quod haec proximo universim vult et procurat bonum ex benevolentia, misericordia autem ei, qui in miseria est, ex compassione. Miseria enim proximi naturaliter movet ad compassionem et compassio ad sublevandam miseriam.

3. *Obiectum materiale* misericordiae est malum seu miseria alterius (infirmitas, ignorantia, egestas, peccatum etc.), quam misericors removere conatur. Obiectum *formale* est honestas, quae in removendo alterius malo ex compassione relucet.

Nota. Misericordiae virtutem religio christiana potissimum nos docuit. Quamvis enim lex naturae eam postulet, eius tamen notio apud gentiles obscurata eiusque exercitium adeo neglectum erat, ut *Plato* pauperes e republica exulare voluerit, et *Seneca* misericordiam animi vitium putaverit. His Christus Dominus suam mentem opposuit dicens:

Misereor super turbam[1]*; Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis*[2]*).*

87. De praecepto misericordiae. *a.* Ex universali praecepto caritatis consequitur quemlibet per se sub gravi teneri proximo in miseria constituto succurrere, si moraliter potest (n. 54): qui enim alienam miseriam sublevare detrectat, proximum vere non diligit.

Potest aliquis obligari ad succurrendum proximo ex *caritate communi*, qua omnes eandem naturam humanam habentes sibi benefacere debent, vel ex *caritate speciali* (pietate), qua illi, qui peculiari ratione coniuncti sunt ut cognati, sibi succurrere tenentur, vel ex *caritate et iustitia*, qua illi, qui ex officio aliorum curam habent, subvenire tenentur. Porro quamdiu adsunt, qui ex iustitia vel ex speciali caritate succurrere tenentur et etiam succurrere posse et velle creduntur, non obligantur alii ex caritate communi; illis autem deficientibus hi tenentur.

b. Etsi teneamur proximo, qui in egestate versatur, bonum praestare, quo indiget, vel malum ab eo avertere, quod ei imminet, sive corporale est sive spirituale, attamen *inquirere* in indigentes non tenentur nisi ii, quibus ex officio aliorum cura incumbit: ad ipsos enim indigentes pertinet, ut necessitatem suam exponant.

Qui tamen rationabiliter dubitat de extrema alicuius necessitate, tenetur inquirere veritatem; et si facta inquisitione dubium manet, nulla est obligatio subveniendi.

88. Opera misericordiae. Miseria proximi potest esse corporalis vel spiritualis, quare opera misericordiae alia sunt corporalia, alia spiritualia. *Corporalia* numerantur septem: cibare esurientes, potum dare sitientibus, vestire nudos, excipere peregrinos, visitare infirmos, redimere captivos, sepelire mortuos. *Spiritualia* pariter septem numerantur: docere ignorantes, dare consilium dubitantibus, consolari maestos, corrigere peccantes, remittere offendentibus, tolerare molestos, orare pro vivis et defunctis. Hic

[1]) Marc. 8, 2.

[2]) Matth. 11, 28. Cf. *A. Weiss*, Apologie[3] (Freiburg. Herder. 1897) III. S. 807.

de duobus tantum agendum est, de *eleemosyna* stricte dicta, quo nomine designantur opera misericordiae corporalia, et de *correptione fraterna,* quae inter opera spiritualia misericordiae sola peculiarem difficultatem prae se fert.

§ 2. De eleemosyna.

89. Notio. *Eleemosyna* stricte dicta definitur: opus corporale, quod ex commiseratione egenti exhibetur ad inopiam eius sublevandam; strictissime: res, quae pauperi ex commiseratione tribuitur ad inopiam eius sublevandam.

Tria ergo ad eleemosynam strictissimo sensu constituendam essentialiter requiruntur: *a.* ut detur seu donetur aliquid i. e. ut proprietas rei oblatae in pauperem transferatur; *b.* ut detur egenti; *c.* ut detur ex compassione ad sublevandam eius egestatem.

90. De praecepto eleemosynae. 1. *Ex praecepto divino* tum naturali tum positivo, eoque *per se gravi*, tenemur dare eleemosynam.

Primum patet tum ex generali principio caritatis alteri faciendi, quod nobis (in eadem condicione positis) fieri vellemus, tum ex natura dominii privati. Quamvis enim homo verum ius habeat in bona sua, hoc ius tamen, utpote secundarium, cum obligatione connexum est de bonis suis conferendi iis, qui labore suo vitae necessaria sibi comparare non possunt[1]). *Secundum* patet ex multis scripturae testimoniis: *Ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra*[2]). *Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris*[3]). *Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo*[4]). *Tertium* patet ex eo, quod Christus impiis in die iudicii aeternam damnationem infligendam denuntiat ob solum defectum eleemosynae: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum . . esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum*[5]).

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 32. a. 5. et ad 2.
[2]) Deut. 15, 11.
[3]) Isai. 58. 7.
[4]) 1. Ioan. 3, 17. Cf. Matth. 25, 34—45. 1. Tim. 6, 17. 18.
[5]) Matth. 25, 41. 42.

2. Ut hoc praeceptum eleemosynae obliget, duo requiruntur: ex parte proximi *necessitas*, ex parte dantis *possibilitas* seu bona superflua.

a. Necessitatem ratione gradus supra (n. 75) divisimus, ratione originis autem distinguitur necessitas *involuntaria* tum in se tum in causa, et haec est infortunium; *voluntaria* tum in se tum in causa, et haec est virtus; *involuntaria in se et voluntaria in causa* e. g. in taedio laboris, et haec est vitium. Atqui succurrendum est non solum indigenti ex infortunio, sed etiam indigenti ex virtute: patitur enim veram necessitatem eamque ex optima causa.

b. Declarandum est, quotuplici modo *bona* dicuntur *necessaria* et *superflua*.

α. *Necessaria vitae* dicuntur bona, sine quibus vita propria et suorum conservari non potest, adeo ut his subtractis aliquis se suosve in extremam necessitatem coniiceret. Vitae igitur necessaria sunt etiam illa bona, quae requiruntur ad liberos alendos et educandos vel ad ancillam. quae familiae necessaria est, sustentandam. Ergo *superflua vitae* dicuntur bona, sine quibus aliquis se suosque sustentare potest.

β. *Necessaria ipsi statui* dicuntur bona, sine quibus status conservari nequit, adeo ut his subtractis aliquis e statu suo decideret.

γ. *Necessaria decentiae status* dicuntur bona, sine quibus aliquis non potest vivere convenienter ad suam condicionem, adeo ut his subtractis statum suum decenter conservare non posset. Decentiae igitur status necessaria etiam illa bona dicuntur, quae ad honestam sui, suorum famulorumque sustentationem, ad filiorum convenientem educationem et dotationem, ad convenientes donationes, ad honesta de more convivia, ad hospitum receptionem etc. requiruntur.

91. Accuratior praecepti determinatio. 1. Proximo in *extrema necessitate* constituto succurrendum est ex bonis decentiae status necessariis: proximo enim in tanta necessitate constituto etiam cum magno incommodo subveniendum est.

a. Etsi proximo in extrema necessitate dari debeat eleemosyna ex bonis ad solam decentiam status necessariis, non potest tamen demonstrari obligatio dandi etiam de bonis ad ipsum statum conservandum necessariis, adeo ut quis teneatur a proprio statu decidere: neque enim propriam vitam tenetur aliquis conservare cum amissione status sui seu per media extraordinaria.

b. Non tenemur curare, ut aegrotus in patria brevi moriturus mittatur in aërem salubriorem regionis longinquae. Medicus non tenetur peragere operationem chirurgicam extraordinariam ad conser-

vandam vitam pauperis. — Nemo tenetur erogare magnam pecuniae summam ad redimendum proximum e periculo mortis vel durae et perpetuae captivitatis.

c. In extrema necessitate proximo tantum dari debet, quantum requiritur ad eius necessitatem hic et nunc sublevandam, nisi sit res extraordinaria; et si quidem absolute pauper sit, gratis ei dari debet quodsi vero solum indigeat usu rei, sufficit illam commodare.

2. Proximo in *gravi necessitate* constituto succurrendum est ex bonis simpliciter superfluis: nam ordinata caritas exigit, ut proximo in gravi necessitate succurramus, si facile possumus. Hoc praeceptum tamen non obligat divites, ut omnibus accurrentibus dent, sed aliquibus, nec ut eorum indigentiae penitus provideant, sed ex parte: ordinarie enim praesumere possunt esse alios, qui et ipsi subvenire velint.

Tenentur ergo medici, advocati etc. operam pauperibus gratis impendere, si hi reperiantur in gravi necessitate nec ab aliis iuvari possint. — Tempore famis tenentur divites succurrere pauperibus famem patientibus, quatenus sine gravi incommodo possunt.

3. In *communi necessitate* constitutis hinc inde succurrendum est ex bonis simpliciter superfluis. Nulla est obligatio determinato alicui pauperi, nec generatim omnibus pauperibus succurrendi, sed obligatio est pauperibus in communi necessitate constitutis pro ratione facultatum quandoque et aliquibus indeterminate subveniendi: si enim singuli aliquid largiantur, sufficienter sublevatur communis necessitas.

Quanta eleemosyna in communi necessitate a divitibus elargienda sit, accurate determinari non potest. Ex mente *s. Alphonsi* (n. 32) satisfaciunt praecepto eleemosynae divites, qui largiantur quinquagesimam partem (duo pro centum) redituum suorum, qui vere superflui sint. Quamvis haec complurium auctorum determinatio solido fundamento carere videatur, adeo ut divites, qui bona simpliciter superflua habent, ad uberiores eleemosynas teneantur, ubi maior exsistit pauperum inopia, ex ea tamen colligitur peccati arguendos non esse divites, qui nonnulla bona ad usus superfluos expendunt vel ad augendas divitias seponunt.

92. Gravitas obligationis. Proximo in extrema vel gravi necessitate constituto *sub gravi* succurrendum est;

at demonstrari nequit obligatio gravis dandi eleemosynam proximo in communi necessitate constituto.

a. Gravem obligationem succurrendi proximo *extremam* necessitatem patienti nemo negat: etenim si praeceptum eleemosynae per se grave est, certe in extrema proximi necessitate sub gravi obligat.

b. Gravitas huius obligationis a necessitate proximi potissimum dependet; hinc in *gravi* proximi necessitate gravis urget obligatio succurrendi.

α. Quoad proximum in *gravi* necessitate constitutum obligatio *gravis* cum *s. Alphonso* (n. 31) et plerisque aliis statuenda videtur: nam ex s. scriptura multi excluduntur a regno coelorum ob solum defectum eleemosynae; atqui si obligatio gravis ad rarum casum necessitatis extremae restringatur, non possent excludi multi. Insuper sanctis Patribus obligatio dandi eleemosynam est gravis, id quod eorum testimonia passim apud auctores testantur; atqui incredibile est illos textus solum de necessitate extrema intelligendos esse. Tandem conveniunt auctores in statuenda gravi obligatione avertendi a proximo, si commode fieri potest, grave malum e. g. extinguendi incendium domui appositum, reprimendi gravem diffamationem; ergo etiam in hac re statuenda est gravis obligatio.

β. Si quis dives, qui possidet bona superflua, habet propositum nunquam dandi eleemosynam nisi in extrema necessitate, per se hoc propositum est graviter peccaminosum; in particularibus tamen casibus eiusmodi dives, qui pauperes sine eleemosyna repellit, non facile graviter peccabit, tum ob difficultatem diiudicandi de superfluitate bonorum et de pauperum necessitate, tum ob praesumptionem, quod alii velint succurrere, tum quia forte alia via egentibus opem fert e. g. praebendo eis occasionem labore aliquid lucrandi, denique quia grave incommodum ex largitione sibi timere potest.

c. Utrum obligatio dandi eleemosynam in *communi* proximorum necessitate sit gravis an levis, auctores disputant; cum tamen sententia obligationem gravem affirmans non sit certa, sed solum probabilis, ea statui non potest.

Qui *gravem* obligationem cum *s. Antonino*[1]) et *s. Thoma*[2]) negant, ita argumentantur: tanta est obligatio succurrendi, quanta est necessitas et indigentia pauperis; cum ergo necessitas non sit gravis, neque obligatio subveniendi gravis esse potest.

---

[1]) *Summa theolog.* p. 2. tit. 1. c. 24. § 5.

[2]) *Summa* II. II. q. 32. a. 5.

Sunt tamen, qui duplicem titulum gravis obligationis statuant, non solum necessitatem proximi, sed etiam bona superflua, adeo ut ipsa bona superflua gravem inducant obligationem dandi eleemosynam in communi necessitate. Verum cum de gravi obligatione ex hoc capite orta non constet, non est statuenda[1]).

93. De cura pauperibus impendenda (Armenpflege). 1. In praesenti rerum ordine discrimen divites inter et pauperes, utpote ex naturali diversitate virium animae et corporis atque ex diversa cura virtutis christianae ortum, nunquam eliminabitur: *Pauperes enim semper habetis vobiscum*[2]). Ad emolliendum hocce discrimen atque ad conciliandos pauperes cum divitibus plurimum confert praeceptum eleemosynae et, quae ex eo ortum habet, cura pauperibus per opera misericordiae impendenda, dummodo apte exerceatur. Ut finem hunc assequatur eleemosyna, imprimis sponte non coacte et deinde ita tribui debet, ut miseriae spirituali consulatur, dum miseria corporalis arcetur. Cum enim paupertas ex vitiis saepe oriatur, eleemosyna una cum egestate etiam moralibus defectibus mederi debet. Quodsi quis sine culpa eget, eleemosyna collata pauperem sua sorte contentum reddat.

2. *Pauperes* dicuntur, qui media sustentandi vitam nec ipsi habent nec proprio labore sibi comparare possunt.

E numero pauperum excludendi non sunt, qui propria culpa in statum paupertatis devenerunt, dummodo vitae necessaria sibi comparare non possint; pauperes vero non censentur ii, quibus vitae necessaria desunt ob eorum pigritiam taediumque laboris; de his sunt verba Apostoli: *Si quis non vult operari, nec manducet*[3]).

3. Cura pauperum primo loco commissa est privatis hominibus et ecclesiae.

a. Subventionem pauperum bonum commune quidem exigit, sed non omne id, quod ad bonum commune necessarium vel utile est, potestas publica curare debet, si in communitate alii adsunt, quibus illius cura commissa est, qui proinde melius atque efficacius bono necessario providere possunt.

Praeceptum enim dilectionis proximi *(Mandavit unicuique de proximo suo)* imprimis id exigit, ut egenti succurramus, quod Christus Dominus eo efficaciter commendavit, quod docuerit sibi factum esse, quod quis *„minimis“* fecerit. Ecclesia Christi praecepta verbo et exemplo docet fideles eosque spiritu caritatis et humilitatis imbuit, quo opera misericordiae pauperibus exhibeantur.

---

[1]) Cf. *Laymann* l. 2. tr. 3. c. 6. n. 4 ss.

[2]) Ioan. 12, 8.

[3]) 2. Thess. 3, 10.

4. Cum adiuncta temporis ea sint, ut nec privati nec ecclesia pauperibus sufficienter providere possit, etiam potestas publica eorum curam in se suscipere et tum privatorum tum ecclesiae provisiones pauperum iuvare debet.

5. Cura pauperum ergo vel est *privata* vel *publica;* publica vel est *ecclesiastica* vel *civilis.* In praesenti rerum ordine cura pauperum ad munia civitatis pertinet; attamen cura privata et ecclesiastica nullo unquam tempore cessare poterunt. Etenim cura pauperum civilis ipsa sola pauperum necessitatibus sufficienter occurrere nequit, sed necessario indiget auxilio tum curae privatae tum praesertim curae ecclesiasticae. Quam ob rem civitatis est ecclesiam in sublevandis pauperibus iuvare, nullatenus vero integram pauperum curam sibi arrogare potest. Cura pauperum civilis, prout ordinarie exercetur, compluribus defectibus laborat, qui impediunt, quominus ipsa finem suum plene assequatur. Et sane

a. Singulorum oblationes non spontaneae sed coactae sunt. Inde fit, ut pro divitibus rationem tributi habeant, pauperes vero eas iure sibi debitas existiment. Hinc in divitibus deficit christiana misericordia erga pauperes, in pauperibus animus gratitudinis erga benefactores suos.

b. In distribuendis eleemosynis α. fere unice egestas temporalis respicitur, defectus vero morales minus curantur; β. christiana caritas et misericordia negligitur, unde fit, ut pauperes non cessent invidere divitibus sortemque suam aegre ferre.

6. Cum potestas publica tum in communitatibus (Gemeinden) tum in civitate (Staat) media subveniendi pauperibus e tributis desumat, quae a civibus sive in bonum commune universim sive in specie pro pauperibus solvuntur, orta est quaestio, *num solventes tributum (pauperum) obligationi suae dandi eleemosynam satisfaciant. a.* Haec tributa rationem verae eleemosynae habent: lex enim civilis, qua imponuntur, divites civiliter obligare censetur ad implendam obligationem erga pauperes, quae eis ex lege naturae incumbit. *b.* Solutione huius tributi certe minuitur obligatio dandi eleemosynam, quia minuitur necessitas pauperum, qui ex illis tributis iuvantur; *obligatio* tamen penitus non cessat, sicut auxilio ex tributis percepto non extinguitur pauperum necessitas. Tenentur ergo homines privati subvenire iis, quos norunt esse in extrema vel in gravi necessitate[1]).

[1]) Cf. *Kirchenlexikon*[2] Armenpflege. *Krieg,* Wissenschaft der Seelenleitung (Freiburg. Herder. 1904) § 321. Die kirchliche Armenpflege. *Ratzinger,* Geschichte der christlichen Armenpflege[2] (Freiburg. Herder. 1884). *Ehrle,* Beiträge zur Geschichte und Reform der Armenpflege (Freiburg. Herder. 1881). *Förstl,* Das Almosen (Paderborn. Schöningh. 1909).

Fingens se pauperem non fit dominus eleemosynae: nam largitio eleemosynae essentialiter est donatio, cuius causa motiva est egestas accipientis; facta ergo pauperi ficto est donatio, cuius causa motiva deficit, et proinde donatio invalida. Quocirca accipiens tenetur eam restituere domino vel pauperibus ex voluntate domini rationabiliter praesumpta.

Attamen eleemosynae, quae sunt minimi valoris, ex praesumpta largientium voluntate non debent eis necessario restitui: recte enim supponitur primarium motivum donationis in eiusmodi eleemosynis non tam fuisse egestatem pauperis, quam amorem Dei et proximi.

§ 3. De correptione fraterna.

94. Notiones. *Correptio fraterna* proprie est admonitio proximi facta a privato ad emendandum vel impediendum eius peccatum. Correptionis *motivum* esse potest, vel ut proximus a malo spirituali liberetur (misericordia), vel ne Deus summe bonus offendatur (caritas); eius *finis* est bonum spirituale proximi, huius nempe *correctio* seu emendatio.

a. Correptio non debet necessario fieri verbis, sed aliis etiam modis, qui apti iudicantur ad corrigendum proximum, fieri potest e. g. tristi vultu[1]), sermonem ad alia divertendo, subtrahendo auxilium temporale.

b. Correptio fraterna distinguenda est tum a correptione *iudiciali,* quae procedit a iudice, pro fine habet castigationem rei et pro motivo bonum commune, tum a correptione *paterna* seu evangelica, quae intendit quidem emendationem, sed fit a patre vel superiore; econtra correptio fraterna etiam ab inferiore fieri potest, a superiore autem fit non ut superior, sed ut persona privata est.

95. De praecepto correptionis. 1. Exsistit *obligatio correptionis fraternae* tum naturalis tum positiva divina: praeceptum enim naturale caritatis nos obligat ad removendum a proximo malum, quo iam premitur vel quod ei proxime imminet. Praeceptum autem positivum s. scriptura saepius inculcat, praesertim vero his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum*

[1]) Eccl. 7, 4.

solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum[1]). *Corripe amicum . . . Corripe proximum*[2]).

a. Haec obligatio omnibus quidem, etiam subditis incumbit, qui ad eam faciendam idonei sunt, quia praeceptum caritatis universale est, sed non omnibus aequali modo: gravius enim superiores obligantur, qui ex pietate vel ex officio bonum spirituale subditorum suorum procurare debent. Hinc si superior (item si alius aptior) correcturus speratur, cessat aliorum obligatio; quod si alii officio suo desint, quilibet aptus ad correptionem faciendam tenetur.

b. Superiores (episcopi, praelati, parochi, parentes, domini, magistratus etc.) peccata subditorum suorum tum publica tum occulta etiam cum *magno suo incommodo* emendare et impedire tenentur, quia eorum obligatio non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia vel pietate procedit. Ex eadem ratione superiores peccata subditorum non solum corrigere et impedire, sed in ea etiam *inquirere* tenentur, i. e. in subditos universim et in personam particularem, si peculiaris ratio ad id cogat, invigilare debent.

2. Praeceptum correptionis fraternae *per se grave est:* si enim in gravi necessitate proximi corporali ei sub gravi succurrere tenemur per eleemosynam, a fortiori ei subvenire tenemur in gravi necessitate spirituali per correptionem fraternam, quae est eleemosyna spiritualis.

96. Condiciones requisitae. Ut hoc praeceptum sub gravi obliget, hae *quatuor condiciones* requiruntur:

a. Ut adsit materia gravis.

Quodvis peccatum mortale proximi, quippe quod auferat eius vitam spiritualem, censetur esse materia gravis, quae inducit obligationem gravem correptionis fraternae; qui ergo per monitionem fraternam peccatum mortale proximi sine ullo incommodo auferre vel impedire potest idque ex vano timore negligit, graviter peccat.

b. Ut adsit spes emendationis: alias enim cessat finis correptionis, qui est emendatio proximi, ideoque eius obligatio.

α. Ideo personae exiguae auctoritatis ab hac obligatione excusantur. In dubio, an profutura sit, omittenda est monitio; quare etiam erga eos, quorum indoles ignota est, prudentia suadet, ut potius omittatur, ne aegre eam ferentes peiores fiant. Si maior fructus postea speratur, monitio differri potest, etsi interim peccatum iteretur.

---

[1]) Matth. 18, 15.

[2]) Eccli. 19, 13. 14.

β. Etsi gravis obligatio cesset, ubi nulla spes fructus apparet, manet tamen obligatio, et quidem eo maior, quo gravior est materia, de qua agitur, etsi spes plus minusve probabilis tantum affulgeat. Attamen non aequalis spes fructus requiritur, ut superior et ut alius ad correptionem teneatur. Superior enim monere tenetur, etsi modica spes fructus exsistat, immo si ex omissa correptione aliorum scandalum sequeretur, etiam ad monitionem relate ad corripiendum inutilem tenetur.

γ. Licet *peccator*, praesertim si eodem vitio laboret, a quo corrigendus sit proximus, ad correptionem exequendam minus aptus appareat, non tamen ideo ab obligatione eximitur, praesertim si sit superior: nam propter peccatum suum nemo a lege naturali eximitur. Peccatoris correptio erit quidem minus efficax, non tamen prorsus inutilis, si delinquentem non exprobrando peccatum, sed illud proponendo eumque monendo corrigat[1]).

c. Ut sine magno corripientis incommodo fieri possit, cum caritas non obliget cum tanto onere.

Qui ergo ob nimiam verecundiam vel pusillanimitatem sine magna difficultate induci non potest ad correptionem faciendam, a mortali certe excusatur, nisi sit superior, qui *ratione officii* subditos corrigere tenetur. Pari modo timor, ne corripiendum offendat et offensum habeat, alium a monitione facienda excusat, sed superiorem certe non excusat.

d. Ut vere adsit proximi necessitas spiritualis, quae adesse censetur, si haec tria concurrunt: α. si certo constat de peccato commisso aut de voluntate illud committendi; β. si correptio necessaria iudicatur ad emendationem delinquentis: si enim iam se emendavit aut mox se emendaturum speratur, correptio superflua est; γ. ut non adsit alius magis vel aeque idoneus, qui correpturus sit.

Si harum condicionum una vel altera deest, obligatio aut nulla erit aut levis tantum; quare cum raro omnes concurrant, privati ad correptionem fraternam (saltem sub gravi) raro obligantur, nisi forte relate ad personam, quacum valde familiariter agunt. Scrupulosi autem ab hac obligatione omnino excusantur, quippe qui ad hoc munus inepti sint: tum quia propter animi perturbationem discretione ad corrigendum tam necessaria carent, tum quia ad rationes excusantes attendere non valent[2]).

---

[1]) Cf. *Castropalao* tr. 6. disp. 3. punct. 7. n. 1 ss. *Elbel-Bierbaum*, Theologia moral.[2] (Paderbornae. Typogr. bonifac. 1894) I. par. 2. n. 311.

[2]) *Gury-Palmieri*, Compendium theol. moral.[13] (Prati. Giachetti 1898) n. 233

97. Ordo in correptione servandus. 1. Si peccatum est occultum, in correptione fraterna servandus est ordo a Christo Domino praescriptus: *a.* ut fiat secreto; et si monitio frustra adhibita fuerit, *b.* ut fiat coram uno vel altero teste privato; et si correptio privata frustra adhibita fuerit, *c.* ut fiat publice denuntiando rem superiori, primo quidem ut patri, secundario etiam ut iudici[1]). Hoc praeceptum fundatur in lege caritatis, quae postulat, tum ut proximus cum minimo suo incommodo emendetur, tum ut servetur fama proximi. Et quia caritas per se sub gravi obligat, etiam haec praescriptio per se sub gravi servanda est.

2. A necessitate servandi hunc ordinem excipiendi sunt casus sequentes, in quibus res statim deferenda est superiori tamquam patri: *a.* si delinquentis emendatio aliter obtineri non potest vel saltem facilius et efficacius per superiorem obtinetur: nam ad bonum spirituale proximi procurandum licet eius delictum manifestare; *b.* si peccatum est publicum: nam in hoc casu corripiendus amisit ius ad famam; *c.* si peccatum vergit in damnum communitatis vel tertii: nam bonum commune praeferendum est famae hominis privati, et bonum innocentis famae malefactoris; *d.* si denuntiatio vel publica correptio necessaria est ad impediendum scandalum, ut factum est a Paulo respectu Petri[2]); *e.* si corripiendus iuri suo renuntiavit, id quod in nonnullis communitatibus religiosis obtinet.

a. Ergo tantum abest, ut denuntiatio superioribus facta in omni casu sit res ignominiosa, ut quandoque vel lege divina sub gravi sit praecepta. Unde resolvitur quaestio, *num alumni sub gravi teneantur denuntiare occultos corruptores.* α. Si damnum commune timetur ut complurium corruptio vel domus infamia, denuntiare tenentur etiam cum gravi incommodo: grave enim incommodum non excusat, ubi de damno communi agitur. β. Quodsi non timetur nisi unius vel alterius damnum, non tenentur cum gravi incommodo, quia caritas non obligat cum gravi incommodo, ubi de damno privato agitur. *Grave incom-*

[1]) Matth. 18, 15 ss.
[2]) Gal. 2, 11. 14.

modum adesse potest, si denuntians proprium scelus fateri debeat, vel si suspicionem delatoris apud alios incurrat[1]).

b. In *communitatibus religiosis* raro fiet, ut delicta non possint statim denuntiari superiori, tum quia superior aptior est ad correptionem faciendam, tum quia alias timendum est, ne denuntiatio penitus omittatur, quando superiori facienda esset: etenim si privata correptio, quae praecessit, ut plerumque fit, inefficax manet, iam pauci adibunt superiorem timentes, ne delinquenti innotescat, qui eum denuntiaverit[2]). Superior autem ex sola hac denuntiatione secreta non potest defectum manifestare (e. g. in capitulo) nec procedere ad ordinarias poenas, sed subditum secreto monere et opportunis mediis corrigere debet[3]).

c. Pro iis, qui in hac re *iuri suo renuntiarunt,* duo moneri debent: α. Si certo constat fratrem perfecte emendasse peccatum occultum neque timendum esse periculum relapsus vel damni, non licet rem denuntiare superiori, nisi frater consentiat: etsi enim in hoc casu non laederetur iustitia ob factam renuntiationem, laederetur tamen caritas[4]). β. Si superior immediatus solus per se corrigere potest delinquentem, ita ut periculum relapsus vel damni communis non sit timendum, non licet delictum manifestare mediato superiori.

98. De obligatione monendi proximum ex ignorantia invincibili peccantem. 1. Stricta obligatio monendi proximum *in homine privato* non exsistit, sive contra legem naturae sive contra legem positivam peccat, quia praeceptum monitionis seu *correptionis* solum est de *peccato* (formali) proximi, quod ei damnum affert.

S. Alphonsus (n. 36.) cum multis aliis docet monendum esse, qui ignoranter violat *legem naturae,* quia rem intrinsecus malam facit; immo complures eum quoque monendum esse existimant, qui ex ignorantia *iuris divini* peccat[5]); concedunt autem eum moneri non debere, qui contra *legem humanam* peccat, ut si quis ex ignorantia violat abstinentiam. — Verum hanc obligationem non inducit caritas proximi, quippe qui nullum damnum subeat, sed reverentia legi, quae materialiter violatur, debita; haec autem non inducit tantam obligationem.

2. *Superior* autem ignorantis hunc in omnibus casibus etiam in iis, quae solum ex praecepto mala sunt, monere

[1]) Cf. *Génicot* I. n. 221.

[2]) *S. Alphons.* l. 4. n. 245.

[3]) *Sporer-Bierbaum* I. tract. 3. n. 797.

[4]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 234.

[5]) Cf. *Lacroix* l. 2. n. 214. *Castropalao* I. tract. 6. disp. 3. punct. 4.

seu *instruere* tenetur: ipsi enim incumbit obligatio monendi et docendi subditos suos.

3. Quilibet *sive superior sive privatus* ignorantem monere atque instruere debet in sequentibus casibus: *a.* si peccatum materiale proximi nocet ipsi delinquenti, ut si pravum habitum inducit; *b.* si nocet alteri, ut si rem alienam retineat; *c.* si praebet scandalum, ut si sacerdos inscius domum meretriciam ingrediatur; *d.* si inhonorat Deum, ut si quis proferat verba blasphema, quorum sensum ignorat: in his enim casibus cavendum est damnum proximi vel iniuria Dei. Et superior quidem errantem monere debet, etsi fructus non speretur, ubi ex materiali peccato subditi scandalum oritur; privatus autem, solum si monitionis fructus speretur.

Articulus sextus.

De peccatis contra caritatem proximi.

99. Quae sint haec peccata. Peccata contra caritatem proximi alia sunt peccata *omissionis,* scilicet omissio dilectionis sive internae sive externae, quando haec praecepta est, ut omissio debitae eleemosynae et correptionis fraternae; alia sunt peccata *commissionis,* quae positivis actibus caritati proximi contrariis committuntur. Haec vel opponuntur caritati internae: *odium,* vel caritati externae: *scandalum, inductio, cooperatio.*

§ 1. De odio.

100. Quantum peccatum sit. 1. Odium *abominationis,* quod refertur ad *qualitatem* proximi, *a.* licitum est, si qualitas absolute mala est; *b.* licitum est, si actio relative mala est, quatenus mihi vel aliis nocet, nisi abominatio maior sit, quam actio mala meretur; *c.* peccatum est, idque per se mortale, si qualitas simpliciter bona est (pietas, zelus).

2. Odium *abominationis,* quod refertur ad ipsam *personam* proximi, ex genere suo mortale peccatum est, ut-

pote contrarium praecepto caritatis, quo proximum diligere tenemur; attamen ex levitate materiae veniale esse potest.

Simplex displicentia vel aversio personae, si ei malum non optetur, plerumque veniale peccatum est; ad grave tamen peccatum excrescit, si quis personam proximi penitus aversatur ut amore prorsus indignam, quae nullum amorem mereatur.

3. Odium *inimicitiae,* quod proprie peccatum odii est, ex genere suo mortale est, tum quia adversatur praecepto caritatis, quod sub gravi obligat, tum quia odium in proximum expresse damnatur tamquam peccatum grave: *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*[1]).

Qui ex levi displicentia personae proximo exiguum malum optat, ob parvitatem materiae leve peccatum committit. — Qui alteri deliberate grave malum exoptat ex displicentia personae aut quia ei malum est, graviter peccat contra caritatem odio inimicitiae. — Item qui deliberate gaudet de magno malo alterius, quia ipsius malum est, odio inimicitiae graviter peccat contra caritatem. — Item qui deliberate tristatur de bono proximi, quia eius bonum est, odio inimicitiae graviter peccat. At malum alteri optare et de eo gaudere, non quatenus ei malum est, sed quatenus ipsi vel aliis bonum est, servato ordine caritatis, licitum est[2]).

Nota. Qui de odio se accusant, non statim arguendi sunt peccati, praesertim peccati mortalis. Saepe enim, quod odium dicunt, non est aliud quam naturalis quaedam antipathia seu animi aversio orta ex diversitate indolis, quae aversio utpote involuntaria non est peccatum; vel est abominatio qualitatis seu actionis malae, quae iure merito displicet; vel tandem desiderium mali ex honesto fine est, quod pariter peccatum non est; sed periculosa haec sunt, quia facile transire possunt in abominationem et malevolentiam adversus personam. Etenim si motus aversionis et antipathiae naturalis non reprimantur, facile a voluntate approbantur et sic in actus odii degenerant.

101. De maledictione. Maledictio est vocalis imprecatio mali; maledictio itaque est peccatum externum, quod ex odio vel ira procedit.

1. Maledictio est peccatum ex genere suo grave, quia opponitur praecepto caritatis, quod sub gravi obligat; qui

[1]) 1. Ioan. 3, 15.

[2]) Cf. *De principiis*[7] n· 329.

ergo proximo ex odio inimicitiae grave malum serio et deliberate imprecatur, grave peccatum committit.

2. In concreto tamen maledictiones saepe a mortali excusantur ex defectu triplicis condicionis, quae requiritur, ut maledictio sit mortalis: *a.* propter inadvertentiam ad gravitatem rei, ut saepe contingit in vehementi ira; *b.* propter defectum consensus, quia non serio et cum voluntate, ut eveniant, proferuntur, sed solum aut ad significandam indignationem aut ad terrorem aliis (filiis, subditis) incutiendum; *c.* propter levitatem mali, quod quis alteri imprecatur.

3. Maledictio, quae fit praesenti, saepe etiam rationem *contumeliae* habet, quia non solum caritatem, sed etiam honorem alteri debitum laedit. Hinc fieri potest, ut graves maledictiones, quae veniales tantum sunt, quia non serio dicuntur, ratione contumeliae fiant graves, ut si subditus superiori vel filius patri in faciem malediceret.

§ 2. De scandalo.

102. Definitio. *Scandalum* a *s. Thoma* definitur: dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis[1]).

a. A scandalo proprie et stricte tali, quod exhibet data definitio, distinguendum est scandalum latiore et improprio sensu acceptum, quo frequenter significatur admiratio vel rumor in populo excitatus ob insolitam actionem, quin tamen quispiam ad peccatum incitetur.

b. Dictum vel factum, quibus verbis non solum actio externa positiva, sed etiam omissio externa intelligi debet, cum etiam omissio praecepti aliis occasio peccandi esse possit. *Minus rectum,* quod scilicet malum est vel saltem speciem mali habet, ut cum die prohibito is coram aliis carnes comedit, qui dispensatus est. Si actio in se bona vel indifferens, quae speciem mali non habet, alteri ansa peccandi est, non actio, sed potius mala peccantis dispositio, scilicet fragilitas vel malitia, occasio peccati est.

c. Praebens alteri occasionem, quod scilicet sua *praesentia,* quin in eius voluntatem positivum influxum exerceat, proximo ansam praebet ad peccatum se determinandi: peccatum ipsum totum est ab alterius voluntate libere ad actum peccaminosum se determinante. De ratione

[1]) *Summa* II. II. q. 43. a. 1.

igitur scandali est, ut proximo, cuius voluntas ad peccandum nondum est determinata, sua exsistentia ansam praebeat ad peccandum.

d. Ruinae spiritualis: ad verum scandalum non requiritur, ut peccatum proximi reipsa sequatur, sed sufficit, ut ex actione posita consideratis adiunctis sequi possit et forte secuturum praevideatur. At nihil refert, utrum proximus ad idem an ad peccatum prorsus diversum inducatur. Peccatum coram aliis commissum habet rationem scandali, si illi, coram quibus peccatum committitur, exinde praevidentur trahendi ad peccatum, quod alias non commisissent; at non habet rationem scandali, si illi, coram quibus peccatum committitur, aut ad peccandum iam determinati, aut ita in probitate firmati sunt, ut non sit timendum peccatum. Qui suo exemplo aliis ansam praebet omittendi rem quidem bonam, sed non praeceptam e. g. orationem ante vel post mensam, pariter non committit peccatum scandali, quia non allicit ad peccandum.

103. Divisio scandali. 1. Scandalum dividitur in activum et passivum; *activum* dicitur actio, quae proximo praebet occasionem peccandi, et *passivum* dicitur ipsum peccatum, ad quod committendum proximo praebetur occasio.

a. Definitio initio posita soli scandalo activo convenit. Scandalum passivum solet dici *peccatum occasionatum.*

b. Scandalum activum et passivum non semper invicem connectuntur: potest enim haberi activum, quin sequatur passivum, quod secuturum putabatur; et potest haberi passivum, quin praecedat activum, id quod ex definitione scandali pharisaici patet.

2. Scandalum activum dividitur in *directum* et *indirectum,* prout peccatum alterius intenditur aut non intenditur, sed solum praevidetur; scandalum directum iterum dividitur in *diabolicum*, quando peccatum alterius intenditur, quia offensa Dei vel ruina spiritualis proximi est, et in *simpliciter directum,* quando peccatum proximi intenditur ob alium finem, e. g. quia utilitatem vel delectationem scandalizanti affert.

3. Scandalum *passivum*. duplex est: *datum,* quando oritur ex actione, quae natura sua proximo praebere potest ansam peccandi; *acceptum*, quando peccatum oritur quidem occasione actionis alterius, quae tamen non natura sua, sed solum ob malam dispositionem scandalizati ansam peccandi praebet. Quod si accidit ex scandalizati igno-

rantia vel infirmitate tantum, dicitur scandalum *pusillorum*, ut si iuvenis ex honesto ornatu mulieris ansam sumit peccandi; si autem accidit ex mera malitia alterius, dicitur scandalum *pharisaicum*, ut si pater ex exercitiis pietatis filiae suae ansam sumit blasphemandi.

Cum haec divisio non ab omnibus eodem modo accipiatur, attendendum est ad sensum, quem singuli auctores hisce terminis subiiciunt.

104. Malitia scandali. 1. Scandalum activum est peccatum ex genere suo grave contra praeceptum caritatis. Ideo Christus Dominus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei etc. Vae homini illi, per quem scandalum venit*[1]). Et sane si caritas obligat ad proximum corrigendum et ad impediendum, ne cadat, multo magis obligat ad eum ad peccatum pravo exemplo non incitandum.

a. Peccatum scandali ordinarie erit grave vel leve, prout occasionem praebet graviter vel leviter peccandi; ergo gravitas scandali ordinarie desumenda est ex gravitate peccati, ad quod alter incitatur, non ex gravitate actionis, qua alter ad peccandum incitatur; quare fieri potest, ut quis per mortale peccatum solum leve scandalum, econtra per veniale peccatum, quin etiam per actum ex se indifferentem grave scandalum praebeat, qui e. g. dignitate et existimatione praecellit, facile grave scandalum praebet, ut si sacerdos ancillam populo suspectam apud se retineat. *Ordinarie*, quia excipiendum est scandalum (passivum), quod fere ex malitia vel nimia infirmitate oritur.

b. Ideo tum parentes et superiores, tum etiam clerici, sacerdotes, religiosi sedulo cavere sibi debent a quavis actione minus recta: illi quidem, quia liberi et subditi semper propensi sunt ad parentum et superiorum mala exempla sectanda, hi vero, quia facile ansam praebent, ut in aliis amor virtutis et pietatis minuatur, ut alii male de clericis et religiosis iudicent et loquantur, religionem eiusque exercitia contemnant.

c. Qui homini valde prono in gravia peccata committenda levem tantum occasionem praebet mortaliter peccandi, *gravi* scandalo non peccat, quia grave illius peccatum magis ex eius malitia et prava consuetudine quam ex levi occasione oritur. Ideo pueri, qui sciunt parentes ex levibus quibusque inoboedientiis ansam sumere graviter

[1]) Matth. 18, 6. 7. Cf. 1. Cor. 8, 9 ss.

blasphemandi ac maledicendi, graviter non peccant; nec puellae, quae vanis suis levitatibus iuvenibus ansam praebent graviter peccandi[1]).

2. Scandalum *directum* speciale peccatum est etiam contra illam virtutem, ad quam laedendam proximus incitatur: quaelibet enim virtus prohibet, tum ne ipsi illam violemus, tum ne velimus, ut ab aliis violetur; per scandalum autem *indirectum* solum contra caritatem peccatur.

a. Quoad scandalum *indirectum s. Alphonsus* (n. 45) affirmat duplex peccatum committi, contra caritatem et contra illam virtutem, quae per scandalum passivum laeditur; alii autem cum *de Lugo* verius id negant aientes peccari quidem in hoc casu contra caritatem, non autem contra illam quoque virtutem, ad quam violandam alius indirecte incitatur: nam quaelibet virtus postulat quidem, ne ipsa violetur neve alius ad ipsam violandam directe excitetur, at non postulat ut eius violatio impediatur, id quod est caritatis[2]). Qui ergo exemplo suo inducit alios ad furandum, peccat quidem contra caritatem, non autem contra iustitiam, modo peccatum aliorum ne intenderit neve exhortatione, consilio vel mandato usus sit.

b. Quare necesse non est in confessione speciem declarare peccati. quod alius propter scandalum indirectum commisit, sed sufficit dicere: fui alteri (aliis) occasio peccandi, vel alteri (aliis) malo exemplo scandalo fui. Qui vero scandalum directum commisit, in confessione non satisfacit, si dicat se scandalum dedisse vel alium incitasse ad peccatum, sed declarare etiam debet speciem peccati, ad quod alium pertraxit.

c. Scandalum diabolicum insuper specialem malitiam habet contra caritatem Dei.

105. Principia de permissione scandali passivi. 1. Quamvis actio bona vel indifferens, quae ne speciem quidem mali habet, proprie scandalum datum non sit, eam tamen ex caritate omittere debemus, ubi sine incommodo fieri potest, ut proximi peccatum impediatur; ex quavis tamen causa, etsi non gravi, eam ponere licet.

a. Ergo etiam *scandalum pusillorum* vitari debet, si facile fieri potest. *Scandalum pharisaicum* ordinarie quidem curandum non est;

---

[1]) *Berardi,* Praxis confessariorum[8] (Faventiae. Novelli. 1898) I. n. 271 ss. *Génicot* I. n. 232.

[2]) Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 16. n. 157 ss.

attamen sine ulla causa non licet ponere actionem, ob quam alius, etsi ex mera malitia, peccaturus praevidetur, quia caritas postulat, ne sine ulla causa proximo exhibeamus occasionem peccandi.

b. Notandum est scandalum aliorum vitari posse actionem omittendo vel eam in aliud tempus differendo vel eam occultando et, si actio aliquam mali speciem prae se fert, proximum de actionis rectitudine admonendo (adesse e. g. causam excusantem, dispensationem); si tamen facta admonitione nihilominus scandalum perdurat, illud pharisaicum censeri debet.

2. Licere aliquando actionem ponere, etsi peccatum proximi inde secuturum praevideatur, constat ex noto principio: ubi ex actione bona vel indifferenti sequitur duplex effectus, alter bonus (commodum scandalizantis) et alter malus (peccatum proximi), hic ex causa iusta necessitatis vel utilitatis permitti potest.

106. Regulae de permissione scandali[1]). Ut haec principia securius applicentur, sequentes regulae notandae sunt, in quibus tamen scandalum pharisaicum non attenditur.

1. *Opera praecepta lege naturae negativa,* immo etiam affirmativa in iis circumstantiis, in quibus lex vere urget, propter scandalum nunquam omittere licet.

Ratio est, quia haec nunquam sine peccato omitti possunt: ideo nunquam licet mentiri vel peierare ad evitandum scandalum; nec licet omittere professionem fidei, ubi praecepta est, ad impediendum peccatum tyranni, vel susceptionem baptismi propter scandalum parentum.

2. *Opera praecepta lege positiva* sive divina sive humana propter scandalum omitti *possunt,* sed non *debent,* nisi forte una alterave vice.

a. Ratio *primi* est, quia concurrentibus duobus praeceptis, quae simul servari non possunt, praevalet praeceptum naturale vitandi scandalum. Hinc potest parochus die festo non ieiunus celebrare ad vitandum scandalum populi, quod aliter vitari non potest.

b. Quoad *secundum* notandum: una alterave vice, i. e. si periculum scandali mox ablatum iri praevidetur, haec praecepta omittenda esse a plerisque affirmatur, quia praeceptum naturale praeferendum est positivo, et quia omissio non affert magnum incommodum; id

[1]) Cf. *Reuter,* Theologia moralis II. tr. 1. n. 137. *Lehmkuhl* I. n. 635.

autem saepius seu ad longum tempus fieri debere omnes negant, quia hoc nimis grave esset. Ideo dicunt debere virginem, quae sciat iuvenem ex suo aspectu scandalizari, una alterave vice omisso sacro domi manere; et pari modo uxorem debere omittere sacrum vel ieiunium, si sciat maritum ex observatione praeceptorum blasphemandi occasionem sumere; at certe non tenentur ipsae ad longum tempus haec praecepta omittere, quia nimis onerosum hoc esset. Sed cum sententia ad breve tempus eas obligans certa non sit, practice ad omittendam rem praeceptam obligari non possunt.

c. Notandum est id solum valere, si quis sciat *determinatam* personam ex sua actione scandalum sumere: ex timore enim, ne actio alicui indeterminato sit scandalo, non debet omitti, quia obligatio etiam hoc periculum praecavendi nimis gravis et molesta esset.

3. *Opera non praecepta* sive bona sive indifferentia tenemur omittere ad evitandum scandalum, si sine gravi incommodo fieri potest, cum gravi autem incommodo non tenemur.

Ideo si mulier sciret se determinato viro ansam esse peccandi, teneretur eius conspectum, si facile posset, fugere e. g. incedendo per aliam viam, non accedendo ad fenestram; ad longum tempus autem id facere non teneretur, quia nimis durum ipsi esset sua libertate diu privari. Non tenetur ad praecavendum scandalum a publica deambulatione abstinere, quia nimis onerosum censetur.

4. *Bona temporalia* ad evitandum scandalum dimitti debent, si sunt levioris momenti; si autem sunt maioris momenti, necessario dimitti non debent. Ratio est, quia bonum spirituale aliorum proprio bono temporali non solum praeferri potest, sed, ubi facile fieri potest, praeferri etiam debet; cum gravi autem incommodo caritas non obligat.

Hinc nemo tenetur plus solvere operario, quem praevidet blasphematurum: hoc enim incommodum, licet in se leve, fit tamen grave, quia saepe occurrere potest, et quia homines impii exinde fierent audaciores. — Parochi non tenentur, immo nec possunt omittere ea, quae ad bona ecclesiastica conservanda necessaria sunt e. g. lites, exactiones iurium stolae ad evitanda scandala inde oritura; tenentur autem apta monitione scandalum impedire e. g. exponendo rationem exactionis.

Quaestiones particulares de scandalo.

107. De ornatu mulierum. *a.* Praeprimis attendendum est ad *intentionem*, qua mulier se ornat: id enim fieri potest, ut de-

centiam status iuxta morem patriae servet, ut viro placeat, ut sponsum inveniat, ut defectus corporis celet, et hae quidem intentiones licitae sunt; deinde id fieri potest ex levitate vel vanitate ad pulchritudinem ostendendam, et istae intentiones leviter peccaminosae sunt; tandem id fieri potest ad virorum concupiscentiam et impurum amorem provocandum, et haec intentio grave peccatum est.

Ergo faciem linire fuco ac pigmentis erit mortale, si fiat ad lasciviam, veniale, si solum ad fingendam pulchritudinem, nullum, si fiat ad occultandum aliquem defectum.

b. Quod *ornatum* ipsum attinet, *honestus* et statui iuxta morem patriae conveniens licitus et mulieribus permittendus est; ergo non tenentur dimittere ornatum decentem et honestum, licet alii, etsi determinati, inde ad concupiscentiam alliciantur: nam a vestimentis et ornamentis modestis, quae sunt iuxta consuetudinem patriae, abstinere nimium onus esset, quod caritas ad impediendum alterius peccatum non exigit.

c. Ornatus *immodestus* et *graviter peccaminosus* semper grave scandalum est, quia alios graviter et proxime ad libidinem provocat[1]).

Ubi de ornatu muliebri inhonesto loquuntur auctores, potissimum denudationem pectoris prae oculis habent. Quaenam denudatio graviter inhonesta sit, multum a consuetudine dependet: assueta enim minus alliciunt; hinc fieri potest, ut ornatus, qui in uno loco grave scandalum non est, in altero occasionem praebeat graviter peccandi. Ideo communi consensu docent auctores graviter peccare posse mulierem ornatum alicubi introducentem, qui alibi ob consuetudinem iam diu vigentem graviter scandalosus non est.

d. Ornatus *superfluus* et *venialiter peccaminosus* e. g. denudatio pectoris non graviter inhonesta, grave scandalum non est, quia leviter et remote tantum ad peccatum allicit; quam ob rem sub gravi ab eiusmodi ornatu abstinere mulieres non tenentur. Si tamen mulieri constet de gravi periculo labendi alicuius viri determinati, quod periculum post breve tempus cessabit, sub gravi tenetur pro eo tempore ab eiusmodi ornatu abstinere[2]).

Mulier, quae sine iusta causa utitur veste virili, aut vir, qui utitur veste muliebri, leve peccatum commitit, quia hoc per se leve periculum libidinis et leve scandalum inducit; si haec mutatio vestis

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 55. Qualis ornatus dicendus sit graviter immodestus, ex iis diiudicari debet, quae *De sexto praecepto*[9] n. 48. dicuntur.

[2]) Cf. *Lessius,* De iustitia etc. l. 4. c. 4. n. 112 ss.

ex iusta causa fiat e. g. ad se occultandum, ad honestam recreationem etc., nullum peccatum est[1]).

108. De picturis et statuis obscoenis. Obscoenae seu impudicae dicuntur picturae et statuae, quae communiter ad libidinem excitant; id autem fieri potest aut propter scenam, quam exhibent, aut propter nuditatem personarum, quae repraesentantur. Quare obscoenae sunt, tum quae actionem plus minusve turpem repraesentant, tum quae partes corporis inhonestas aspectui exhibent; quae vero tectis partibus inhonestis alias detectas habent, saltem si imagines viriles sunt, obscoenae non censentur, neque effigies infantium, etsi prorsus detectae, obscoenae sunt, quia minus excitant. Itaque grave scandalum committunt:

a. Qui imagines vel statuas notabiliter obscoenas effingunt excepto tamen casu, quo id ex iusta causa fiat, ut si aliquid eiusmodi pingendum vel fingendum sit ad scientiam anatomicam docendam.

b. Qui eiusmodi imagines vel statuas in suis officinis vel in domibus et hortis vel etiam in musaeis et pinacothecis, ad quae omnes accedere possunt, publice exponunt.

c. Qui imagines et statuas etiam non graviter obscoenas in *publicis plateis* exponunt: has enim omnes vident, immo non videre vix possunt; attenta autem hominum communi fragilitate semper complures erunt, qui ex eiusmodi rebus grave scandalum sumunt, etsi non sint graviter obscoenae.

d. Nullatenus concedi potest, quod dicitur, opera artis, etsi in se inhonesta, non esse consideranda tamquam occasionem peccandi, sed unumquemque ea aspicere eorumque artificio licite frui posse. Omissa enim quaestione, num repraesentationes obscoenae vere dici mereantur opera artis, quatenus ipsae excitant libidinem, certe non cessant esse occasiones peccati et proinde, quemadmodum sine restrictione commendari non possunt, ita eorum aspectu licite frui non potest is, qui aliam rationem excusantem non habet, nisi studium comparandi sibi universalem, ut dicunt, culturam. Quibus addendum est opera artis antiquae, etsi per se obscoena minus libidinem excitare quam opera artis recentis. Ideo probandum est, quod habet *Aertnys,* „imagines et statuas impudicas, at eximiae artis, ab artificibus insignibus anterioris aetatis confectas in aliqua aula (musaei vel pinacothecae) seorsum exponi posse ea lege, ut non omnibus pateat introitus, sed solis artis peritis maturae aetatis“[2]).

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 52.

[2]) *Aertnys,* Theologia moralis[5] (Paderbornae. Schöningh. 1898) I. n. 72.

109. De participatione in funeribus civilibus. *a.* Comitari funus defuncti, qui e. g. ob suicidium sepultura ecclesiastica privatur, peccatum non est, quia interventus ut actio mere civilis consideratur, quando funus sine peculiari sollemnitate ecclesiastica vel civili instituitur.

b. Si funera cum peculiari sollemnitate civili peraguntur, interventus per se illicitus est, tum quia censetur favor praestitus vel personae vel sectae impiae, quae eiusmodi funus exigit vel parat, tum quia gignit scandalum.

Ubi ergo haec duplex ratio cessat, participatio in funere civili potest fieri licita; cessat autem: α. in locis, in quibus eiusmodi funera saepius iam habita sunt et ideo minus attenduntur: in his enim adiunctis participatio censetur actus mere civilis, praesertim pro iis, qui ratione cognationis vel amicitiae cum defuncto arctius connectuntur; β. pro iis, qui morali necessitate funeri interesse debent ut milites a ducibus coacti, baiuli feretri, qui alias officio privarentur, subditi, qui a superioribus interesse iubentur: ubi enim moralis necessitas interveniendi publice nota est aut facile cognosci potest, omnes intelligunt interventum materialiter tantum fieri ad gravia damna evitanda.

c. Si funus civile ita instituitur, ut francomurarii vel socialistae cum signis et vexillis suis interveniant et signa sectae suae feretro apponant, assistentia multo difficilius permitti potest: cum enim eiusmodi funera rationem habeant sollemnitatis ab impia secta institutae, qui illis sine gravi necessitate interest, sectam approbare censetur[1]).

§ 3. De inductione.

110. Notio. Inductio seu seductio vel sollicitatio ad peccandum est actio externa, qua alius explicite et directe ad peccandum provocatur. Inductio variis actionibus fieri potest: verbis vel scripto, nutibus vel gestu.

Inductio cum scandalo eo convenit, quod inductio et scandalum proximum ad peccatum nondum determinatum ad peccandum excitant. Differt autem a *scandalo indirecto*, eo quod inductio semper coniuncta est cum intentione alium trahendi ad peccatum. A scandalo *directo* autem, quo peccatum proximi intenditur, eo differt, quod scandalum est *occasio*, inductio autem *causa* alieni peccati. Ideo per inductionem contrahitur, per scandalum directum autem non contrahitur obligatio restituendi.

---

[1]) Cf. *Génicot* I. n. 236. *Berardi*, Praxis confessariorum[3] I. n. 333. *Villada*, Casus consc.[2] (Bruxellis. Vromant. 1885) II. p. 103 ss.

111. Malitia inductionis. 1. Inductio *est gravis vel levis* prout peccatum, ad quod committendum alius provocatur, grave vel leve est, nisi habitualiter iam sit paratus ad peccatum data occasione committendum.

Qui alium invitat ad grave furtum secum committendum, grave seductionis peccatum committit, si alius non solet furari; at seductione graviter non peccat, si alium iam scit furtis esse assuetum.

2. Quodvis peccatum inductionis *duplicem malitiam continet,* alteram contra caritatem, quia proximo malum infert, alteram contra virtutem, ad quam laedendam alius provocatur, quia quodvis praeceptum exigit, ne alius ad ipsius laesionem directe provocetur.

a. Ideo non satisfacit in confessione, qui de hoc peccato se accusat: *alium ad peccandum seduxi,* sed insuper addere debet speciem peccati, ad quod alium provocavit: *alium ad furandum seduxi.*

b. In peccatis tamen, quae natura sua complicem habent, ut fornicatio, adulterium, turpiloquium etc., non est necesse, ut circumstantia inductionis in confessione declaretur, sed sufficit, ut dicatur e. g. adulterium commisi, turpia locutus sum: quia namque cum altero peccans e. g. fornicando cooperatione iam contra caritatem peccat, circumstantia inductionis, quae item contra caritatem est et ad hoc peccatum cooperationis accedit, solum est circumstantia aggravans, nisi alter dolo vel minis ad peccatum seducatur, id quod esset contra iustitiam.

112. *Num liceat petere ab altero, quod ipse sine peccato non praestabit.* 1. Nunquam licitum est petere, quod alter sine peccato praestare non potest e. g. sacramentum ab excommunicato vitando: talis enim petitio est vera inductio ad peccatum. Ideo non licet petere a notario vel custode, quod est contra eius officium.

2. Si res, quae petitur, sine peccato praestari potest, exsistente gravi causa licite peti potest, etsi alter eam sine peccato non praestabit e. g. mutuum ab usurario, iuramentum a peieraturo, sacramentum a sacerdote exsistente in statu peccati: nam ex iusta causa licitum est permittere alterius peccatum. At sine gravi causa id non licet, ut si res sine notabili incommodo aeque ab alio haberi posset, qui eam sine peccato praestabit.

113. *Num liceat suadere minus malum ad impediendum maius,* ad quod patrandum alter determinatus est e. g. ei, qui vult occidere inimicum, suadere, ut eum potius percutiat[1]).

1. Quando proximus a peccato, ad quod patrandum determinatus est, nulla ratione averti potest, licet ei ad impediendum maius malum suadere minus, ad quod tamen committendum iam paratus est: non enim suadetur absolute malum, sed ei, qui omnino iam facturus est malum, suadetur, ne faciat tantum malum, sed potius eligat minus, quae quidem suasio bona est[2]).

a. Duplex ergo condicio requiritur, ut haec inductio licita sit: α. ut proximus a maiore peccato non possit averti; etenim si peccatum prorsus impediri potest, suasio minoris mali non est amplius bona; β. ut proximus ad patrandum peccatum, quod suadetur, iam sit determinatus; atqui is solum ad committendum peccatum iam determinatus dici potest, cui suadetur malum eiusdem speciei. Ideo licet ei, qui paratus est Petro furari centum, suadere, ut eidem furetur quinquaginta, et ei, qui paratus est occidere Petrum eo fine, ut ab eo furetur, suadere, ut solum furetur.

b. Non dicitur actionem minus malam peccantis esse bonam: haec enim semper manet mala; sed consilium suadentis in his adiunctis bonum est, quippe quod, cum malum prorsus impediri nequeat, saltem in eius diminutionem tendat.

2. Non licet proximo suadere minus malum, ad quod committendum nondum est determinatus: etenim qui alteri suadet malum, ad quod committendum non est paratus, ipse causa est illius mali, quod peccatum est, etsi ex bono fine agat.

Ideo non licet ei, qui paratus est facere homicidium, suadere, ut potius faciat adulterium; licet autem obiectum minoris mali ei proponere, quin tamen ad illud patrandum inducatur. *S. Alphonsus* (n. 57) sententiam affirmantem dicit probabiliorem; et obiective quidem etiam haec suasio bona est, cum tendat in mali imminutionem, at vero difficile intelligitur subiective minus malum ei suaderi, cui suadetur peccatum diversae speciei. Et sane, si ei, qui determinatus est ad homicidium patrandum, suadetur adulterium, inducitur ad novum peccatum

[1]) Cf. *Castropalao,* Opus morale tr. 6. de carit. disp. 6. punct. 6.
[2]) Cf. Gen. 37, 27.

committendum, et sequens suasionem praeter peccatum internum homicidii committit etiam peccatum adulterii.

3. Non solum minus malum suadere, sed ad minus malum actione indifferenti etiam *cooperari* licet ad maius malum impediendum, quod alias impediri non potest.

Ideo licet amicum, qui violandi ieiunii causa ad cauponam divertere cogitat, domum secum abducere eique coenam ministrare. Licitum est latronem in aliena re auferenda iuvare, si hac ratione a maiore damno vel a morte domino inferenda impediri potest.

Ad quaestionem, num licitum sit *latronem ad ebrietatem inducere* atque ad eam proposito vino cooperari, ut ab homicidio committendo retrahatur, dicendum est: *a.* Non licet eum ad ebrietatem, ad quam committendam non est determinatus, provocare, ne ad maius quidem malum impediendum, quia non est faciendum malum, ut eveniat bonum. *b.* Licet autem latroni vinum apponere, etsi praevideatur inebriandus, quia hoc indifferens est, ebrietas autem ex iusta causa, ad impediendum nempe homicidium, permitti potest.

114. *Num liceat non auferre vel etiam apponere occasionem peccandi, etsi timeatur, immo praevideatur alterius peccatum.* *a.* Licitum est occasionem peccati, quae auferri posset, ex iusta causa *non auferre,* quia ex sufficienti causa licitum est alterius peccatum permittere; atqui sufficiens causa est unum peccatum admittere pro pluribus, quae postea fierent et hac ratione impediuntur.

Ideo parentes et heri possunt permittere filiis et famulis occasionem furandi ad eos corripiendos, si deliquerint, ut hoc modo emendentur. Custodes vinearum et silvarum etc, possunt se abscondere, ut damnificantes deprehensi puniantur et sic a furtis postea committendis absterreantur.

b. Si actio praebens occasionem peccandi bona est vel indifferens et iusta causa subsistit, licitum est etiam occasionem *apponere:* nam qui occasionem apponit, non inducit ad peccandum nec concurrit ad peccatum alterius, sed ex gravi causa illud permittit, ut scilicet eius fidem exploratam habeat vel ut complura alia peccata postea impediantur.

Ideo possunt parentes et heri pecuniam exponere vel arcam aperire ad experiendam filiorum vel famulorum fidelitatem.

115. De reparatione scandali et inductionis. *a.* Exsistit *obligatio* reparandi, quantum fieri potest, scandalum vel inductionem: si enim quilibet ex caritate tenetur procurare emendationem peccantis, a fortiori ad id tenetur, qui ipse per scandalum vel inductionem auctor fuit, cur alius peccaret.

b. Reparatio haec fieri debet *ex caritate*, sive per scandalum (e. g. pravo exemplo) sive per inductionem (iussione, consilio, precibus) alius ad peccatum inductus fuerit: nulla enim ipsi, utpote scienti et volenti, facta est iniuria; *ex iustitia* tum solum fieri debet reparatio, si quis alium medio iniusto (vi, dolo, metu) ad peccatum pertraxit, quia ei utpote invito illata est iniuria.

c. Scandalum *publicum* publice etiam reparari debet, tum ut ulterior scandali influxus tollatur, tum ut omnes quibus scandalum datum est, moneantur de malo, quod passi sunt.

d. Quoad *modum* reparationis ita distinguendum est:

α. Scandala ordinaria, quae nempe in solis peccatis coram aliis commissis consistunt, sive scandala privata sive publica sunt, implicite reparare sufficit, nempe cessatione a scandalo, bono exemplo, sacramenti poenitentiae publica susceptione etc.

β. Scandala autem eo data, quod doctrinae falsae et perniciosae in vulgus sparsae fuerint, vel eo, quod aliquis crimina graviore censura digna commiserit (e. g. machinationem contra ecclesiam), explicite reparari debent falsas doctrinas revocando vel crimina publice detestando.

Modus explicitae retractationis diversus esse potest: vel enim retractatio scripto exarata per folia publica divulgatur, vel retractatio fit coram (duobus) testibus rem postea divulgaturis, vel tandem retractatio fit coram parocho (confessario) postea divulgaturo poenitentem obligationibus suis satisfecisse.

Nota. Cum cessatio a scandalo eiusque reparatio sit obligatio conscientiae, patet ad sacramenta ecclesiae eum (utpote indignum) admitti non posse, qui huic obligationi, si gravis sit, nondum satisfecerit. Quin immo sacramenta ei administrans, qui a praebendo scandalo non

cessavit illudque non reparavit, ipse peccatum scandali committit, quia fidelibus ansam praebet iudicandi sacramenta administrari indignis actionesque scandalosas tacite approbari.

§ 4. De cooperatione[1]).

116. Notio. 1. *Cooperatio latiore* sensu accepta significat concursum cum alio operante, *strictiore* autem sensu significat concursum physicum ad pravam actionem alterius principaliter agentis.

Cooperatio latiore sensu accepta etiam scandalum et inductionem comprehendit; si autem strictiore sensu accipitur, tum a scandalo tum ab inductione differt: scandalum enim et inductio ad determinandum proximum, qui ad peccatum nondum est determinatus vel ut occasio vel ut causa concurrunt, cooperatio vero voluntatem ad peccandum determinatam in altero iam supponit eumque in perpetrando peccato externo actione physica adiuvat. Fieri tamen potest, ut cooperatio simul evadat scandalum, si ipsa nimirum proximi pravam voluntatem augeat vel confirmet.

2. Hoc loco sermo est de cooperatione stricto sensu accepta, quae semper positiva et physica est. Per hanc cooperationem aliquis proximum in peccato patrando adiuvat vel *sola sua actione,* ut is, qui furari volenti humeros supponit, vel *materiam administrando,* ut is, qui se inebriare volenti vinum subministrat. Cooperatio consideranda est prout adversatur caritati.

117. Divisio cooperationis. Cooperatio dividitur:

1. In *formalem,* si cooperans tum ad intentionem tum ad actionem pravam concurrit, et in *materialem*, si solum ad actionem pravam concurrit.

a. Qui furi tradit claves, ut furari possit, formaliter cooperatur, si illum in peccato furti iuvare intendit, et materialiter cooperatur, si claves, quibus ille ad furandum abutitur, ex alio fine e. g. ad propriam vitam servandam subministrat.

b. Cooperatio duplici modo potest esse formalis: α. *explicite* ex intentione cooperantis, qui expresse voluntatem habet participandi in peccato alieno; β. *implicite* ex natura operis, quod praestatur; cum

[1]) Cf. Zeitschrift f. k. Theol. III. (1879) S. 511 ff.

nempe aliquis opus exercet, quod natura sua vel attentis circumstantiis ad pravam actionem directe ordinatur: tunc enim ipso facto retractatur intentio contraria et habetur implicite intentio pravae actionis, ut si quis participat in functione sacra haereticorum, formaliter cooperatur, etsi dicat se id non intendere.

2. In *immediatam*, si cooperatio concurrit in ipsa actione prava, et in *mediatam*, si concurrit in actione, quae ad peccatum inservit ad illudque viam parat.

Ergo non cooperatur immediate, qui vendit gladium aut venenum, quo alter ad homicidium abutitur; immediate vero cooperatur, qui cum alio aliquem verberat vel vulnerat, qui cum alio domum incendit, pecora e stabulo abigit, cistam re aliena refertam asportat.

3. Cooperatio mediata vel est *proxima* vel *remota*, prout cooperans concurrit in iis, quae proxime vel magis remote ad actionem pravam inserviunt. Exemplo sit cooperatio illius, qui furi scalam tradit, vel eam tenet, dum ascendit, vel ascendentem sustentat.

Aliam notionem cooperationis formalis exhibet *s. Alphonsus* (n. 63), qui illam cooperationem dicit formalem, *quae concurrit ad malam voluntatem alterius*, „eam nempe excitando aut aliter in eam positive influendo", ut interpretatur *Aertnys*. Inde fit, ut complures quaestiones particulares a s. doctore non eodem modo atque ab aliis auctoribus solvantur.

118. Principia de liceitate cooperationis. 1. Cooperatio *formalis* nunquam licita est: etenim cum ipsa includat approbationem peccati alterius, semper in se mala est.

Cooperatio *formalis duplicem malitiam* habet, alteram contra caritatem, alteram contra virtutem, quae per cooperationem laeditur; ideo in confessione declarandum est peccatum, ad quod aliquis formaliter cooperatus est.

2. Cooperatio *materialis* per se quidem illicita est, quandoque autem, ubi adsunt requisitae condiciones, licita evadit.

a. Cooperatio materialis adversatur praecepto caritatis: tenemur enim peccatum proximi impedire, si commode possumus, ergo a fortiori illum in peccato patrando non adiuvare.

b. Condiciones, sub quibus cooperatio materialis licita evadat, duae sunt: ut actio sit bona aut saltem indifferens,

ut adsit causa proportionate gravis permittendi alterius peccatum. Atqui positis hisce condicionibus cooperatio materialis licita fit: ubi enim ex aliqua actione non mala sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus, ex causa proportionate gravi licet illam actionem ponere, etsi praevideatur secuturus malus[1]).

c. Causa excusans cooperationem debet esse *proportionate gravis.* Iam vero quaenam causa sufficiat, ut possit fieri cooperatio, iudicio prudentum determinandum est; in hoc autem iudicio ferendo ad haec quatuor attendi debet:

α. *Ad gravitatem peccati:* eo maior enim debet esse causa excusans cooperationem, quo gravius peccatum est, ad quod aliquis cooperatur.

Sic maior causa requiritur, ut liceat cooperari ad homicidium quam ad furtum, et maior, ut liceat cooperari ad peccatum contra iustitiam, quam ad alia peccata: haec enim cooperatio soli peccanti damnum spirituale affert, illa vero nocet etiam proximo innocenti et invito.

β. *Ad propinquitatem cooperationis:* gravior enim causa requiritur ad proximam, quam ad remotam cooperationem; sic maior ratio requiritur, ut ad pravum librum imprimendum cooperari liceat typos collocando quam chartam praeparando.

γ. *Ad necessitatem cooperationis:* maior enim causa requiritur, ubi cooperatio adeo necessaria est, ut sine ipsa peccatum non fieret, minor autem, ubi cooperatione negata peccatum nihilominus fieret.

δ. *Ad obligationem impediendi peccatum:* ideo maior causa requiritur in iis, qui peccatum etiam ex officio pietatis vel iustitiae impedire tenentur.

3. Cooperatio *immediata* pariter illicita est exceptis quibusdam casibus in peccatis contra iustitiam. Cooperatio enim immediata ordinarie ex natura operis, ergo in se mala est; ideo nunquam licet immediate cooperari ad occisionem

[1]) Cf. *De principiis*[7] n. 82. Quatuor condicionum, quae ibi requiri dicuntur, ut liceat causam ponere, ex qua sequitur effectus bonus et malus, duae in hac quaestione ex natura rei implentur, unde hic duae tantum recensentur.

alterius. In aliquibus autem actionibus, quae adversantur iustitiae, quandoque ratio mali cessat; sic ex gravissima causa licet immediate cooperari ad grave damnum proximo inferendum in bonis fortunae.

a. Licet e. g. ex metu mortis alium iuvare in incendenda alterius domo: α. si cooperans postea damnum resarcire velit; β. si damnum etiam sine eius cooperatione illatum fuisset; γ. si per cooperationem maius proximi malum impediri possit: nam in his omnibus dominus non potest esse rationabiliter invitus.

b. Num id etiam tum liceat, quando damnum sine cooperatione non fieret, et cooperans illud reparare non possit, disputant. Qui *negant,* dicunt actionem cooperantis esse intrinsecus malam, quia ille, qui laeditur, rationabiliter invitus est: siquidem non tenetur cum tanto suo damno vitam alterius servare. Qui *affirmant,* verius dicunt, constituto in extrema necessitate e bonis proximi auferre (etiam destruendo) licet, quantum requiritur ad vitam servandam.

4. Cooperatio ad peccatum, *quod tendit in perniciem ecclesiae vel reipublicae,* nunquam licita est, quare nulla unquam causa, ne timor quidem gravissimi mali, immo ipsius mortis, ab eiusmodi cooperatione excusat: hoc enim malum, utpote publicum, tantum est, ut quilibet privatus teneatur etiam cum periculo vitae illud impedire.

119. De cooperatione materiali. Theoria modo exposita de cooperatione materiali eiusque liceitate omnino plana est; difficultas autem magna eaque duplex oritur in diiudicandis factis particularibus: frequenter enim aegre intelligitur, utrum actio aliqua sit in se mala an vero indifferens; deinde non sine negotio determinatur quantitas causae, quae a cooperatione materiali praestanda excuset. Ideo imprimis principia exponenda sunt, ex quibus de indifferentia actionis cooperantis iudicium ferendum sit, deinde aliqualis norma assignabitur, secundum quam gravitas causae excusantis determinari poterit.

120. De actionis cooperantis indifferentia. 1. De ratione rei vel actionis intrinsecus malae est, ut bonum usum habere non possit; res vel actiones, quae ex fine operantis bonae vel malae fieri possunt, in se indifferentes

sunt. Res ergo vel actio non est intrinsecus mala, eo quod reipsa unice ad malum finem inserviat, sed eo quod finem honestum nec habeat nec habere possit. Sic pingere imaginem obscoenam, quae solum ad excitandam libidinem inservit, est actio in se mala, quia imago inepta est, quae ad alium finem eumque honestum vel indifferentem inserviat. Admodum paucae sunt res (artificiales) in se malae, quae bonum usum habere non possunt; eiusmodi sunt imagines prorsus obscoenae, scripta prorsus obscoena, libri in Deum ac religionem prorsus contumeliosi, instrumenta, quae solum ad frustrandam generationem apta sunt, remedia quae solum ad procurandum abortum inservire possunt.

a. Fabricare vel vendere idola ex se actio indifferens est: possunt enim idola praeter finem superstitiosum etiam alium usum habere e. g. ad ornandum palatium, ad conservandam ipsorum imaginem etc.

b. Res haereticas scribere vel imprimere per se indifferens est: scribi enim et imprimi etiam possunt, ut confutentur.

c. Conficere vel vendere signa francomurariorum absolute loquendo res indifferens est, quia haec signa etiam alium usum admittunt nec ullam impietatem continent.

d. Pulsare campanam ad concionem haereticam est signum conventionale, a cuius significatione pendet, utrum sit actio in se mala an vero indifferens: si namque designat invitationem et convocationem ad ritum haereticum, actio in se mala est; quodsi nil aliud indicat, nisi adesse tempus concionis vel ritus haeretici, indifferens est. Posteriorem significationem sono campanae cum aliis tribuunt *Laymann*[1]) et *Lehmkuhl* (n. 654).

2. Cooperatio eo non evadit illicita, quod cooperans sciat rem vel actionem suam proxime inservire ad peccatum, modo res vel actio sit indifferens et adsit causa sufficienter gravis permittendi alienum peccatum. Quia tamen in his adiunctis, in quibus alii quoque sciunt rem adhiberi ad malum usum, cooperatio per se consensum in malum finem significat, necessaria esse potest protestatio, qua cooperans ad praecavendum scandalum declaret se nolle ad malum concurrere.

---

[1]) L. 2. tr. 3. c. 13. n. 5.

a. Sacerdos, qui peccatori *eucharistiam administrat*, ad sacrilegium proxime quidem sed materialiter cooperatur: eius enim actio, qua hostiam consecratam ex uno loco in alio ponit, indifferens est nec in se mala evadit ex cognitione, quam habet, alium ea abuti ad sacrilegium committendum.

b. Idola conficere vel vendere iis, qui ea ad superstitiosum cultum adhibent, *practice* illicitum dici potest, quia raro aderit causa sufficienter gravis, quae cooperationem hanc proximam excuset; sed *in se* et natura sua non est dicenda illicita, quia res est indifferens et cognitio, qua ea proxime ad malum adhibenda scitur, eam non facit illicitam; exsistente ergo gravissima causa haec cooperatio permitti posset[1]).

3. Intrinsecus malae non sunt actiones, quae aptae sunt ad augendam vel confirmandam pravam peccantis voluntatem. Haec enim circumstantia, quod actio cooperantis suo modo in malam peccantis voluntatem influat, ostendit quidem eam continere etiam rationem scandali, quia alter ex ea in malo confirmatur, at non ostendit eam esse intrinsecus malam.

Ideo non malae, sed indifferentes sunt actiones istae: aliquem comitari ad duellum; furi indicare tempus et locum, quo furtum sine periculo exsecutioni mandare possit; excubias agere, dum furtum, adulterium committitur; litteras amatorias deferre ad meretricem. Quare famulus haec et eiusmodi, non quidem ratione famulatus, sed ex causa vere gravi praestare potest[2]).

121. De gravitate causae excusantis. 1. Ut aliqualis norma determinetur, haec statui possunt:

a. Cooperatio *remota* excusatur propter leve incommodum, quod cooperans ob omissam cooperationem pateretur, ergo etiam ex sola subiectione, qua filius patri, famulus domino subest, vel ex solo lucro, quod ex actione percipitur aut omissa actione cessat.

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 657. *Génicot* I. n. 238. Hoc sensu intelligendae videntur responsiones s. congregationis de prop. fide, quae huiusmodi cooperationes illicitas declarant, nempe ob defectum causae sufficientis.

[2]) Cf. *Tamburini*, Explicatio decalogi l. 5. c. 1. § 4. n. 19. *S. Alphonsus* n. 65. 67. *Ballerini-Palmieri* II. n. 289.

b. Cooperatio *propinqua* excusatur propter gravem causam seu grave incommodum, quod ex omissa cooperatione sequeretur.

c. Cooperatio *proxima*, praesertim ea, qua omissa peccatum non fieret, excusatur solum ex causa valde gravi vel etiam gravissima seu ex damno gravissimo, quod ex omissa cooperatione sequeretur.

2. *Damnum* autem grave, valde grave et gravissimum ex mente *s. Alphonsi* ita determinari potest.

a. Exempla *gravis* damni seu incommodi sunt: timor magni doloris, patiendi magnam indignationem a viro, patre, hero; timor amittendi lucrum notabile (c. decem flor. pro paupere, c. vinginti pro homine tenuis fortunae); notabilis molestia vel repugnantia; magnus pudor.

b. Exempla *valde gravis* damni: timor non inveniendi facile alium dominum nisi cum notabili detrimento, cum magna iactura in fama, honore vel bonis fortunae; timor decidendi notabiliter ex statu; timor gravis carceris.

c. Exempla *gravissimi* damni: periculum incurrendi mortem, amittendi membrum principale vel aliquem sensum e. g. oculum; timor captivitatis perpetuae, maximae infamiae, morbi acerbi; amissio omnium vel fere omnium bonorum[1]).

Quaestiones particulares de cooperatione. *a.* Sicut peccata ita etiam cooperationes ad peccata in omni vitae genere (religioso, morali, politico, sociali, oeconomico etc.) contingunt atque ab hominibus cuiusvis condicionis exhibentur, ideo quaestiones solvendae diversissimae et interdum satis difficiles sunt.

b. Quaestiones sequentes solum sub respectu cooperationis considerantur, a ratione autem scandali et ab intentione cooperantis, quae posset esse mala, praescinditur. Patet maiorem causam requiri, ut licita evadat actio, in qua ratio cooperationis et ratio scandali coniunguntur ut in impressione libri pravi.

122. De cooperatione ad falsos ritus.

a. Templa haereticorum aedificare, nisi eiusmodi labores exigantur in odium christianae religionis vel ad professionem falsi cultus, per se cooperatio materialis eaque remota, non tamen omnium, qui ad tale opus concurrunt, aequalis est. Quare ad

[1]) Cf. *Villada,* Casus conscient.[2] (Bruxellis. Vromant. 1885) I. p. 85 ss.

eiusmodi templum aedificandum vel restaurandum cooperari in munere architecti vel praefecti aedificii non licet nisi ex gravi causa, in munere autem operarii secundarii licet ex leviore causa, non tamen ex sola ratione lucri ex soluta mercede percipiendi.

α. Insuper huius cooperationis adiuncta considerari debent. Etenim si agitur de secta recenti vel de loco, ubi secta hucusque non admittebatur, eiusmodi cooperatio induit speciem favoris erga haeresim ideoque cooperationis formalis, quare saltem architectis et aedificii praefectis solum ex causa valde gravi liceret, ex qua ipsa materialiter tantum fieri intelligeretur. Simili ratione iudicandum est de aedificiis, quae sectis impiis ut francomurariis vel socialistis ad ipsorum conventus inserviunt.

β. Quamvis s. sedes cooperationem ad *templa mahumetana* aedificanda ex gravi causa permiserit[1]), nunquam tamen permisit, ne ad mortem quidem vitandam, ut christiani aedificandis *idolorum templis* operam darent[2]). Hoc ideo factum esse videtur, quia in singulis casibus constabat erectionem templi haberi tamquam factum protestativum falsi cultus; hinc extra hunc casum cooperatio ad aedificanda templa idolorum permittenda videtur. Multo tamen gravior causa requiritur, ut cooperatio ad aedificanda templa idolorum licita evadat[3]).

b. Vendere utensilia ad ritum acatholicum necessaria e. g. scamna, mensas, panna, lampades etc. est cooperatio remota, ad quam sola ratio lucri ex venditione percipiendi excusat. Quo magis autem harum rerum usus ad ipsum ritum falsum requiritur ut vestes, quibus in exercendis ritibus induuntur, vel panis, quo in coena utuntur, eo gravior causa requiritur, ut earum confectio et venditio licita evadat, quod cooperatio propior est.

c. Ipsis haereticis petentibus *opera artis conficere ad templum acatholicum ornandum,* si opus ipsum bonum aut indifferens est, e. g. imaginem crucifixi, organa, campanas et eiusmodi ex sola ratione lucri non licet, quia haec conferunt ad augendum splendorem ritus atque ad sectam promovendam. Cum igitur in hoc casu etiam ratio scandali accedat, maior causa requiritur, ut tum cooperatio tum scandalum permitti possit.

d. Num liceat pecuniam conferre ad idololatrias. α. Si pecunia *sponte* confertur, cooperatio est formalis et illicita. β. Si pecunia *coacte* confertur et quidem tamquam tributum communitati oblatum, quae ex eo etiam ad cultum haereticum vel superstitiosum

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 21. nov. 1837.

[2]) *S. Officium* 8. ian. 1851 et pluries alias.

[3]) Cf. *Th. Gallo,* Suppetiae missionariorum (Romae et Taurini Marietti. 1872) I. p. 197.

contribuit, minor est difficultas, quia tributum oblatum etiam ad fines indifferentes adhiberi potest. γ. Si pecunia coacte confertur, et quidem immediate ad cultum superstitiosum vel ad templum aedificandum, contributio in se continet externum consensum cum intentione prava haereticorum vel infidelium atque externum favorem haeresi vel idololatriae praestitum. Quodsi aliquo modo effici possit, ut ex contributione consensus cum haereticis excludatur e. g. per protestationem praemissam, contributio licita esse potest[1]). Ex eadem causa et sub iisdem condicionibus licet etiam *pecuniam conferre ad templa haereticorum aedificanda;* quamvis enim sciatur pecuniam solum ad usum pravum adhiberi, actio tamen ipsa non est intrinsecus mala, quia non necessario approbationem falsae sectae continet.

α. Notanda est hac de re responsio *s. Poenitentiariae* (1822): pecuniam conferre ad aedificanda templa haeretica tum tantum licitum esse, si hac ratione catholici, qui cultum in eadem ecclesia cum protestantibus celebrant, ab hac scandalosa simultaneitate se liberare possunt. Ex quo responso duo colliguntur: primo quidem actionem ipsam conferendi pecuniam non esse in se malam, deinde vero s. Poenitentiariam solum causam damni communis sufficientem iudicasse, ut haec cooperatio excusari possit. Nihilominus auctores gravem causam damni privati quoque hanc cooperationem excusare posse arbitrantur[2]).

β. In locis, in quibus catholici protestantibus permixti vivunt, licet catholicis pecuniam conferre ad *scholas vel orphanotrophia protestantium aedificanda* vel sustinenda: finis enim horum aedificiorum non est religiosus, sed institutionis vel misericordiae exhibendae. Duplex tamen condicio requiritur: ut absit scandalum inde ortum, quod collatio pecuniae consideretur tamquam favor praestitus falsae sectae, et ut constet pecuniam non adhiberi ad pervertendos catholicos, qui in his institutis suscipiuntur[3]).

γ. Num peccatum sit *pecuniam dare alicui associationi socialisticae vel liberali*, a fine associationis dependet. Si finis omni ex parte malus est, ut impugnare ecclesiam catholicam, promovere haeresim, iuvare electionem candidati socialistae, largitio intrinsecus mala est: nam pecuniam dare eiusmodi associationi idem est ac eius finem promovere. Si finis associationis honestus est (cura aegrotorum, subsidium pauperum, educatio etc.), absque causa excusante tamen non licet, quia in prosequendo fine principia prava associationis normam suppeditant.

e. Advocare ministrum haereticum ad moribundum, qui illum petit, ut sibi ritum religiosum suae sectae administret, est inductio

---

[1]) *S. Officium* 21. apr. 1847.

[2]) Cf. *Génicot* I. n. 237.

[3]) *Lehmkuhl* I. n. 660.

ad malum illicita; quodsi ministro nil aliud dicatur, nisi adesse infirmum, qui ipsum petit, est res indifferens, sed tamen cooperatio propinqua, quae ex adiunctis facile perperam intelligi potest; ideo solum ex causa gravi necessitatis excusari videtur[1]).

Num liceat curare, ut actio illicita ex officio praestanda conscientiae causa ab alio praestetur. — Non licet alium *petere*, ut actionem illicitam sua vice ipse praestet: hoc enim esset alium inducere ad peccatum, quod etiam tum non licet, quando alius solum peccatum materiale committit; licet autem *permittere*, ut alius sua vice actionem illicitam peragere debeat. Si famuli christiani simul cum infidelibus operam suam communitati elocant, praefectum rogare, immo etiam cum eo pacisci possunt, ne opera superstitiosa eis iniungantur, etsi praevideant, ethnicos illa peracturos esse: in casu permittunt, quod impedire nequeunt.

123. De cooperatione artificum et mercatorum. *a.* Qui conficiunt vel vendunt *res in se malas*, quae bonum usum nec habent nec habere possunt, nunquam a peccato formalis cooperationis excusari possunt.

b. Qui faciunt vel vendunt *res indifferentes*, quibus emptores abuti possunt ad malum e. g. aleas, fucos, gladios, ornamenta muliebria etc., a peccato excusantur, etsi praevideant, complures (indeterminate) emptores illis abusuros esse: ad hanc namque venditionem cohonestandam maior causa non requiritur quam ordinarium lucrum, quod ex earum venditione percipitur. Si tamen certo constaret determinatum emptorem illa re abusurum esse, iactura pretii ex ea percipiendi non esset sufficiens causa rem conficiendi vel vendendi, sed maior requireretur, non tamen gravis, ubi agitur de re etiam alias venali, adeo ut negata venditione peccatum non impediretur. Sed ubi peccatum mentis negata venditione impediri potest, venditio solum ob gravem causam licita est.

c. Conficere vel vendere res, quae in se quidem indifferentes sunt, sed natura sua valde raro bonum usum habent (ut idola, ornamenta, quae solum ad cultum idololatriae adhibentur, signa francomurariorum, imagines et statuae obscoenae et eiusmodi) et manifesto ex prava intentione petuntur vel emuntur, solum ex gravissima causa licet, ideoque communiter prorsus illicitum est (n. 120).

Mercatores ordinarie non tenentur inquirere, ad quem usum res in se indifferentes emantur, cum hoc onus nimis grave esset. Si tamen aliqua res vendenda ad usum nocivum adhiberi soleat (ut quaedam

---

[1]) *S. Officium* 26. dec. 1898.

venena), non licet eam vendere nisi moraliter constet emptorem ea non esse abusurum, aut gravissima causa urgeat.

Secundum easdem normas solvendus erit etiam casus, quem s. *Alphonsus* (n. 69) rigidius solvere videtur. Censet enim non licere vinum vendere illi, qui deinde venditurus est vinum aqua mixtum, nisi ex gravissima causa, nempe ex metu mortis vel infamiae. Alii auctores id permittunt, si vinum aliis emptoribus sine magna iactura vendi non potest[1]).

124. De cooperatione ad pravas ephemerides[2]). Complures ad edendas pravas ephemerides et ad peccata, quae earum lectione committuntur, concurrunt.

a. Lectores alii interdum folium emunt et legunt, alii associati sunt et sua associatione ad ephemeridem conservandam et propagandam cooperantur. Et primi quidem valde *remote* cooperantur, ideo quaevis causa levis eos ex hac parte, excluso scandalo, a peccato excusat e. g. utilitas lectionis, recreatio etc. Qui folio associantur et pecunia sua illud sustentant, *propinque* cooperantur; hos itaque solum gravis causa a peccato excusat e. g. magna utilitas in suo negotio gerendo.

Qui ex rationabili causa pravo folio licite nomen dare potest, duo praecavere debet: α. periculum perversionis; quare praeter ea, quae ad ipsius negotium pertinent, licite nihil legere potest nisi mere indifferentia; β. scandalum, quod domestici et externi sumere possunt; quare hinc quidem declarare debet se habere iustam causam folium istud legendi, sed eius principia se reprobare, inde vero curare debet, ne folium in domesticorum manus incidat.

b. Scriptores alii sunt redactores, alii collaboratores, et hi quidem vel ordinarii sunt vel extraordinarii, qui interdum tantum articulum folio pravo inserunt.

α. *Redactores* et scriptores, qui principia a folio propugnata agnoscunt et secundum eadem principia folium redigunt vel articulos conscribunt, manifesto *formaliter* cooperantur, ideoque a peccato gravi excusari non possunt.

β. *Scriptores ordinarii,* qui principia non agnoscunt, ideoque materialiter cooperantur et articulos ex se indifferentes et innocuos scribunt, *cooperatione plus vel minus propinqua* peccant, prout eorum articulis folium plus minusve commendatur et propagatur; quocirca solum causa plus minusve gravis a peccato eos excusare potest, qualis certe non est maius lucrum, quod inde percipiunt, sed solum lucrum, quo ad propriam vel suorum

---

[1]) *Lehmkuhl* I. n. 673.

[2]) Cf. *Villada,* Casus consc.[2] I. p. 95 ss.

sustentationem indigent. Semper autem curare debent, ut scandalum praecaveatur, quod illis parari potest, qui cooperationis notitiam habent.

γ. *Scriptores extraordinarii* remote cooperantur; quare sine iusta causa non licet elucubrationes suas foliis pravis inserere, attamen causa mediocriter gravis ab hac cooperatione excusat. Pariter nuntia venditionum, locationum et eiusmodi (Inserate) pravis foliis inserere non licet sine iusta causa hanc cooperationem excusante. Causa vero eo maior esse debet, quo magis eiusmodi annuntiationes efficiunt, ut folia latius propagentur et facilius sustineantur. Quare cum singulorum annuntiationes ordinarie non multum ad id conferant, leve commodum exinde perceptum ab hac cooperatione excusat.

Fieri potest, ut ea sint adiuncta ephemeridum et lectorum de cetero haereticorum, ut ille, qui articulos suos bonos eisdem inserendos curat, occasionem nanciscatur vera et bona principia lectoribus exponendi. In his adiunctis cooperatio non est illicita, modo existimatio malae ephemeridis et numerus non ideo augeatur[1]).

c. Qui ephemerides malas *vendunt*, distribuunt etc., proxime quidem, attamen non tam propinque cooperantur quam imprimentes; quare etiam isti solum ad incommodum valde grave vitandum huic operi licite vacare possunt, donec aliud medium comparandi sibi victum repererint.

125. De cooperatione cauponum. Tripliciter potissimum caupones ad peccata aliena cooperari possunt:

1. *Praebendo cibos vetitos. a.* Non licet ultro hospitibus offerre cibos prohibitos: hoc enim esset illos invitare ad peccatum.

b. Licet petentibus ministrare carnes diebus prohibitis, quia nimis durum et periculosum esset singulos interrogare, num legitimam causam habeant; quodsi constet ipsos non esse excusatos, solum ex gravi ratione notabilis damni carnes administrari possunt, ut si alias confluxus hospitum notabiliter minueretur.

c. Hinc si praevident adfuturos esse hospites, qui cibos prohibitos petant, possunt mensam cibis licitis et illicitis instruere et si praevident neminem petiturum esse cibos esuriales, solum cibos ex carne parare possunt; tenentur autem hospites monere ipsos posse cibos esuriales accipere et petentibus tales ministrare debent.

---

[1]) Cf. Constitutio *Officiorum ac munerum* Leonis XIII. (25. ian. 1897) n. 22: „Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis vel foliis vel libellis periodicis quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet."

In familia privata, in qua extraneis soluto pretio mensa paratur sine peculiari causa cooperari non licet ad violandam abstinentiam, ideo ne petentibus quidem tam facile cibos vetitos administrare licet; causa tamen mediocriter gravis hanc cooperationem excusat, si peccatum negata administratione impediri nequit.

2. *Ministrando vinum.* *a.* Nunquam licet sponte offerre vinum ei, qui exinde inebriandus praevidetur: haec enim administratio formalis cooperatio esset.

b. Licet hospitibus indiscriminatim confluentibus ex sola causa lucri ministrare vinum, etsi in confuso praevideatur aliquos eorum ebrietate, rixis et blasphemiis peccaturos esse, tum quia peccata impediri non possunt (in aliis enim tabernis vinum eis administrabitur), tum quia caupo grave damnum subiret: cum enim eiusmodi peccata in tabernis ordinarie accidant, magnam hospitum iacturam pateretur.

c. In particulari autem casu non licet hospiti se inebriaturo ministrare vinum, quod petit, ex sola lucri causa nec propter hospitis indignationem; sed ut cooperatio ad determinatum et certum peccatum licita sit, gravior causa requiritur e. g. metus rixae, blasphemiae vel notabilis damni ex diminutione hospitum[1]).

3. *Proponendo ephemerides pravas.* *a.* Non licet exponere ephemerides, quae prorsus malae sunt, quae scilicet fidei vel bonis moribus vix non semper adversantur, etsi a multis petantur, qui propterea cauponam derelicturi sunt: damnum enim licet grave cauponis nequit esse causa sufficiens permittendi multorum ruinam spiritualem, quae inde sequeretur. Accedit, quod eiusmodi ephemerides etiam lege ecclesiastica prohibentur[2]).

b. Ephemerides, quae rarius tantum aliquid continent, quod fidei vel bonis moribus adversatur, petentibus in loco separato praebere possunt, si alias notabile damnum paterentur.

c. Solum si experientia constat hospites fere omnes ea folia petere eosque alias cauponam derelicturos esse, publice proponi possunt, modo simul etiam ephemerides bonae exponantur. Sic in maioribus civitatibus vix amplius impediri potest, quominus eiusmodi folia iam publice a cauponibus exponantur.

126. De cooperatione bibliopolae per libros pravos. *a.* Vendere librum prohibitum, qui prorsus malus seu fidei et bonis moribus nocivus est, adeo ut bonum usum non habeat, nullo modo licet.

---

[1]) Cf. *Elbel-Bierbaum,* Theologia moralis[2] I. pr. 1. n. 17.

[2]) Constit. *Officiorum ac munerum* n. 21.

b. Librum prohibitum vendere, qui non omni ex parte malus est, sed etiam res utiles continet, quo tamen emptor abusurus est, ex gravi causa necessitatis licet.

c. Bibliopolae non tenentur inquirere, in quem finem liber ematur, sed eum vendere possunt omnibus, quos spectata eorum qualitate prudenter existimant licite eum petere: alias enim onus nimis grave eis imponeretur. Si de bono usu libri dubitant, illum vendere possunt, quia nemo praesumendus est malus[1]).

127. De cooperatione typographorum. Omnes, qui in typographiis occupantur, editorem libri adiuvant in edendo opere pravo, alii remote, alii plus vel minus proxime.

a. Ipse *typographus* seu typographiae dominus nunquam licite impressionem libri pravi suscipere potest: nam librum scriptum imprimendum suscipere est *formaliter* cooperari et alios ad cooperandum inducere.

b. Proxima est cooperatio eorum, qui typographiam dirigunt, typos collocant et folia corrigunt; cum eorum actio non sit in se mala, ex gravissima causa (ut si alias necessaria sustentatione pro se suisque careant) ipsis cooperari licet, excepto casu, quo liber adeo malus est, ut bonum finem habere non possit.

Corrigentes folia impressa ab omnibus auctoribus referuntur tum ad legentes librum pravum tum ad cooperantes ad eius editionem, sed ab aliis ad proxime, ab aliis ad remote cooperantes.

c. Propinqua est cooperatio eorum, qui chartam typis imponunt, atramentum et chartam praeparant, folia iam impressa ordinant et compingunt, machinas movent easque curant; ex gravi causa his cooperari licet.

d. Remota est cooperatio eorum, qui typographo atramentum, chartam, machinas et alia ad impressionem libri necessaria vendunt; quare hanc cooperationem iam solum pretium ex venditione percipiendum excusat.

In typographia, in qua fere unice libri perversi et ephemerides pravae imprimuntur, operam suam collocare non licet. Qui in eiusmodi typographia cooperantur, eam sub gravi deserere tenentur, si proxime ad malum cooperantur; quod si propinque vel remote tantum cooperantur, manere possunt, si sine notabili damno recedere nequeant. In typographia, in qua libri boni et mali indiscriminatim imprimuntur, laborem sumere pro diversitate cooperationis ex levi vel solum ex gravi causa licet.

---

[1]) Cf. Constit. *Officiorum ac munerum* n. 46.

128. De cooperatione per choreas.

a. Choreae duplici modo considerari debent: prout intervenientibus sunt *occasio* peccandi, et prout pro instituentibus *cooperationem* ad peccata aliorum continent. De choreis primo modo consideratis alibi sermo est; de choreis sub hoc altero respectu hic dicendum est. Agitur autem de institutione chorearum (Veranstaltung einer Tanzunterhaltung), qua plures indeterminate abutuntur ad peccatum.

b. Inter cooperatores per choreas primum locum tenent constituentes et ad eas invitantes, secundum musici, tertium locantes in hunc finem domos vel aulas suas.

c. Constituentes et *invitantes* graviter peccant, si choreae sunt graviter inhonestae; leviter peccant, si choreae sunt leviter inhonestae: inducunt enim ad rem graviter vel leviter malam.

Si choreae sunt honestae, invitando quidem non peccant, cooperantur autem constituendo choreas ad peccata, quae in illis committuntur.

d. Musici, si choreae sunt inhonestae, non possunt licite concurrere, nisi ex graviore causa, quia soni saltationes inhonestas dirigentes partem ipsius saltationis inhonestae ideoque proximam cooperationem constituunt. Si choreae non sunt inhonestae, ex levi causa concurrere licet.

e. Locantes aulas remote cooperantur; quare iam causa amittendi lucrum eos excusat, etsi choreae sint inhonestae, quando ipsis non locantibus adsunt alii, qui in hunc finem domum suam locabunt. Quodsi ipsis non locantibus choreae impedirentur, maior causa requiritur.

129. De cooperatione famulorum ad peccata dominorum.

a. Actiones, quae *remote* tantum concurrunt ad peccatum domini, quod negata cooperatione impediri nequit, ob solam rationem famulatus excusantur. Ideo licet ex sola hac causa vinum apponere domino se inebriaturo, parare carnes die abstinentiae, libros malos vel folia prava emere aut afferre, dominum curru ad domum amasiae vehere, munera ad amasiam deferre etc.

b. Actiones, quae *propius* vel *proxime* ad peccatum domini cooperantur, non excusantur, nisi ad rationem famulatus alia causa proportionate gravis accedat. Quanta haec esse debeat, in particulari casu consideratis omnibus eius adiunctis prudenti iudicio determinari debet. Ideo solum ad grave damnum vitandum licet litteras amatorias ab hero scriptas ad amasiam deferre, excubias agere, dum herus cum amasia versatur.

Aurigis permitti potest, ut omnibus indiscriminatim operam suam praestent, tum quia non tenentur singulos interrogare, quo fine

locum determinatum petant, tum quia, etsi pravum finem cognoscant, peccatum tamen impedire non possunt, tum denique quia grave damnum incurrunt, nisi omnibus officium suum praebeant.

Cum hac resolutione concordat responsum *s. Officii* non esse inquietandos christianos, qui cymbis vel sellis gestatoriis, quibus omnes indiscriminatim personae de loco in locum transferri solent, etiam eos gentiles vehunt, qui ad sepulcra maiorum accedunt, ut ibi superstitiones exerceant[1]).

---

[1]) *S. Officium* 12. iul. 1854.

Pars secunda.

De praeceptis decalogi[1]).

130. *Decalogus* (οἱ δέκα λόγοι) in sacris litteris bis continetur[2]). De eius partitione non una est doctorum sententia. Decem praecepta iuxta modum, quem postea servavit ecclesia catholica, primus recenset *s. Augustinus*[3]).

a. Summum momentum, quod praeceptis decalogi convenit, iam ex modo sollemni colligitur, quo Deus decalogum promulgari conservarique praecepit. Et sane continet prima praecepta legis naturae, quae duobus exceptis obligant universos homines omnium temporum et locorum[4]). Praecepta, quae dicuntur primae tabulae (tria priora), hominem ad Deum ordinant, et praecepta, quae dicuntur secundae tabulae (reliqua septem), ordinant hominem ad proximos, quartum quidem ad proximos superiores, inter quos primum locum obtinent parentes, reliqua vero sex ad proximos aequales. Ipsa autem praecepta decalogi, ut bene notat *s. Augustinus*[5]), ex duobus praeceptis de dilectione Dei et proximi veluti ex suo germine efflorescunt[6]).

b. Praeceptis decalogi inest summum momentum sociale et politicum, cum fundamenta constituant cuiusvis societatis et civitatis earumque suprema bona tueantur. Tria priora praecepta tuentur cultum supremi numinis, fundamentum religiosum regnorum; quintum et octavum praeceptum tuentur vitam et famam proximi; septimum et decimum ius proprietatis, quartum auctoritatem, fundamentum familiae, sextum et nonum tuetur matrimonium.

---

[1]) *S. Alphonsus* l. 3. n. 1—1003. *Thomas Sanchez,* Opus mor. in praecepta decalogi l. 2—4. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moral. decalogalis (Paderbornae. Typogr. bonifac. 1901) tr. 2—6. *Thomas Tamburini,* Explicatio decalogi l. 2—40. *Ballerini-Palmieri,* Opus theologicum morale[3] (Prati. Giachetti. 1899) II. tr. 6. De praeceptis decalogi.

[2]) Ex. 20, 2—17. Deut. 5, 6—21.

[3]) Quaestiones in Exod. q. 71.

[4]) Praeceptum de non faciendo sculptili et de observatione sabbati, quatenus ceremoniale est, ad solum populum iudaicum pertinebat.

[5]) Quaestiones in Exod. q. 140.

[6]) Cf. Kirchenlexikon[2], Decalog. *Simar,* Lehrbuch der Moraltheologie[2] (Freiburg. Herder. 1893) S. 39.

Liber primus.

De primo decalogi praecepto.

„Ego sum Dominus Deus tuus . .
Non habebis deos alienos coram me". Ex. 20, 2. 3

Hoc praeceptum, quatenus *affirmativum* est, praecipit, ut unus solus verus Deus colatur, praecipit ergo actus virtutis religionis; quatenus vero *negativum* est, prohibet, ne cultus debitus vero Deo negetur neve alteri praeter Deum tribuatur, prohibet ergo peccata virtuti religionis opposita.

Quaestio prima.

De natura religionis[1]).

131. Notio. *Religio* definitur virtus moralis inclinans voluntatem ad debitum cultum Deo tamquam supremo rerum omnium principio exhibendum.

a. Religio triplici sensu dicitur: α. significat universam hominis *relationem ad Deum,* quae complectitur veritates hanc relationem enuntiantes et officia, quae inde derivantur; β. significat specialem *virtutem,* qua Deo debitum cultum tribuimus; γ. significat *statum* eorum, qui

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 81—100. *Suarez,* De virtute religionis tr. 1—6. *Laymann,* Theologia moralis l. 4. De virtute relig. *Castropalao,* Operis moralis pars II. III.: De virtute religionis et ei annexis. *Bouquillon,* De virtute religionis (Brugis. Steyaert. 1880). *I. B. Wirthmüller,* Die moralische Tugend der Religion (Freiburg. Herder. 1881).

cultui divino perpetuo deputati sunt per professionem trium votorum paupertatis, castitatis et oboedientiae. De religione primo sensu accepta agit ethica et apologetica, de religione altero sensu accepta theologia dogmatica et moralis, de religione tertio sensu accepta ius canonicum.

b. Cultus ab honore distinguendus est: honor est significatio externa excellentiae alterius; cultus est significatio externa excellentiae cum submissione erga eum, qui colitur. Unde cultus exhiberi non potest nisi superiori in aliquo genere excellentiae, honor autem etiam aequali et inferiori exhiberi potest. Excellentia, propter quam Deo cultus debetur, haec est, quia supremum rerum omnium principium est.

132. Religionis obiectum. Religionis obiectum *materiale* est ipse cultus Deo exhibendus seu sunt actiones illae, quibus Deus colitur et eius excellentia significatur ut laudes, orationes, inclinationes, genuflexiones, sacrificia etc. Obiectum *formale* non est excellentia divina, sed est naturalis honestas, quae in cultu divino reperitur: nam signum divinae excellentiae et nostrae subiectionis exhibere naturae rationali conveniens et Deo debitum est. Ratio autem, ob quam cultus sit moraliter bonus et Deo debitus, est infinita eius excellentia. Etsi ergo excellentia divina non sit obiectum formale religionis, est tamen ratio, cur Deus sit colendus, ideoque religionis fundamentum seu obiectum formale remotum.

133. Religio virtus moralis. Religio est *virtus moralis,* non theologica, attamen inter virtutes morales est *praestantissima;* ideo peccata religioni opposita sunt gravissima post peccata contra virtutes theologicas.

a. Moralis. Virtutes enim theologicae immediate attingunt ipsum Deum tamquam proprium obiectum tum materiale tum formale; religionis autem obiectum non est Deus: religio enim immediate non versatur circa Deum, sed circa actiones sive internas sive externas, quibus Deus colitur, eiusque obiectum formale est ratio debiti et convenientiae, quae ex relatione creaturae ad creatorem derivatur. Obiectum ergo proximum et immediatum religionis non est Deus sed cultus Dei, sicut obiectum immediatum iustitiae non est proximus, sed res proximo debita; finis autem et terminus religionis est Deus, sicut terminus iustitiae est proximus[1]).

[1]) Cf. *Lessius,* De iust. et iure l. 2. c. 36. n. 7 ss.

b. Praestantissima, quia hominem recte disponit ad ipsum Deum, non ad se ipsum aut ad alios homines, quia proinde terminus et *obiectum, cui* cultus exhibetur, est ipse Deus propter suam excellentiam. Unde mirum non est Christum dominum praeprimis huius virtutis praestantissimum exemplum dedisse hominibus[1]).

134. Actus virtutis religionis. *a.* Actus proprii virtutis religionis supponunt actum intellectus, quo cognoscitur summa Dei excellentia et nostra omnimoda subiectio et dependentia, iidemque continent actum voluntatis, quo haec cultum et honorem debitum Deo exhibere intendit et propterea aliquos actus sive internos sive externos imperat, quibus iste cultus reapse exhibetur.

b. Actus religionis immediate elicitus est *devotio* seu prompta voluntas et intentio colendi Deum: devotio enim definitur prompta voluntas faciendi ea, quae ad Dei cultum pertinent. Religionis actus mediate eliciti et a devotione imperati sunt omnes illi actus sive interni sive externi, quibus Deo debitus cultus exhibetur: sunt autem potissimum sex: *adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum* et *sanctificatio quorundam dierum.*

Horum actuum illi, quibus religio principaliter exercetur (adoratio, oratio, sacrificium), ad *primum,* illi autem, quibus secundario exercetur (votum, iuramentum), ad *secundum,* ille tandem actus, quo Deo publicus et communis cultus exhibetur (sanctificatio dierum), ad *tertium* praeceptum pertinent. Ex quibus patet, tria praecepta primae tabulae praescribere actus virtutis religionis.

c. Praeter actus religionis elicitos, qui ad hanc virtutem proprie et per se referuntur, alii actus ad religionem per accidens spectare possunt, nimirum actus aliarum virtutum, qui a religione imperantur, eo quod ex motivo religionis exercentur seu ad cultum et honorem Dei diriguntur e. g. ieiunium in honorem Dei vel alicuius sancti susceptum.

---

[1]) Cf. Hebr. 10, 7. Luc. 23, 46; et quamplurima testimonia, in quibus ad Deum Patrem orasse eique gratias egisse legitur.

Quaestio secunda.

De actibus religionis[1]).

Articulus primus.

De adoratione.

135. Notio. *Adoratio latiore sensu* accepta est actus, quo testamur alterius excellentiam et nostram erga eum subiectionem. Hoc latiore sensu adoratio idem est ac *cultus,* et hoc sensu in s. scriptura etiam angeli et homines e. g. reges adorari dicuntur[2]). Adoratio *stricte* accepta est actus externus religionis, quo testamur supremam Dei excellentiam ac dominium nostramque perfectam ab eo dependentiam et subiectionem. Haec adoratio soli Deo convenit et debetur[3]).

a. Adoratio duplicem actum comprehendit, alterum *internum* tum intellectus tum voluntatis, scilicet agnitionem excellentiae alterius et propriae subiectionis, et intentionem signo aliquo venerationem et submissionem exterius manifestandi, et alterum *externum,* nempe actum humiliationis et subiectionis, quo internus actus exterius significatur.

b. Actus externi, quibus exhiberi potest adoratio, sunt: α. sacrificium; β. prostratio in terram; γ. inclinatio capitis et pectoris; δ. genuflexio; ε. osculum ei, qui adoratur, vel vesti eius impressum; ζ. detectio capitis etc.

c. Omnes hi actus externi adorationis (solo sacrificio excepto) sunt indifferentes et tum Deo tum creaturis exhiberi possunt; in his ergo actibus species cultus, qui alicui defertur, non ex actu externo, sed solum ex actu interno dependet et dignoscitur. Qui enim actu externo e. g. prostrationis se alicui submittere intendit tamquam Deo, exhibet actum latriae, qui tamquam amico Dei, exhibet actum duliae, qui tamquam viro potenti, exhibet actum cultus civilis.

136. Divisio cultus. *a.* Cultus alter est *civilis* seu politicus, alter sacer seu *religiosus,* prout ob naturalem vel supernaturalem excellentiam exhibetur.

---

[1]) De sacrificio cf. v. III. *De sacramentis*[7] n. 162 ss.

[2]) Cf. Gen. 18, 2; 3. Reg. 1, 16; Act. 10, 25.

[3]) Matth. 2, 11.

b. Cultus *religiosus* duplex est, alter qui debetur Deo propter eius supereminentem excellentiam et supremum dominium, alter qui debetur sanctis propter excellentiam divinam per quandam participationem ipsis communicatam. Prior dicitur cultus *latriae,* qui est adoratio stricte accepta et soli Deo debita; posterior cultus *duliae.* Hic iterum duplex est, alter cultus *hyperduliae,* quo supereminentem excellentiam supernaturalem beatae virginis Mariae et nostram erga ipsam subiectionem testamur; alter est cultus *duliae,* quo sanctorum supernaturalem excellentiam nostramque erga ipsos subiectionem testamur.

c. Cultus alius est *absolutus,* quo aliquis colitur ob excellentiam sibi insitam; alius est *relativus,* quo aliquid colitur ob excellentiam sibi externam seu propter relationem ad personam in se sanctam, in se excellentem.

Cultu *latriae absoluto* adoratur Deus, ss. Trinitas, Iesus Christus, eucharistiae sacramentum; cultu *hyperduliae absoluto* colitur beata virgo Maria; cultu *duliae absoluto* coluntur angeli et sancti. Cultu *latriae relativo* colitur ss. nomen Iesu, imago crucifixi, crux sancta, instrumenta passionis Christi: spinea corona, clavi, lancea etc.; cultu *hyperduliae relativo* coluntur imagines beatae virginis Mariae; cultu *duliae relativo* coluntur sanctorum reliquiae, imagines.

d. Cultus alius est *publicus,* qui ab ecclesia institutus est et nomine ecclesiae exhibetur; alius est *privatus,* qui aut ab ecclesia institutus non est, aut non fit nomine ecclesiae.

Duo ad *cultum publicum* requiruntur: ut ab ecclesia institutus sit, ut nomine ecclesiae a persona ad id deputata peragatur. Hinc officium divinum a laico recitatum cultus privatus est, item preces ab hominibus totius parochiae in ecclesia communiter recitatae cultus privatus sunt; econtra officium divinum a clerico in sacris constituto extra chorum recitatum cultus publicus est.

137. De praecepto adorationis. 1. Praecepto tum naturali tum positivo obligamur adorare Deum cultu latriae interno et externo eumque solum. Hoc praeceptum *naturale* est: cum enim Deus, rerum omnium principium et finis, summae et perfectissimae sit excellentiae, per-

fectissimo cultu adorandus est[1]). Praeceptum simul *positivum* est: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*[2]).

2. Ex virtute religionis sine dubio tenemur quandoque colere Deum tamquam primum rerum omnium principium ac dominum; *tempus* autem et *modus*, quo huic praecepto satisfieri debeat, a Deo non sunt determinata, ab ecclesia autem constitutum fuit, ut Deus ab universo populo christiano coleretur diebus dominicis et festis per auditionem sacri et religiosam feriationem. Qui ergo praeceptum ecclesiae observat, simul satisfacit praecepto divino. Qui vero praeceptum ecclesiae observare nequit, ad satisfaciendum legi divinae saltem aliquoties in anno (quibuscunque diebus) missae sacrificio assistere debet.

Articulus secundus.

De oratione[3]).

138. Notio. *Oratio latiore sensu* accepta est elevatio mentis ad Deum; *strictiore* autem sensu accepta est petitio decentium a Deo. Haec petitio apud Deum aut sola mente aut etiam voce fieri potest.

a. Ad orationem duplex actus concurrit, alter *voluntatis* scilicet desiderium, quo a Deo aliquod bonum conferri vel aliquod malum averti desideramus, alter *intellectus*, qui est petitio seu huius desiderii manifestatio, qua conamur Deum inducere, ut id praestet, quod desideramus.

---

[1]) Iure naturae Deo deberi cultum tum internum tum externum, tum individualem tum socialem fuse ostendunt philosophi morales atque apologetae. Cf. *C. Gutberlet*, Lehrbuch der Apologetik[2] (Münster. Theissing. 1895) I. S. 25 ff. *G. Wilmers*, De religione revelata (Ratisbonae. Pustet. 1897) p. 16 ss. *Th. Meyer*, Institutiones iuris naturae (Friburgi. Herder. 1900) II. p. 24.

[2]) Matth. 4, 10.

[3]) *Fr. Schmid*, Die Wirksamkeit des Bittgebetes (Brixen. Pressverein 1895). *Ch. Pesch*, Praelectiones dogmaticae[2] (Friburgi. Herder. 1899) IX. n. 312—365. *S. Alphonsus de Liguori*, Del gran mezzo della preghiera.

b. Decentia dicuntur bona, quae honeste et convenienter desiderari possunt, spiritualia quidem absolute, temporalia vero sub condicione saltem implicita, quod ad salutem animae conferant.

c. Oratio est *actus religionis:* eo ipso enim, quod a Deo bona petimus, agnoscimus potentiam et bonitatem Dei et profitemur nos a Deo pendere eoque nos indigere ut primo bonorum nostrorum auctore, id quod est officium religionis.

139. Num attentio mentis ad essentiam orationis requiratur. Quaestio refertur ad orationem vocalem, num scilicet oratio vocalis cum mentis distractione peracta essentialiter sit oratio. — Ad essentiam orationis non requiritur attentio interna; quare mentis divagatio per decursum orationis non impedit, quominus oratio sit quoad substantiam vera oratio, modo cum attentione mentis inchoetur et haec attentio tempore orationis virtualiter perduret.

a. Respectu orationis duplex distinguitur *attentio,* externa et interna. Attentio excludit distractionem; attentio igitur *externa* excludit distractionem externam; distractio autem externa consistit in actionibus externis, quae mentem ita occupant, ut internam attentionem omnino impediant ut confabulatio, lectio alicuius libri etc. Attentio *interna* est exclusio distractionis internae; distractio interna est divagatio mentis ad alia, ad orationem non pertinentia. Attentio igitur interna consistit in applicatione mentis ad orationem.

Attentio interna triplex distinguitur: *materialis,* qua attenditur ad verba orationis, ut ea integre suo ordine proferantur; *litteralis,* qua attenditur ad sensum verborum; *spiritualis,* qua attenditur vel ad Deum, qui oratione colitur, vel ad mysterium, ad quod recolendum oratio ordinatur, vel ad bonum, quod per orationem a Deo postulatur.

b. Ad essentiam orationis duplex condicio requiritur: α. *intentio,* et quidem ut oratio formaliter vera oratio sit seu specialis actus cultus divini, requiritur et sufficit, ut inchoetur cum intentione orandi Deum, et ut haec intentio per decursum orationis virtualiter perduret. Sine hac intentione oratio non esset vera oratio, ab hac intentione autem virtualiter perdurante oratio habet, ut formaliter sit vera oratio et actus cultus divini. β. Requiritur *attentio* ad actum orationis initio habita et virtualiter perdurans, quia sine hac attentione oratio non esset actus humanus: scire enim debet orans se orare. Atqui sicut intentio orandi, ita etiam attentio tamdiu perdurare censetur,

quamdiu non ponitur actio externa, quae attentionem mentis internam atque intentionem orandi impediat. Ad essentiam ergo orationis requiritur quidem attentio mentis interna ad actum orandi initio orationis elicita, attamen per decursum orationis formalis attentio interna ad substantiam orationis non requiritur. Ex his infertur ad validam orationem recitandam practice aliud non requiri, nisi ut orans initio orationis voluntatem habeat orandi et per decursum orationis distractionem externam evitet[1]).

c. Distractio ergo externa impedit quidem veram orationem; distractio autem interna eam non impedit, quia non impedit, quominus attentio et intentio virtualiter perduret. Iam vero rationes praecipuae, quibus *Lugo* ostendit, orationem mente distracta recitatam substantialiter esse orationem, hae sunt: Orare significat loqui cum Deo eique desideria sua manifestare; atqui id facere potest etiam plane distractus: etenim si quis e. g. volens regi manifestare petitionem, hanc ex scripto legit, cum interim mente plane distractus est, ad regem loqui eumque orare dicendus est. — Insuper omnes concedunt validam esse sacramentorum administrationem, etsi minister plane distractus formam sacramenti proferat: sed forma extremae unctionis, quae est deprecatoria, non posset in hoc casu esse valida, si ne substantialiter quidem oratio esset. — Tandem omnes concedunt eum valide officium recitare, qui plane quidem sed involuntarie distractus sit; atqui si omnimoda distractio ipsam essentiam orationis impediret, neque involuntarie distractus obligationi satisfaceret.

Num peccatum sit distractio in oratione. — Patet involuntarias distractiones in se nullum esse peccatum; voluntariae autem distractiones, etsi substantiam orationis non corrumpant, aliquam tamen irreverentiam erga Deum, quantumvis non gravem, continent; quapropter veniale peccatum sunt, etsi agatur de orationibus, quae non sint ex praecepto recitandae.

140. Divisio orationis. Oratio latiore sensu accepta.

1. Ratione *finis* est: *a. adoratio,* qua summam Dei excellentiam et omnimodam nostram subiectionem coram ipso agnoscimus; ad hanc orationem adorationis refertur *laus Dei; b. gratiarum actio* pro beneficiis acceptis; ex

[1]) Cf. *Lugo,* De euchar. disp. 22. n. 29 ss.

virtute gratitudinis tenetur homo aliquoties in vita positive Deo gratias agere pro bonis obtentis; *c. petitio*, quae est oratio stricte accepta.

Orationem *propitiatoriam*, qua remissio peccatorum et poenarum postulatur, itemque orationem *intercessionis*, qua pro aliis bona petuntur, ad orationem petitionis generatim acceptam pertinere manifestum est; quare ab hac ut species diversae distinguendae non sunt.

2. Ratione *modi* altera est *mentalis*, quae sola mente, intellectu scilicet et voluntate, et altera est *oralis* (vocalis), quae simul mente et ore peragitur: quae enim solis verbis fit, non est oratio.

3. Oratio *oralis* altera est *publica*, quae fit nomine et auctoritate ecclesiae, altera est *privata*, quae fit nomine et auctoritate propria orantis. Duo igitur ad orationem publicam requiruntur: ut fiat nomine ecclesiae et ut ecclesiae auctoritate sit instituta ut horae canonicae, litaniae maiores etc. (n. 136. d).

Nomine ecclesiae orare non potest nisi minister ecclesiae seu persona ab ecclesia ad id deputata. Preces ecclesiae auctoritate institutae peraguntur determinata forma ab ecclesia approbata et praescripta. — Preces recitatae, etsi ecclesiae auctoritate institutae et approbatae, oratio privata sunt, si non nomine ecclesiae, sed nomine orantis peraguntur, sive orans est persona ecclesiastica sive saecularis.

4. Ratione *orantis* oratio est *singularis*, quae fit solitarie ab una tantum persona, et *communis*, quae fit communiter a pluribus simul personis. Orationem communem speciali modo Dominus commendat: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*[1]).

141. Quinam orandi sint. Licet solus Deus orandus sit tamquam principalis bonorum auctor et largitor, adeo ut sanctum sic orare vera idololatria sit, tamen ut patroni et intercessores apud Deum invocari utiliter possunt:

1. *Angeli et sancti in coelis*, id quod de fide docet concilium trid.[2]).

---

[1]) Matth. 18, 20.

[2]) Sess. 25. De invoc. sanct.

a. Privatim invocari possunt etiam infantes baptizati, qui ante usum rationis decesserunt.

b. Etsi praeceptum invocandi intercessionem sanctorum non existat, a veniali tamen excusari non posset, qui nunquam invocaret *b. virginem Mariam:* etenim culpabilis esset incuria salutis, si quis tam efficax auxilium prorsus negligeret[1]).

2. *Sancti et iusti in terris* exsistentes, quod pariter de fide est ex s. scriptura[2]).

3. Valde probabile est *animas in purgatorio detentas* non solum pro nobis intercedere, sed nos privatim eas etiam invocare posse.

a. Cum ecclesia nihil de hac re definierit, non una est theologorum sententia. Communiter nunc conceditur *animas purgatorii suffragiis suis nos iuvare:* id enim communio sanctorum suadet et testimonio s. scripturae confirmatur, quo constat animas in limbo detentas pro populo orasse[3]). Nihilominus id negant antiquiores cum *s. Thoma,* quia animae purgatorii in statu poenae sunt[4]); verum recentiores, praesertim *Bellarminus* et *Suarez,* ab illis recedunt. Et sane, status poenae efficit quidem, ut animae non sicut sancti in gloria, veluti ex proprio munere pro nobis orent, sed non impedit, quominus pro nobis intercedere possint, cum sint in statu gratiae et amicitiae divinae.

b. Qui negant nos orationes nostras utiliter *ad animas purgatorii dirigere* posse, contendunt eas nostras indigentias nostrasque preces non cognoscere. Verum quamvis contrarium certis argumentis demonstrari nequeat, pie tamen creditur, Deum vel per se vel per angelos tutelares eis indigentias orationesque nostras manifestare. Sententia, quae tenet nos animas utiliter invocare posse, confirmatur praxi multorum fidelium.

142. Pro quibus orandum sit. Orare possumus et debemus pro omnibus, qui oratione iuvari possunt et quos ex praecepto caritatis diligere iubemur. Itaque orare potest et debet:

a. Unusquisque pro semetipso, ut ex natura rei patet;

b. Pro suo proximo etiam pro peccatore et inimico[5]), adeo ut ex orationibus pro omnibus fusis, ut est e. g. oratio

---

[1]) Cf. *Concilium trid.* sess. 25. De invoc. sanct.

[2]) Rom. 15, 30. Iac. 5, 16.

[3]) Ier. 15, 1; 2. Mach. 15, 12 ss.

[4]) *Summa* II. II. q. 83. a. 11. ad 3.

[5]) 1. Tim. 2, 1—3. Iac. 5, 16. Matth. 5, 44.

dominica, neminem positive excludere citra peccatum liceat. Pro determinata tamen persona orare non tenemur. nisi constituta sit in gravi vel gravissima necessitate et peculiaris relatio officii vel necessitudinis cum illa intercedat.

c. Pro animabus in purgatorio detentis tum pro omnibus in communi tum pro iis praesertim, quae peculiari nexu nobis sunt coniunctae ut parentes et benefactores: cum enim illarum necessitas sit vere gravis et cum illis variis modis facile succurrere possimus, pietas et gratitudo suadent, ut eas oratione iuvemus; stricta tamen obligatio pro parentibus aliisque coniunctis orandi statui nequit, quia certo non constat eas intercessione nostra indigere.

143. Quid orandum sit. Quae bona a Deo petere possimus, colligitur imprimis ex oratione dominica a Christo nobis tradita, deinde ex orationibus, quas ecclesia pro fidelibus suis ad Deum dirigit. Itaque petere possumus:

1. *Bona supernaturalia,* scilicet aeternam beatitudinem et media ad eam necessaria, et haec quidem *absolute,* quia natura sua ad salutem necessaria vel utilia sunt nec quisquam eis ad peccatum abuti potest.

Sed ea petere non licet contra nec ultra ordinem divinae providentiae e. g. beatitudinem sine bonis operibus, remissionem peccatorum sine poenitentia, gratiam maiorem; quam habent summi sancti; intra ordinem divinae providentiae vero bona supernaturalia sine limitatione peti possunt. *Gratiae gratis datae* petendae non sunt, nisi in casu peculiaris necessitatis.

2. *Bona naturalia* sive spiritualia (scientiae, artes) sive corporalia (sanitas, divitiae, honores, dignitates) peti quidem possunt, sed solum *sub condicione* saltem implicita, si Deus praeviderit ea nobis ad salutem fore proficua: haec enim non sunt per se ad salutem utilia, ideoque eis abuti possumus.

3. Ut Deus *mala a nobis avertat* tum moralia (peccata, tentationes) tum physica (morbos, dolores, egestatem, infortunia), nisi ad salutem nostram utile sit nos tentationes et quaedam mala physica tolerare.

Petendum non est, ut Deus *concupiscentiam* in nobis plane exstinguat, quia hoc est contra ordinariam providentiam divinam; nec petendum est, ut omnia vel *levissima peccata* vitare possimus, quia hoc est speciale privilegium; privilegia autem petenda non sunt. Quoad peccata levia petere possumus, ut ea usque magis minuamus vel determinata vitemus.

4. Petere a Deo *rem moraliter malam* (malum culpae), semper grave peccatum est, etsi res, quae petitur, in se leviter tantum mala sit: nam petere a Deo auxilium ad rem malam eumque sic facere mali, etsi levis, auctorem gravis in Deum irreverentia est, quia directe repugnat eius infinitae sanctitati.

Non licet petere *rem indifferentem* sine ulteriore relatione ad finem honestum e. g. lucrum ex ludo sine relatione ad alium finem, quia non est petitio veri et decentis boni. Attamen quia eiusmodi petitio non adversatur directe alicui attributo divino, non est mortale peccatum.

144. Orationis efficacia. Oratio debitis facta condicionibus ex liberali Dei promissione *infallibilem habet efficaciam* impetrandi ea, quae petuntur, sive ille, qui orat, est iustus sive peccator, quod ex claris s. scripturae effatis theologis videtur esse de fide certum.

a. Quatenus oratio opus bonum est, suppositis supponendis ei convenit triplex effectus omnium operum bonorum communis, scilicet meritorius gratiae sanctificantis, satisfactorius pro poenis temporalibus et impetratorius gratiarum actualium. Quatenus oratio petitio est, qua Deum potentem ac misericordem imploramus, ut indigentiae nostrae succurrat, specialem *vim impetratoriam* habet obtinendi ea, quae a Deo petuntur. Iam de hac speciali orationis vi et virtute impetrandi hic sermo est. Condiciones autem, quae requiruntur, ut oratio infallibiliter impetret id, quod postulat, communiter quatuor numerantur ut infra dicetur.

Oratio debitis destituta condicionibus non tamen omni prorsus caret effectu: licet enim non impetret infallibiliter ex promissione Dei, ex eius tamen benignitate impetrabit saltem spiritum ferventioris orationis.

b. Quamvis Deum summe potentem ac benignum deceat, ut ei succurrat, qui humiliter eius auxilium implorat, infallibilem tamen efficaciam oratio habet ex *promissione Dei*, cuius promissio fallere non potest. Orationi debitis condicionibus factae Deus

infallibilem efficaciam reipsa promisit: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*[1]). *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis etc.*[2]).

Nota. Cum omnis oratio seu petitio Deum movere intendat, ut speciali suo interventu efficiat id, quod petitur, iam quaeri potest, quomodo Deus effectus orationis producat, utrum scilicet per causas naturales an per causas supernaturales.

a. Si effectus orationis est bonum ordinis supernaturalis, gratia scilicet actualis, Deus ipse immediate eam producit sine interventu causae naturalis.

b. Si effectus orationis est bonum ordinis naturalis, diverso modo a Deo produci potest.

α. Vel ipse Deus sine interventu causarum naturalium (saltem naturali modo agentium) effectum producit. In hoc casu Deus propter orationem facit miraculum vel secundum substantiam vel saltem secundum modum.

β. Vel Deus propter orationem praevisam causas naturales ab aeterno ita disponit ac dirigit, ut effectus in tempore necessario sequatur.

γ. Vel Deus praevidet effectum ex causis naturalibus iuxta praesentem ordinem sine speciali interventu secuturum esse. In hoc casu Deus suo interventu solum impedit, ne effectus per influxum causae liberae (daemonis vel hominis) frustretur[3]).

Effectus igitur orationum quandoque sunt miracula, quae ab ipso Deo sine concursu causarum naturalium producuntur, frequentius autem a causis naturalibus, non tamen sine Dei speciali interventu oriuntur. Ex quibus patet discrimen inter miracula atque *exauditiones precum* (Gebetserhörungen), quae dicuntur. Etenim si exauditio precum generice sumitur pro quovis effectu, quem Deus propter orationem producit, etiam miracula inter exauditiones precum censentur; quod si terminus specifice accipitur, exauditio precum miraculo opponitur et significat effectum, quem Deus propter orationem per causas secundas producit.

145. Condiciones, quae requiruntur, ut oratio infallibilem effectum habeat, comprehenduntur hac brevi formula, ut oratio *in nomine Iesu* fiat: *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*[4]). In nomine Iesu orare

---

[1]) Ioan. 16, 23. Cf. 14, 13. 14.

[2]) Matth. 7, 7 ss. Cf. Luc. 11, 10. Iac. 4, 3. Ps. 49, 15.

[3]) Cf. *Suarez*, De oratione l. 1. c. 18. *Pesch* IX. n. 331 ss.

[4]) Ioan. 14, 13.

significat in unione cum Iesu orare; atqui ut oratio fiat in unione cum Iesu, quatuor condiciones requiruntur, quarum una refertur ad obiectum, duae ad modum, quarta ad subiectum orationis.

a. Obiectum orationis utile esse debet ad promovendum finem a Christo intentum scilicet *salutem nostram*[1]).

Si bona *supernaturalia* petuntur, oratio infallibilem habet effectum, etsi quandoque non concedantur ipsa bona, quae petuntur, sed eorum loco alia, quae magis ad salutem nostram conferant. Si bona *naturalia* petuntur, oratio non habet infallibilem effectum, quia illa bona nobis possunt esse impedimentum virtutis et occasio peccandi; quod si Deus praevideat, ea non concedit, etsi enixe et constanter petantur.

b. Quoad *modum* oratio imprimis fieri debet *cum fiducia* sine haesitatione et diffidentia: *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae*[2]). Hanc condicionem divinae promissiones praeprimis exigunt: etenim in nomine Iesu oramus, si cum fiducia in merita eius oramus.

Haec fiducia *ex fide et spe theologica procedit:* imprimis enim *credere* debemus Deum posse et velle hominibus succurrere, deinde vero, quia Deus toties promisit se exauditurum esse orationes, sine dubitatione *confidere* debemus Deum daturum esse, quod petimus, dummodo conferat ad salutem nostram. Haec fiducia ad efficacem orationem necessaria refertur ad orationem in genere; particularis oratio, qua determinatum bonum petitur, coniuncta esse potest cum dubitatione, num Deus illud concedat, tum quia potest esse defectus in oratione, tum quia non constat oranti vere bonum esse, quod petitur. Haec dubitatio non impedit quidem, sed minuit efficaciam orationis. Hinc si quis per gratiam Spiritus Sancti cum magna fiducia orare potest, habet signum futurae impetrationis[3]).

Deinde fieri debet *cum perseverantia*[4]). Ea quidem bona, quae hic et nunc necessaria sunt ut auxilia ad superandam tentationem, Deus statim concedit, alia autem non semper statim largitur. Quaedam enim bona ex positiva Dei dispositione non conceduntur nisi post constantem orationem ut donum perseverantiae, alia autem

---

[1]) Ioan. 16, 23. 24.

[2]) Hebr. 4, 16.

[3]) *Suarez*, De oratione l. 1. c. 24. n. 9.

[4]) Cf. Luc. c. 11.

bona tum naturalia tum supernaturalia Deus non confert nisi post aliquod tempus, ut interim per orationem ad ea recipienda melius nos disponamus.

c. Subiectum orationis debet esse in *statu gratiae:* in unione enim cum Iesu maxime is orat, qui in statu gratiae orat. Non quod peccatoris oratio, si reliquae non desint condiciones, non exaudiatur, sed quod status gratiae ad augendam efficaciam orationis multum conferat[1]).

Peccatorum oratio non solum efficax est ad *impetrandum,* id quod constat ex s. scriptura, ubi peccatores exauditos fuisse legitur[2]); sed etiam ad *infallibiliter* impetrandum, quia orationis efficacia non fundatur in dignitate orantis, sed in misericordia et promissione Dei[3]). Quodsi in s. scriptura dicitur, Deum orationes peccatorum non audire[4]), id significat peccatorum orationes *minus efficaces,* vel etiam *inefficaces* esse, si nempe peccatores male petant. Ex quibus patet valde cavendum esse a deterrendis peccatoribus, quasi eorum bona opera et orationes apud Deum inutiles essent.

Num oratio pro aliis facta sit infallibilis efficaciae. — Sunt, qui ad infallibilem efficaciam orationis hanc quoque condicionem requirant, ut *oratio fiat pro se ipso. S. Augustinus*[5]) et *s. Thomas*[6]) hoc exigere videntur; alii autem cum *Suarez*[7]) docent per se etiam orationem pro aliis factam infallibilem habere efficaciam, quia promissio divina prorsus generalis nullam limitationem continet: *Quodcunque petieritis.* Hoc tamen intercedit discrimen inter orationem pro se et pro aliis factam, quod is, qui debito modo pro se petit utilia ad salutem, eo ipso dispositionem acquirit ad recipiendas gratias necessariam; eo autem, quod aliquis pro alio orat, hic non acquirit dispositionem necessariam, econtra gratiis, quae petuntur, pertinaciter resistere potest, ob quam pertinaciam oratio pro aliis facta carere potest effectu.

146. Orationis necessitas. Homo adultus orare (oratione impetratoria) tenetur non solum necessitate praecepti divini, sed etiam necessitate medii.

---

[1]) Ioan. 14, 13; 15, 7. 16; 16, 23.
[2]) Luc. 18, 14; 23, 43.
[3]) Cf. *S. Thomas* II. II. q. 83. a. 16. *Suarez,* De oratione l. 1. c. 25
[4]) Ioan. 9, 31. Psal. 65, 18.
[5]) In Ioan. tr. 102. n. 1.
[6]) *Summa* II. II. q. 83. a. 7. ad 2.
[7]) De oratione l. 1. c. 27.

a. De necessitate praecepti divini nemo dubitat: nam tot explicita testimonia s. scripturae, quibus oratio inculcatur, de solo consilio intelligi non possunt: *Petite et dabitur vobis*[1]*; Orationi instate*[2]*; Oportet semper orare et non deficere*[3]). Ratio huius praecepti interna est α. obligatio Deo cultum exhibendi, qui quovis orandi genere exhibetur; β. propria indigentia.

Oratio petitionis praecepta non debet esse *vocalis:* vocalis enim orationis nullum praeceptum *divinum* habemus. Nec verba Christi Domini: *Sic ergo vos orabitis*[4]) praeceptum continent singulis fidelibus impositum utendi ea formula orandi, quam ipse docuit.

b. De necessitate medii quaestio est, num homo adultus teneatur *pro se ipso* petere auxilia ad salutem necessaria. Sententiam affirmativam plerique theologi non solum certam, sed vix non de fide tenendam dicunt. Ratio autem haec est: illud dicendum est necessitate medii necessarium, sine quo ordinarie salus obtineri non potest; sine oratione autem iuxta ordinarium modum providentiae salus obtineri non potest: etenim de fide certum est gratiam Dei ad salutem esse necessariam; atqui secundum ordinarium providentiae modum Deus efficacia auxilia gratiae non confert nisi petentibus: *Petite et accipietis*[5]) i. e. ex ss. patrum interpretatione: si non petitis, non accipitis.

147. Quando obliget praeceptum orandi. 1. *Quando* homo *per se* orare teneatur, accurate determinari non potest; sine dubio *frequenter* orare tenetur. Qui tamen implet obligationem orandi ex propria indigentia ortam, implet etiam obligationem ortam ex praecepto colendi Deum.

a. Sunt, qui dicant nos singulis hebdomadis ad orandum teneri; sunt, qui cum *s. Alphonso* dicant singulis mensibus; sunt, qui dicant

[1]) Matth. 6, 9.
[2]) Col. 4, 2.
[3]) Luc. 18, 1. Cf. Luc. 11, 9. Matth. 26, 41. 1. Petr. 4, 7 1. Thess. 5, 17.
[4]) Matth. 6, 9.
[5]) Ioan. 16, 24.

quotannis orasse sufficere. Verum nec de obligatione hebdomadali nec de obligatione menstrua certo constat. Idem dicendum de sententia eorum, qui docent exsistere obligationem orandi in morali initio usus rationis. Ceterum cum fideles singulis diebus dominicis teneantur assistere sacrificio missae, qui hoc praeceptum rite adimplent, satisfaciunt etiam praecepto orandi.

b. Qui ergo per diuturnum tempus (per annos) omnem orationem negligit, dupliciter peccat, tum propter neglectum cultum divinum, tum propter neglectam curam salutis. In confessione tamen sufficit indicare tempus, quo orationem omisit, et cetera peccata, quae propter neglectam orationem commisit.

2. *Per accidens* autem orare tenemur, quoties sine oratione aliud praeceptum implere aut tentationem superare non possumus.

Nota. Ex his iam consequitur: *a.* praecepto orandi satisfieri etiam per orationem mere internam: praeceptum enim hoc refertur ad orationem privatam, eamque prout est petitio auxilii divini; *b.* pro eis, qui non sunt in sacris ordinibus constituti, non esse certas et determinatas preces, quae ex praecepto recitandae sint; *c.* neque per se neque per accidens tenemur ad orandum *mane* et *vespere*, *ante* et *post mensam;* quapropter illarum precum omissio per se nullum, ne veniale quidem peccatum est. Attamen pastores et confessarii pium hocce exercitium fidelibus enixe et frequenter commendare debent: si enim preces matutinas et vespertinas negligant, brevi fiet, ut raro orent et sic speciali Dei auxilio priventur et in periculis peccandi, quae quotidie occurrunt, in peccata labantur.

Quaestio tertia.

De peccatis contra religionem.

148. Quae sint peccata contra religionem. *a.* Contra religionem peccari potest *omissione,* negligendo praecepta religionis ut adorationem vel orationem debitam, et *commissione* positivis actibus contra praecepta negativa religionis. Peccatum positivum religioni generatim oppositum

est *irreligiositas* generice accepta, quae committi potest per excessum et per defectum. Per excessum quidem non eo, quod Deus unquam maiore cultu, quam ipse meretur, coli possit, sed eo, quod cultus divinus vitiose exhibetur.

b. Peccata contra religionem *per excessum* commissa proprio nomine *superstitio* (Aberglaube) nuncupantur, quae definitur: *cultus vitiosus veri vel falsi numinis.* Dupliciter cultus divinus potest esse vitiosus: ratione *obiecti,* quando aliquid colitur ut Deus, quod Deus non est, vel ratione *modi,* quando Deus modo indebito colitur; quare superstitio duplex est, altera, qua Deus colitur cultu indebito, altera qua creatura (praesertim daemon) colitur cultu divino. Superstitio haec posterior pro diversa ratione finis, propter quem cultus divinus creaturae tribuitur, triplex est: *idololatria, divinatio* et *vana observantia,* ad quam reducitur *magia* et *maleficium*[1]).

c. Peccata contra religionem *per defectum* commissa nomine *irreligiositatis* specifice acceptae significantur. Irreligiositas hoc sensu accepta in eo consistit, quod Deus irreverentia et iniuria afficitur, quod fieri potest *tentatione Dei, sacrilegio* et *simonia.* Octo igitur erunt huius quaestionis articuli: *a.* de cultu divino indebito; *b.* de idololatria; *c.* de divinatione; *d.* de vana observantia; *e.* de magia et maleficio; *f.* de tentatione Dei; *g.* de sacrilegio; *h.* de simonia.

His comprehenduntur solum peccata contra religionem commissa quae primo decalogi praecepto prohibentur. Ad omnia peccata contra religionem commissa uno conspectu colligenda addi debent etiam peccata contra secundum et tertium decalogi praeceptum, quae pariter virtuti religionis adversantur, scilicet: *blasphemia, periurium, laesio votorum, omissio sacri, opera servilia.*

---

[1]) *Simar,* Der Aberglaube[2] (Köln. Bachem. 1897. Vereinsschrift der Görres-Gesellschaft). *Walter,* Aberglaube und Seelsorge. (Paderborn. Schöningh. 1904).

Articulus primus.

De superstitione cultus indebiti.

Superstitio cultus divini indebiti alia est superstitio cultus falsi, alia est superstitio cultus superflui.

149. 1. **Superstitio cultus falsi** committitur, si in cultu veri Dei aliquid falsi vel mendacii continetur, quare superstitio cultus *falsi* nuncupari solet.

Id multipliciter fieri potest: *a.* si Deus nunc coleretur caeremoniis antiquae legis e. g. esu agni paschalis; *b.* si quis falsa miracula vel falsas revelationes proponeret ad fidem confirmandam, vel si falsas reliquias venerandas exhiberet; *c.* si missam celebrare vel absolvere praesumeret, qui non est sacerdos; *d.* si quis actione inhonesta Deum colere vellet; *e.* si quis fingeret miraculum ad promovendum cultum alicuius sancti.

2. Superstitio cultus falsi *plerumque grave peccatum* est, quia Deo graviter iniuriosa est, qui falsitate et mendacio coli nequit, et quia perniciosa est religioni, quippe quam reddat suspectam de errore.

Dicitur *plerumque*, quia concedendum videtur superstitionem cultus falsi quandoque ob parvitatem materiae peccatum veniale esse; sic si contionator in historia miraculosa ceteroquin vera adderet circumstantiam falsam, vel integram historiam fingeret ad magis commovendum populum, hoc posset esse veniale peccatum, tum quia falsitas non adhibetur immediate ad colendum Deum, tum quia hoc verae religioni non multum praeiudicat[1]).

150. 1. **Superstitio cultus superflui** vel inanis committitur, si Deus contra morem ecclesiae colitur aliqua re superflua et inutili.

a. Eiusmodi cultus superfluus est: velle audire missam ante ortum solis, cum certo numero et ordine cereorum, sacerdotis, qui vocatur Ioannes vel qui habet staturam Christi; non comedere de capite animalis in die decollationis s. Ioannis: haec enim nihil conferunt ad cultum Dei. Osculari pedem calicis, quando in missa post elevationem demittitur; in officio vel in missa addere orationes, cruces,

---

[1]) Cf. *Struggl*, Theologia moralis tr. 5. q. 5. n. 6. *Lehmkuhl* I. n. 353.

alleluia vel alia, quae sunt contra rubricas. Omnia enim ea, quae inordinata devotio contra praescriptum et morem ecclesiae excogitat, licet in se non sint inania, quia tamen sunt contraria decretis et usui ecclesiae, inutilia, superflua et superstitiosa sunt.

b. Hoc superstitionis peccatum committitur etiam per novos cultus novasque devotiones, quae, etsi nihil incongrui contineant, tamen absque ecclesiae approbatione fidelibus proponuntur et inter eos propagantur. In constitutione *Officiorum* (n. 13) expresse prohibetur, ne eiusmodi devotiones inducantur; ideo novae devotiones absque licentia ecclesiae inductae saepius prohibitae sunt[1]).

2. Superstitio cultus superflui *per se peccatum veniale* non excedit, quia non continet gravem irreverentiam; bona fides autem et simplicitas quandoque a peccato omnino excusant. Attamen ratione scandali et notabilis defectus contra ordinationem ecclesiae etiam haec superstitio posset fieri peccatum mortale.

Articulus secundus.

De idololatria.

151. Notiones. 1. *Idololatria* est superstitio, qua cultus divinus exhibetur creaturae, sive haec est res animata sive inanimata sive tandem ipse daemon.

Duo ergo ad veram idololatriam requiruntur, primo quidem ut cultus, qui creaturae exhibetur, sit vere cultus divinus soli Deo debitus seu contestatio supremae excellentiae, deinde vero ut iste cultus serio et vere, non ficte et simulate vel ioci causa exhibeatur creaturae.

2. Idololatria duplex distinguitur: *formalis,* quae committitur cum intentione adorandi creaturam, et *materialis,* quae fit exterius tantum sine voluntate adorandi creaturam, ut cum quis ex metu mortis adorat idolum.

3. Idololatria formalis iterum duplex est: *perfecta,* si quis adorat creaturam, quam reapse putat esse Deum, et *imperfecta,* si quis sciens creaturae nihil divini inesse, eam tamen cultu divino colit ex odio erga Deum vel ex cupiditate aliquid a daemone impetrandi.

---

[1]) Cf. *Bucceroni,* Casus consc.[5] (Romae. Typographia august. 1903) n. 40.

152. Eius malitia moralis. 1. Omnis idololatria est *peccatum grave,* immo gravissimum post peccata, quae adversantur virtutibus theologicis, quia omnis idololatria Deo, qui solus est rerum omnium principium, gravem iniuriam infert.

Ergo etiam *idololatria materialis* grave peccatum est, licet minus quam formalis: quamvis enim ipsa non sit vera idololatria, est tamen externa negatio fidei et mendacium Deo iniuriosum contra virtutem religionis.

2. Idololatria *perfecta* est peccatum contra fidem et religionem; idololatria *imperfecta* non est quidem contra fidem, attamen (quatenus idololatria est) illâ gravior est, cum procedat ex mera malitia, non ex ignorantia, et involvat magnum Dei contemptum. Prior potest esse sine culpa, ut si quis adorat hostiam non consecratam, quam bona fide credit esse consecratam.

Peccatum idololatriae committitur non solum a gentilibus et magis, sed etiam ab iis, qui sanctos ita colunt et invocant, ac si propria virtute dona sive naturalia sive supernaturalia praebere possent. Latiore quodam sensu idololatriam committunt, qui *a.* falsis sanctis vel damnatis tribuunt cultum veris sanctis debitum; qui *b.* sibi exhibendum curant cultum sanctis debitum ficta sanctitate, miraculis et revelationibus falsis. — Peccatum idololatriae una cum peccato apostasiae hodie inter fideles baptizatos illi committunt, qui principiis materialismi imbuti more ethnicorum naturam ut Deum colunt, vel cultum, quem prisci Germani figuris mythologicis (Wodan) exhibebant, repristinare conantur.

Articulus tertius.

De divinatione.

153. Notiones. 1. *Divinatio* (Wahrsagerei) definitur superstitio, qua invocatur daemon ad res occultas eius ope cognoscendas.

a. Divinatio eo tendit, ut cognitio alicuius rei obtineatur, quae mediis naturalibus cognosci non potest. *Occulta:* possunt haec esse praesentia, praeterita vel futura, et licet ea, quorum cognitio quaeritur, plerumque sint occulta, si tamen a daemone ioci vel experi-

menti causa quaererentur res omnibus notae, vera haberetur divinatio, quippe cuius essentia in commercio cum daemone consistat.

b. Certum est, eundem *spiritum pythonem,* quem *s. Paulus* Philippis ex puella eiecerat, quae divinando magnum quaestum praestabat dominis suis[1]), etiam nunc temporis, etsi rarius, res occultas et futuras manifestare hominibus.

2. Divinatio duplici modo fieri potest: per daemonis invocationem expressam (cum pacto expresso) aut per invocationem implicitam seu tacitam (cum pacto implicito). Per *expressam invocationem* committitur, quando daemon expressis verbis invocatur vel si cum ipso expresse conventio fit, ut positis talibus signis tales effectus producat; ad hanc autem divinationem committendam necesse non est, ut daemon de facto respondeat, sed satis est, ut eius ope effectus exquiratur. Per *implicitam invocationem* committitur, quando aliquis ad obtinendam notitiam utitur mediis ineptis, quae novit neque ex natura sua neque ex institutione Dei vel ecclesiae habere vim producendi effectum intentum: qui enim sciens utitur medio inepto ad aliquem effectum obtinendum, hunc exspectat a superiore virtute; at neque a Deo neque ab angelis, qui usum talium mediorum reprobant, exspectari potest effectus; ergo a daemone exspectatur, qui ipso illorum usu implicite invocatur.

a. Quocirca non excusantur, qui scienter vana media adhibentes protestantur contra quodvis commercium cum daemone: protestatio enim facto contraria ideoque nulla est.

b. Daemon eiusmodi mediis vanis atque ineptis libenter se immiscet: omnia enim, quae vana sunt et a Deo reprobata, ipse approbat et ultro occasionem arripit efficiendi, quod ipse intendit, ut homo relicto Deo ad ipsum recurrat ipsique divinos honores tribuat.

154. *a.* Divinationis *cum pacto expresso* novem diversae species numerantur pro diverso modo, quo daemon invocatus respondet et occulta revelat. Divinationis *cum pacto implicito* septem diversae species potissimum numerantur pro diverso modo, quo rerum occultarum cognitio quaeritur[2]).

b. Ad divinationem cum pacto implicito numeratur etiam *astrologia iudiciaria,* qua occultorum cognitio quaeritur ex situ et motu

[1]) Act. 16, 16.

[2]) Cf. *Sporer-Bierbaum* I. tr. 2. n. 313 ss. *Göpfert* I. n. 387.

astrorum. Distinguitur enim astrologia naturalis et iudiciaria; illa, qua certi effectus ex influxu astrorum praesertim lunae cognoscuntur, fundatur in scientia naturali, haec, qua regulae statuuntur ex astris futura. praesertim hominum variam fortunam cognoscendi, fundatur in arte superstitiosa.

c. Cum hodie non raro iterum exerceatur divinatio *cristallomantiae,* iuvat notare eos, qui in cristallum vel in aquam in vase contentam etc. speculantur, varias imagines ibi videre, quae non sunt nisi hallucinationes (visiones) ab ipsis „specularii“ ope phantasiae provocatae. Daemon autem hisce experimentis facile se immiscet et specularii manifestat res occultas vel futuras, ut hoc modo resuscitet divinationem tum antiqua gentilium tum media aetate usitatam[1]).

155. Eius malitia moralis et specifica. 1. Divinatio, quae fit per *explicitam* invocationem, est peccatum *ex toto genere suo grave.* In omni enim divinatione habetur commercium cum daemone; quodvis autem commercium cum daemone, infensissimo Dei et hominum hoste, graviter illicitum est, utpote Deo iniuriosum et homini perniciosum. Insuper aliquis cultus daemoni exhibetur eo ipso, quod homo ad eum recurrit et sic ei se subiicit.

2. Divinatio cum invocatione *implicita* est quidem et ipsa *natura sua grave peccatum,* quia commercium cum daemone involvit, attamen veniale fieri potest: *a. ex ignorantia et simplicitate,* quia eius malitia non est aeque manifesta atque invocationis expressae; *b. ex defectu firmae fidei,* quando vanis signis non adhibetur certa fides, sed solum aliquis timor vel suspicio concipitur eventus futuri; *c. ex defectu seriae voluntatis,* quando cognitio rei occultae magis ioci vel curiositatis causa quam seria intentione quaeritur. Et quoniam fere communiter aliquid intervenit, quod a mortali excuset, divinationes cum invocatione implicita raro gravia peccata sunt; semper tamen res periculosa est, si quis ex illis suas actiones dirigat.

Qui vates seu divinos (zingaros) de fortuna consulunt, graviter peccant, si id fiat cum firma fide vel scandalo aliorum; venialiter autem, si solum curiositatis causa fiat, vel si eorum dictis firma fides

[1]) Cf. *Bessmer,* Die Visionen im Kristalle. Stimmen a. M. L. 1908. S. 165 ff.

non adhibeatur, ut plerumque fit. Item leve peccatum est rem indifferentem facere vel omittere ob responsa ab ipsis audita, si fiat ex aliquo timore vel ex curiositate experiendi causa. Attamen qui eos consulunt, insuper peccatum inductionis aut cooperationis committunt.

3. Divinatio, quae fit per invocationem explicitam et implicitam, item diversae divinationes, quae per invocationem sive explicitam sive implicitam fiunt, *specie non differunt,* sed eandem specificam malitiam continent; ideo per se necesse non est, ut in confessione declaretur, utrum invocatio daemonis expressa fuerit an tacita, et pariter declarare poenitens non tenetur, quibus signis vel mediis divinationem exercuerit.

Ordinarie tamen in confessione ex duplici alia ratione declarari debet, utrum invocatio explicita an implicita fuerit: *a.* ut confessarius diiudicare possit, utrum peccatum grave an leve commissum sit; *b.* quia constat divinationem cum invocatione expressa plerumque adiuncta habere complura alia peccata, quae non occurrunt, ubi solum tacita invocatio habetur. Peccata autem quae invocationi expressae saepe adiunguntur, haec sunt: abiuratio Christi, adoratio daemonis, promissio perpetui servitii cum repromissione auxilii ex parte daemonis, blasphemiae in Deum, sacrilegia (abusus rerum sacrarum et ipsius eucharistiae) etc.

156. De somniis. 1. Somnia *a.* ordinarie a naturalibus causis dependent, nempe vel ab occupationibus diurnis vel a temperie et constitutione corporis vel a concursu phantasmatum etc.; nihilominus negari non potest somnia *b.* quandoque a Deo excitari: licet enim Deus homines non dirigat per somnia, promisit tamen se aliquando somniorum fore auctorem[1]); insuper ex s. litteris et ex vitis sanctorum discimus somnia quandoque a Deo immissa fuisse[2]). *c.* Daemonem autem posse esse et de facto interdum esse somniorum auctorem, negari nequit, cum ipse possit in hominibus phantasmata excitare[3]).

Si Deus somnia immittit, simul adsunt quaedam indicia, ex quibus colligi potest illa a Deo esse immissa. Eiusmodi signa haec

[1]) Act. 2, 17. Num. 12, 6.
[2]) Iud. 7, 13. Dan. 2, 19. Matth. 1, 20; 2, 12. 13. 19.
[3]) Deut. 18, 10.

sunt: α. si res Deo digna, non autem vana et indecens est; β. si impellit ad bonum, non vero ad malum et praesumptuosum; γ. si animam tranquillam et ad pietatis opera alacriorem facit, non vero perturbatam. ad terrena propensam atque ad servitium Dei tardiorem.

2. Cum somnia quandoque etiam a Deo immittantur, ubi prudens ratio id suadet, sedulo examinari debent, num a Deo sint. Quodsi moraliter certum apparet somnium a Deo immissum esse, tenemur, si probabile est, possumus ei credere et actiones nostras iuxta illud dirigere.

3. Somniis autem naturalibus caeca fide ita credere, ut quis ordinarie iuxta illa actiones suas dirigat, mortale peccatum divinationis est; interdum autem actionem indifferentem ponere vel omittere propter somnium, vel subinde leviter timere, ne id eveniat, quod somnia portendunt, leve peccatum non excedit.

Graviter peccat, qui desiderat per somnium a daemone doceri, et magis qui ex hac ratione certo corporis situ somnum capit. — Graviter peccat, qui vitam suam fere ex somniis, ex sortibus, ex chartis et eiusmodi mediis vanis dirigit. — Graviter autem ordinarie non peccat, qui numeros, quos somniavit, ludo exponit, vel qui equum non conscendit, quia lapsum somniavit, vel qui terram effodit, quia ibi thesaurum reconditum esse somniavit, quia id non tam ex certa fide futuri eventus facit, quam ex nimia quadam timiditate vel spe.

157. De sortilegio seu de usu sortium (Loswerfen). Cum triplices distinguantur sortes, haec de eis statuenda sunt:

1. Sortes *divisoriae,* quae adhibentur ad discernendum, quid unicuique tribuendum sit in rebus dividendis vel in litibus dirimendis, licitae sunt, nisi iure humano interdicantur: hoc enim sortilegium nil aliud est quam contractus, quo communi consensu decernitur rem ei tribuendam esse, cui sors contigerit[1]). Interdicuntur autem sortes iure canonico in electionibus ecclesiasticis[2]).

Hoc medium sortium ad controversias dirimendas litibus coram iudice gerendis et ipsis arbitris constituendis praeferendum est; illud etiam a Codice Austr. § 835. 841 et a Codice Germ. § 659. 752 in

[1]) Cf. Ioan. 19, 24.

[2]) C. Ecclesiae fin. *De sortileg.* (V. 21).

usum deducitur. De his sortibus s. scriptura dicit: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*[1]).

2. Sortes *consultoriae,* quae adhibentur ad indagandum, quid agendum vel omittendum sit, constituunt peccatum superstitionis, si responsum exspectatur a daemone; si responsum explicite exspectatur a Deo, habetur peccatum tentationis Dei, nisi adhibeantur ex inspiratione divina (ut in electione Matthiae) vel ex causa sufficienter gravi necessitatis vel utilitatis (ubi alia media ordinaria desunt) et praemissa oratione ad Deum; ut si quis in re magni momenti haerens in bivio aliter quoad viam se determinare non potest.

3. Sortes *divinatoriae,* quae adhibentur ad obtinendam occultae rei cognitionem, ordinarie sunt grave peccatum superstitiosae divinationis: sortes enim neque ex se neque ex institutione divina vim habent manifestandi rem occultam; ergo eius manifestatio exspectatur a daemone, etsi daemon explicite non invocetur.

Ordinarie. Sine dubio superstitionem committit, qui e. g. per sortes divinare conatur, quinam numeri in sortitione aleatoria extrahendi sint; at superstitiosae non sunt sortes divinatoriae, si adhibentur *a.* ex inspiratione divina[2]); *b.* ex intentione rei occultae manifestationem obtinendi a Deo (quo in casu tentatio Dei committi potest); *c.* ex mero ioco vel curiositate videndi, quid in eo casu a sorte designetur, quin rei fides adhibeatur.

158. De usu virgae divinatoriae. *Virga divinatoria* (Zauberrute) est virga ex corylo (Haselnuss) vel salice (Weide) secta, quae adhibetur ad res occultas vel amissas inveniendas, quin etiam ad homines (homicidas, fures) detegendos.

a. Usus virgae divinatoriae certe illicitus est, si virga adhibetur, ut iuxta intentionem eius, qui eam manu tenet, moveatur: si enim naturali vi moveretur, versus omnes res eiusdem naturae moveretur.

---

[1]) Prov. 16, 33.

[2]) Cf. Ios. 7, 14.

Sic si virga quaerentis lapidem terminalem solum ad illum, non item ad alios lapides, et virga quaerentis aquam solum ad aquam, non item ad metalla et vicissim moveatur, iuxta intentionem quaerentis movetur, non vi naturali.

b. Usus virgae ad quaerendas aquas vel metalla licitus est, praesertim si fiat protestatio contra influxum diabolicum.

Vix errabit, qui motum *virgae* in manu determinatae cuiusdam personae collocatae tribuat viribus naturalibus magneticis vel electricis, quae tum in corpore quarundam personarum, tum in ramis quarundam arborum (e. g. persicae), tum in certis corporibus (aqua, metalla) copiosius continentur, dummodo independenter ab intentione eius, qui virgam adhibet, solum versus certa corpora (aqua, metalla) et versus haec corpora semper aequali modo moveatur.

Nota. Per se licitum est uti virtute medii naturalis, quod per superstitionem cognitum est, modo eius efficacia non pendeat ab influxu daemonis: res enim ex eo non fit mala, quod modo illicito cognita sit.

Articulus quartus.

De vana observantia.

159. Notiones. 1. *Vana observantia* (Zauberei) est superstitio, qua invocatur daemon ad aliquem effectum eius ope obtinendum.

2. Vana observantia sicut divinatio duplex est, altera cum daemonis *invocatione explicita,* altera cum invocatione *implicita,* scilicet adhibitis mediis inanibus, quae neque a natura neque a Deo vim habent talem effectum producendi. Haec media vocantur *sacramenta diaboli*, quia illis positis ipse effectum intentum veluti ex promissione producit.

Vana observantia a divinatione eo differt, quod haec ordinatur ad cognoscendas ope daemonis res occultas, illa vero ad obtinendos eiusdem ope effectus quoscunque externos. Qui ad obtinendum effectum adhibet medium vanum et inutile, quod neque a natura neque ab ecclesia neque a Deo ad hunc effectum producendum institutum est, hunc exspectare non potest nisi a daemone.

Nota. 1. Inter diversas formas vanae observantiae late vagatur *observantia sanitatum* (medicina magica), quae est ars curandi morbos vel cavendi infortunia adhibitis diversis signis, inhalationibus, orationibus, ensalmis (Besprechungen), rebus sacris etc. Haec superstitio, sicut et reliquae, non magis inter catholicos reperiuntur quam inter acatholicos, nec magis inter infimam plebem quam inter cultos atque eruditos, immo inter paganos iam late grassabantur. Ideo solum per calumniam affirmari potest, superstitionem ex religione catholica ortam esse, quippe quae ex usu orationis et sacramentalium effectus divinos obtineri posse doceat[1]).

2. Eiusmodi orationes triplici modo potissimum fiunt. Vel enim adhibentur media physica (contrectationes, inhalationes, unguenta etc.) quae tamen vim medendi, quae cognoscatur, non habent; vel praeter media physica adhibentur etiam media moralia (orationes, ensalmi, adiurationes); vel tandem sola media moralia (curationes sympatheticae[2]). Non quivis usus eiusmodi mediorum de superstitione arguendus est: praeterquam enim quod Deus effectum sanitatis propter orationem speciali suo influxu producere potest, sunt remedia naturalia, quae vim sanandi nobis adhuc ignotam continere possunt; neque tandem negari potest, hominem influxu morali (quomodocunque hoc efficiatur e. g. per suggestionem) varios effectus curationis in alio homine producere; frequenter tamen usus horum mediorum aut plane superstitiosus est, aut usui medii naturalis vel supernaturalis aliquid superstitionis admiscetur.

3. Animarum pastores cognoscere studeant diversas formas superstitionis, quae inter fideles sibi commissos in usu sunt, easque exstirpare conentur: usus enim superstitiosi veram religionem eiusque exercitia non fovent, sed eis quam maxime nocent: puritatem enim fidei obnubilant, vitam vere religiosam impediunt, perfectionem vitae christianae retardant. Ad hunc finem obtinendum libellos, qui superstitionem docent, colligat et destruat, populum instruat de modo agendi, quem Deus servat, de vanitate superstitionis nec non de periculis, quae ex eius exercitio nascuntur.

160. De malitia morali et specifica vanae observantiae idem dicendum est ac de divinatione:

a. Vana observantia *cum invocatione explicita* semper mortale peccatum est; vana observantia cum *invocatione*

---

[1]) Cf. de hac re *Stöhr-Kannamüller*, Handbuch der Pastoralmedizin (Freiburg. Herder. 1900). S. 403 ff. *Walter*, Aberglaube und Seelsorge (Paderborn. Schöningh. 1904). S. 92 ff.

[2]) Hoc nomine (Sympathiekuren) vocantur illae, quae non efficiuntur remediis naturalibus, sed per moralem influxum alicuius personae arcana vi praeditae, quam vim *sympathiam* dicunt.

implicita frequenter a mortali excusatur tum ob ignorantiam, tum ob defectum certae fidei, tum ob defectum seriae voluntatis.

Sic mortaliter non peccant, qui infortunii indicium habent occursum certae personae (vetulae), quae primo anni die fit obvia; qui nolunt interesse convivio, ubi tredecim mensae accumbunt; qui die veneris iter non instituunt. Immo nec proprie peccatum superstitionis hisce committitur, cum neque de daemone neque de aliqua virtute superiore cogitent. Inepta tamen et contra sanam rationem haec sunt.

b. Eius malitia consistit tum in illicito commercio cum daemone, tum in superstitione, qua daemoni aliquis cultus exhibetur recurrendo ad eum et exspectando ab eo, quod a solo Deo exspectari deberet.

c. Divinatio et vana observantia *specie* ab invicem *non differunt:* in utraque enim eodem modo laeditur virtus religionis, quia in genere moris nihil refert, utrum a daemone quaeratur cognitio rei occultae an aliquis effectus externus.

Bene observat *Berardi* eos, qui a rebus ineptis certos effectus exspectant, non statim peccati superstitionis esse arguendos. Saepe enim ex simplicitate et errore agunt, quin de influxu daemonis cogitent; sed ut peccatum superstitionis fiat, requiritur, ut agens ad invocationem daemonis advertat eamque aliquo modo intendat. Quare si confessarius deprehendit poenitentes ceteroquin pios, qui eiusmodi agunt, in bona fide esse, eos non de peccato arguat, sed potius doceat, quam inania sint eorum media ad effectum obtinendum vel, si res ita ferat, eis dicat media ab ipsis adhibita, dempta vana aliqua circumstantia et infallibili exspectatione eventus, prorsus licita esse[1]).

161. Criteria ad dignoscendam vanam observantiam. 1. Eiusmodi signa sunt potissimum haec tria: *a. insufficientia causae* ad effectum producendum, quippe quae neque ex se neque ex Deo talem virtutem habeat; *b. adiectio vanae vel falsae circumstantiae* tamquam necessario requisitae ad effectum obtinendum, etsi signa vel media ex se bona et sancta sint; *c. infallibilis exspectatio* effectus propter solam horum signorum applicationem veluti ex opere operato.

---

[1]) Cf. *Berardi,* Praxis confessariorum[3] I. n. 433 ss.

α. Si itaque adhibentur certae preces, imagines, res benedictae etc., ita ut eis tribuatur vis infallibilis obtinendi aliquem effectum e. g. evadendi mortem vel morbum, non incidendi in infortunium, non moriendi sine confessione etc. superstitiosa sunt; si autem adhibentur in honorem Dei sine vanis adiunctis cum pia fiducia obtinendi, si Deo placuerit, id quod petitur, pia et religiosa sunt.

β. Apprime docendi atque instruendi sunt fideles, ne in usu rerum sacrarum et sacramentalium ecclesiae superstitiones foveant, ne e. g. putent eo maiorem in usu aquae benedictae produci effectum, quo uberius eo dispergitur et eiusmodi.

2. *In dubio*, utrum media adhibita possideant vim naturalem an supernaturalem causandi talem effectum, duplex haec regula attendenda est:

a. Si dubium est, utrum effectus aliquis proveniat a causa naturali an a daemone, viribus naturalibus tribuendus est, quia plurimae vires causarum naturalium etiam sapientibus ignotae sunt. Ideo medium, de quo dubitatur, utrum vim naturalem habeat causandi effectum necne, adhibere licet, addita tamen protestatione contra influxum daemonis.

Licitum est eiusmodi medium adhibere, quia non constat rem esse malam, econtra ex adiunctis potius honesta censeri potest. Hinc ut licite tale medium adhiberi possit, saltem probabilis ratio, praesertim ex comparatione cum aliis effectibus certe naturalibus desumpta, adesse debet, quae suadeat effectum produci a vi naturali. Praeterea semper consultum est, ut in eiusmodi casu praemittatur *protestatio* contra daemonis interventum: quamdiu enim res dubia est, protestatio tollit invocationem daemonis.

b. Si effectus certo non est a causa naturali et dubium est, utrum sit a Deo an a daemone, daemoni tribuendus est, quia miracula non sunt facile praesumenda. Quare in hoc casu non licet medium dubium adhibere, quia continet tacitam daemonis invocationem[1]).

Attamen medium eiusmodi revera dubium, exclusa certa exspectatione effectus, semel vel iterum tantum adhibere a mortali excusari potest, tum propter actus imperfectionem, tum quia non est grave periculum commercii cum daemone.

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 3. pr. 1. n. 28.

162. Criteria ad dignoscendam gratiam sanitatum. Quandoque accidit, ut homines, etiam rudes, qui fama sanctitatis non gaudent, signo crucis vel sacris precibus et inhalationibus morbos et vulnera sanent. Hi non sunt statim omnes superstitionis damnandi: pie enim credi potest Deum etiam nunc temporis aliquibus hominibus, quamvis sancti non sint, in bonum commune conferre gratiam sanitatum[1]). Signa autem, ad quae in casibus particularibus attendendum est, ut vana observatio a gratia sanitatum gratis data distingui possit, potissimum haec sunt: *a.* Utrum ille, qui medetur, solus an etiam alii iisdem mediis eundem effectum producant, et num ipse talem virtutem ab aliis didicerit: Deus enim gratiam sanitatum ordinarie ita confert, ut sit gratia personalis certae personae collata. *b.* Num media, quae adhibet, sint vana et inepta: fieri quidem potest, ut effectus gratiae a Deo concessae dependeat a signis quibusdam externis tamquam a condicione, at nunquam vana sunt haec signa. *c.* Num putet ipsis verbis vel signis adhibitis inesse virtutem sanandi: Deus enim gratiam sanandi confert personae, non signis externis. Verumtamen eiusmodi virtutes supernaturales gratis datae rarissimae erunt[2]).

Si reperiantur, qui morbos et vulnera sive hominum sive animalium sanent, id quod non infrequenter accidit, pro praxi haec notanda sunt:

a. Imprimis inquirendum erit, num media ab ipsis adhibita vi naturali effectum producere possint. Si probabili saltem ratione effectus naturae viribus tribui potest, earum usus praemissa protestatione contra influxum daemonis permitti potest.

b. Quodsi effectus nulla probabili coniectura viribus naturae tribui potest, res non est illico a priori reiicienda ut superstitiosa et illicita, sed factum cum omnibus adiunctis diligenter examinandum est.

c. Si instituto examine constat rem non esse certo superstitiosam, praesertim si preces et invocationes nihil falsi vel inepti contineant, si non exspectetur infallibilis effectus, si tandem ii, qui media adhibent, in bona fide sint neque ipsis mediis vel formulis invocatoriis vim in-

---

[1]) Cf. 1. Cor. 12, 9. *S. Thomas* II. II. q. 178. a. 2. *S. Alphonsus* l. 3. n. 18.

[2]) Cf. *Laymann* l. 4. tr. 10. c. 4 n. 4.

fallibilem tribuant, non est necesse, ut usus illorum mediorum interdicatur. Semper tamen consulendum est, ut ante usum praemittatur protestatio ad reiiciendum quemvis effectum, qui ope daemonis producatur.

Articulus quintus.

De magia et maleficio[1]).

163. Notiones. *a. Magia* generatim definitur ars operandi mira per causas occultas. Alia est magia *alba* seu naturalis, quae definitur ars operandi mira et insolita per media naturalia; alia est magia *nigra* seu superstitiosa, quae definitur ars operandi mira ope daemonis. Etiam magia cum daemonis invocatione explicita vel implicita fieri potest.

b. Magia, quae adhibetur ad nocendum aliis, dicitur *maleficium* (incantatio, Behexung), quod propterea definitur: ars nocendi aliis ope daemonis. Duplex distinguitur maleficium, *amatorium* (philtrum a φιλέω), si ope daemonis in alio excitatur vehementissimus affectus amoris vel odii erga determinatam personam, et *veneficium* (a veneno), si alicui personae vel bonis eius damnum infertur[2]).

Magia ab aliis speciebus superstitionis eo differt, quod ipsa effectus *miros* producere intendit. Maleficium a magia differt ratione finis: magus enim daemonis potentiam ostendere, maleficus vero aliis nocere intendit.

164. Eius malitia. 1. *Magia alba* per se licita est: viribus enim naturae exercetur, sagacitate et dexteritate hominum; periculosa autem fieri potest, quia daemon etiam

---

[1]) *Mart. Delrio,* Disquisitiones magicae. De hoc opere monet *Lehmkuhl* (II. p. 830): „Quamquam etiam inutilia et fabulosa continet, tamen utilissima tradit, quibus superstitionis malitia penitus cognoscatur."

[2]) Maleficium in iure canonico *sortilegium* dicitur, eo quod maligna sors ei contingit, qui maleficio afficitur; magi et sagae propterea *sortiarii* et *sortiariae* vocantur.

non invocatus facile his rebus se immiscet et ad magiam superstitiosam inducit.

2. *Magia nigra* per se est grave peccatum superstitionis, quod a divinatione et vana observantia quoad speciem moralem non differt. Earum communis malitia in consortio cum daemone consistit. A gravi peccato tamen magiam quandoque excusat ignorantia, si cum pacto implicito fiat.

165. Maleficium *a.* reipsa inferri posse concedendum est: daemonem enim tum per se tum per malos homines variis modis hominum corporibus et bonis permittente Deo nocere posse negari nequit; Deum autem sapientissimo consilio id quandoque permittere pariter certum est[1]). Quare etsi maleficiis non facile adhibenda est fides, imprudenter tamen omnia negarentur. *b.* Maleficio *amatorio* infectus ordinarie non amittit libertatem, sed tentationi cum Dei gratia resistere potest; quare si ei cedit, peccatum committit grave vel leve pro ratione deliberationis ac libertatis. *c.* Maleficium duplicem malitiam continet, alteram contra religionem, alteram contra caritatem vel iustitiam, quia proximo malum infert.

Cum experientia constet, hodie rara esse maleficia, confessarius difficilis sit in credendis maleficiis, quae a poenitentibus rudibus narrantur; ad mala autem abigenda, quae maleficiis ab iis tribuuntur, doceat adhibere media naturalia et supernaturalia, praesertim ea, quae in orationibus, usu sacramentalium et susceptione sacramentorum consistunt[2]).

166. Quomodo tolli possit maleficium. *a.* Certe non potest tolli alio maleficio, quia non licet facere mala, ut eveniant bona; ideo non licet a mago petere, ut maleficium solvat, si illud solvere non potest nisi per aliud maleficium, etsi ad illud solvendum ultro sit paratus. *b.* Tolli potest mediis tum naturalibus tum supernaturalibus, ut sunt medicinae, orationes, exorcismi, sacramentalia, sacramenta,

[1]) Iob 1, 12. Cf. Ex. 22, 18.

[2]) Cf. *Berardi*, Praxis confessariorum[3] I. n. 458.

destructio signorum, quibus daemon nocet. *c.* Licet etiam ipsum magum consulere circa modum solvendi maleficium, et pariter licet petere, ut maleficium ipse solvat, si modo licito illud tollit vel si illud modo licito saltem tollere *potest,* etsi praevideatur magum id praestiturum esse ope novi maleficii[1]).

De recenti magia.

In hoc tractatu de superstitione supponitur, quod in theologia dogmatica demonstratur, nempe daemonem non solum ultro et sponte, etsi non vocetur, in res humanas malignum influxum exercere variisque modis hominibus nocere, sed etiam sive explicite sive implicite ab hominibus vocatum veluti pacto cum his inito varios effectus producere, ut ex Iobi et magorum in Aegypto historia constat. Etsi communis persuasio de exsistentia et influxu sagarum, quae saeculis decimo septimo et octavo praesertim in Germania grassabatur, ut vana ac falsa reiicienda et tamquam infelicissimus error lugendus sit, negari tamen non potest exstitisse et etiamnum exsistere posse iniquos homines, qui ope daemonis occulta manifestant et opera insolita efficiunt. Quod antiquitus per varias divinationes atque observationes obtinere studebant, id hodie per tabulas rotantes et spiritismum exquirere student; nomen aliud, res eadem est[2]).

167. De tabulis rotantibus. 1. Omnes conveniunt, *consultationem* tabularum, etsi de rebus mere indifferentibus e. g. de aetate determinatae personae quaestiones proponantur, omnino illicitam esse, quamvis solum experimenti causa fiat: est enim manifestum commercium cum daemone, immo et superstitiosa divinatio, quia ipso ad daemonem recursu aliquis cultus ei exhibetur.

2. Quoad *simplicem rotationem* absque consultatione duplex est sententia, quarum altera eam permittit, quia

---

[1]) *Quid confessarius agere debeat* cum iis, qui superstitionis cum pacto explicito rei sunt, docet *s. Alphonsus* n. 28.

[2]) Cf. *Fr. Spee,* Cautio criminalis. *Ianssen-Pastor,* Geschichte des deutschen Volkes (Freiburg. Herder. 1894) VIII. S. 494—694. *I. Diefenbach,* Der Hexenwahn (Mainz. Kirchheim. 1886). *Stöhr-Kannamüller,* Handbuch der Pastoralmedizin (Freiburg. Herder. 1900) S. 425.

non constat viribus naturalibus rotationem perfici non posse; altera vero eam prohibet, quia viribus praeternaturalibus perficiatur ideoque superstitiosa et diabolica sit: nam cum rotatione plerumque coniungitur consultatio; haec autem diabolica est; ergo etiam illa. Insuper narrant rotationem impediri, quoties mensae superimponatur res benedicta.

3. *In praxi* ergo simplex rotatio praemissa protestatione contra influxum daemonis per se permitti potest: cum enim dubium sit, utrum effectus rotationis a viribus naturalibus an praeternaturalibus producatur, potius naturalibus tribuendus est; immo valde probabile est illum mere viribus naturae electricis vel magneticis produci.

a. Ex eo, quod cum rotatione tabulae plerumque coniungitur eius consultatio, colligitur quidem ab una ad alteram facilem esse transitum, quia daemon utitur experimento naturali, ut inducat ad superstitionem; at ex eo, quod consultatio diabolica est, non sequitur rotationem, quae ab illa distincta et independens est, pariter esse daemoni tribuendam. Ea, quae de rebus benedictis adduntur, ab aliis teste experientia dicuntur esse falsa.

b. Ab eiusmodi tamen experimentis, etsi viribus naturae producantur, arcendi sunt fideles, nisi agatur de explorandis viribus naturae, quia res non caret periculo. Exploratum est enim daemonem libenter hisce rebus se immiscere et ad illicitam divinationem impellere.

168. Magnetismus animalis proprie significat *vim,* quam corporibus viventibus inesse putabant, similem vi magneticae magnetis mineralis. Deinde significat novam *artem* curandi diversos morbos ope magnetismi animalis. Haec ars medica ab eius inventore *Franc. Mesmer* († 1815) etiam *Mesmerismus* appellatur. Lapsu temporis magnetismus animalis in diabolicam superstitionem degeneravit. Non est, cur theologia moralis de magnetismo animali accuratius dicat: nam prout est ars medica, in eius locum *hypnotismus* successit, de quo inferius sermo erit, et prout est nova superstitio, nunc *spiritismus* vocatur[1]).

[1]) Cf. *Kirchenlexikon*[2], Magnetismus. *Göpfert* I. n. 390 ff.

Magnetismus animalis, prout est medium curandi morbos sub certis condicionibus et cum debitis cautelis licite adhiberi potest[1]); ad magnetismum vero degeneratum referuntur plura responsa *s. Officii,* quibus usus magnetismi illicitus dicitur, quia per illum novum quoddam superstitionis genus ex phaenomenis magneticis invehitur[2]).

169. De spiritismo[3]). Imprimis systema spiritismi a phaenomenis spiritismi distingui debet. *Systema* spiritismi, quod est systema religiosum catholicae religioni plane adversum quodque profitetur secta spiritistarum, ad theologiam moralem non pertinet; de phaenomenis autem spiritismi quaeritur, num licite produci possint.

1. *Spiritismus* (prout hic consideratur) est ars communicandi cum spiritibus eorumque ope res occultas cognoscendi. Rerum occultarum revelationes non immediate ab ipsis spiritibus procedunt, sed plerumque pendent a personis, quae „media" seu mediatores — spiritistische Medien — vocantur. Haec media, dum spiritus iis utuntur ad suas revelationes manifestandas, somno artificiali seu hypnosi occupantur.

2. *Phaenomena* spiritistica complura eaque diversa recensentur, praesertim vero revelationes diversarum rerum, quae plerumque ope mediorum manifestantur hominibus; interdum etiam nulla interveniente persona visibili in tabula vel charta scriptura apparet; immo quandoque ipsi spiritus evocati apparent et ad quaestiones propositas respondent, qui de suo nomine interrogati modo angelos, modo sanctos, plerumque vero animas defunctorum se esse affirmant. Inter haec phaenomena reperitur etiam, quae dicitur *clara intuitio* (Hellsehen): medium spiritisticum libros legit ignotae linguae, etsi nunquam litteras didicerit; de rebus

---

[1]) *S. Officium* 23. iun. 1840; 28. iul. 1847.

[2]) *S. Officium* 21. apr. 1841; 30. iul. 1856. Haec responsa conferri possunt apud *Ballerini-Palmieri* II. n. 366 ss.

[3]) *W. Schneider,* Der neuere Geisterglaube[2] Paderborn. (Schöningh. 1885). *C. Gutberlet,* Der Spiritismus (Köln. Bachem. 1882). *I. E. Wieser,* Der Spiritismus und das Christentum (Innsbruck. Rauch. 1881).

disserit, quas alias penitus ignorat; res occultas quin etiam secreta cordis cognoscit; infirmorum morbos eorumque remedia indicat etc.

Sunt, qui phaenomena spiritistica nonnisi fabulosa commenta esse dicant. Negari nequit phaenomena spiritistica in compluribus casibus particularibus aut fraudibus et deceptionibus aut arti et dexteritati spiritistarum aut tandem imaginationi mediorum tribuenda esse; imprudenter autem de omnibus experimentis idem affirmaretur. Certum est compluribus spiritistis eorumque mediis persuasum esse, se spiritus evocare et reipsa cum ipsis commercium habere.

170. Num licitus sit. Phaenomena spiritistica daemoni tribuenda sunt; quare spiritismus aliud non est quam foedissima magia, in specie vero superstitiosa necromantia. Phaenomena enim spiritistica non causae naturali, sed praeternaturali eique intellectuali tribui debent; atqui haec causa non est nisi malus spiritus: Deus enim, angeli et sancti eiusmodi vanitatibus et impietatibus non cooperantur; animae autem defunctorum ab hominibus nec licite nec cum effectu evocari possunt; ergo non restat, nisi ut tribuantur daemoni, quocum spiritistae impium commercium ineunt. Haec confirmantur ex ipsis responsis a spiritibus datis, quae multa vana atque inepta immo etiam impia et fidei catholicae adversa continent.

a. Ergo nunquam licet *experimenta spiritistica instituere,* quare *s. Officium* usum spiritismi illicitum declarat, etsi excludatur omnis conventio cum daemone et commercium solum instituatur cum bono spiritu: eiusmodi enim protestatione removeri nequit commercium cum daemone, quod in ipsa consultatione spirituum continetur[1]).

b. Non licet in experimentis spiritisticis *tamquam medium inservire.* Quamvis enim spiritistae existiment se non invocare malos sed bonos spiritus, reipsa tamen non nisi malos invocant et veram magiam exercent. Eos subiective ab exercitio peccaminosae magiae propter bonam fidem excusari vix credibile est, certe raro tantum fiet.

c. Non licet experimentis spiritisticis *tamquam spectatorem interesse* propter scandalum et cooperationem, etsi excludatur spiritismi approbatio. Si quis tamen ex mera curiositate semel aut iterum eiusmodi experimentis intersit, excluso gravi scandalo, graviter non peccat;

---

[1]) *S. Officium* 30. mart. 1898. Huc referenda sunt etiam responsa, quibus magnetismus animalis prohibetur (n. 168).

et si moraliter constet spiritistam esse tantum fraudulentum deceptorem, excluso scandalo, licet spectaculo interesse.

Articulus sextus.

De tentatione Dei.

171. Notio. 1. Tentatio Dei definitur: dictum vel factum, quo quis explorat, num Deus aliquam perfectionem habeat vel exerceat (scientiam, potentiam, misericordiam).

a. Tentatio alia dicitur *seductionis* ad malum, alia *probationis.* Ubi de tentatione Dei sermo est, tentatio seductionis ad peccatum locum habere non potest, neque *active,* quia Deus hoc modo neminem tentat[1]), neque *passive,* quia Deus ad peccatum induci nequit.

b. Tentatio *probationis* dicitur *activa,* quando Deus hominem tentat, ut eius virtutem experiatur[2]); et dicitur *passiva,* quando Deus ab hominibus tentatur, qui de eius perfectionibus experimentum capere intendunt. De hac ultima tentatione hic sermo est, ut ex definitione patet.

2. Tentatio Dei ex duobus vitiis potissimum oritur: *a.* ex *infidelitate,* quando quis dubitans de aliqua perfectione Dei illam explorare intendit; *b.* ex *praesumptione,* quando quis temere (sine causa necessitatis vel utilitatis) a Deo petit vel exspectat effectum extraordinarium.

Ex *infidelitate,* si quis dubitans de reali Christi praesentia in eucharistia petit videre Christum sub speciebus latentem. Ex *praesumptione,* si quis probe tenens realem Christi praesentiam petit, ut videat in hostia consecrata divinum pusionem, prout eum viderunt plures sancti, vel si quis per quadragesimam a cibo et potu abstinet exspectans a Deo vitae conservationem. Patet in eodem facto diversam posse esse intentionem agentis.

172. Divisio. Duplex distinguitur tentatio Dei, *formalis* seu explicita, et *virtualis* seu interpretativa, prout cum intentione explicita vel solum implicita, in agendi modo latente, Deus tentatur.

a. Formalis duplici modo fieri potest: α. quando quis intendit aliquam Dei *perfectionem* explorare, ut si quis

---

[1]) Iac. 1, 13.

[2]) Deut. 13, 3. Tob. 2, 12.

dubitans de Dei potentia ab eo miraculum petit; β. quando quis intendit Dei *voluntatem* per signum extraordinarium explorare, ut si quis ex praealta turri se proiiciat cum animo curiose experiendi, num Deus ipsum salvare velit. Tentatio formalis plerumque ex infidelitate procedit, quamvis etiam ex praesumptione procedere possit.

b. Virtualis habetur, si quis non intendit quidem Deum tentare, attamen aliquid facit vel omittit, quod ex se miraculum poscit, ut si quis sanitatem in gravi morbo, praetermissis mediis naturalibus, a solo Deo exspectat, vel si quis se exponit periculo, ex quo a solo Deo per miraculum liberari possit. Tentatio virtualis ex praesumptione procedit, cum sit temeraria exspectatio divini auxilii.

De ratione tentationis est, ut aliquid a Deo *exspectetur,* et ut *temere* a Deo exspectetur.

a. Non est tentatio Dei, si quis *nihil a Deo exspectat,* id quod duplici modo fieri potest: α. quando aliquis se exponit periculo, quia periculum vult, ut si quis init duellum eo modo, quo hodie illud ineunt, quin, ut olim fieri solebat, exspectetur specialis Dei interventus in favorem innocentis, vel si aegrotus omnes medicinas respuit, sive ut citius moriatur sive ut morbi molestias patiatur. β. Quando effectus ex imprudentia vel stoliditate contra omnem probabilitatem exspectatur, ut si quis absque sufficienti praeparatione subit examen confidens se quodam casu tamen satisfacturum esse.

b. Non est tentatio Dei, si quis *ex iusta causa* e. g. ex divina inspiratione vel ex necessitate vel magna utilitate, ubi desunt media ordinaria, *a solo Deo aliquem effectum exspectat.* Licet ergo a Deo *petere miraculum* ex iusta causa necessitatis vel utilitatis, nempe ad propriam vel aliorum salutem vel ad voluntatem Dei implendam et sub condicione, si Deo placuerit. Sed non licet *offerre* nec *petere absolute miraculum* ad conversionem haereticorum absque divina inspiratione, quia in hunc finem adsunt et sufficiunt testimonia fidei christianae[1]).

c. Illicita sunt *iudicia Dei* vulgo *ordalia* (Gottesurteile), quae olim in usu erant, ut probatio ignis vel aquae ad explorandam innocentiam: in his enim peccatum interpretativae tentationis Dei committitur petendo miraculum sine necessitate, quare in iure ea expresse prohibentur[2]). Nihilominus complures ecclesiae praelati nec non synodi

---

[1]) Cf. 3. Reg. 18, 23. 24.

[2]) C. cura 1. *De purgatione vulgari* (V. 35).

particulares ordalium usum comprobarunt. Qua in re ex bona eorum fide atque ex temporum adiunctis excusandi sunt. Summi tamen pontifices ea nunquam approbarunt, etsi concedi debeat eosdem pontifices ea nec statim reprobasse nec satis severe hunc abusum eliminandum curasse. Quodsi Deus quorundam innocentiam per miraculum declarasse legitur, id eo explicandum est, quod purgationes ab ipsis innocentibus aut ex instinctu divino aut bona fide electae sunt, vel quod innocentes ad purgationes ab aliis vi adacti sunt[1]).

173. Eius malitia moralis. 1. Tentatio Dei *formalis* est peccatum *ex toto genere suo mortale,* quod non admittit parvitatem materiae.

a. Tentatio Dei *formalis,* sive uno sive altero modo fit, gravem irreverentiam Deo irrogat, quia directe adversatur divinae sapientiae: nam tentans petit et exspectat, ut Deus omnipotentia sua ad vanum et inutilem finem extraordinarium effectum producat. Ideo Christus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum*[2]).

b. Si tentatio Dei formalis *ex infidelitate* procedit, duplex malitia concurrit, altera contra fidem, quae consistit in dubitatione, num Deus sit determinata aliqua perfectione praeditus, altera contra religionem, quae consistit in irreverentia, qua quis ab ipso Deo postulat, ut suas perfectiones probet.

2. Tentatio Dei *interpretativa* est peccatum *ex genere suo grave* admittens parvitatem materiae; plerumque tamen peccatum veniale est. Grave peccatum est, quando quis temere exspectat a Deo miraculum; quodsi solum speciale Dei auxilium ex curiositate vel levitate exspectat, non videtur esse grave peccatum, nisi inducatur periculum gravis damni proprii vel alieni.

Qui ergo sine iusta causa in periculo mortis omissis remediis naturalibus divinum auxilium exspectat, graviter peccat, quia censetur esse gravis irreverentia in tanto periculo sine necessitate exspectare a Deo sanitatem. — Qui in morbo levi reiectis mediis naturalibus sperat a Deo sanitatem, leviter tantum peccat, et nullatenus peccat, si sperat se naturaliter, Deo iuvante, a tali morbo liberatum iri. — Pari modo leviter tantum peccat, qui ex negligentia imparatus ad contionem procedit sperans a Deo speciale auxilium; graviter autem peccaret rudis clericus, qui absque praeparatione concionari vellet, sperans materiam a Deo sibi fore suggerendam.

[1]) *Kirchenlexikon*[2], Gottesurteile.
[2]) Matth. 4, 7.

Articulus septimus.

De sacrilegio.

174. Notio. Latiore sensu *sacrilegium* est quodvis peccatum contra religionem, quo sensu etiam divinatio, magia, blasphemia etc. sacrilegia sunt; *stricte* autem et *proprie* sacrilegium definitur: indigna tractatio rei sacrae. Sacrilegium ergo committitur qualibet actione, qua laeditur reverentia rebus sacris debita.

a. *Res* sacra hic late sumitur, adeo ut hoc nomine comprehendantur personae sacrae, loca sacra et res sacrae: haec tria enim Deo eiusque cultui consecrari solent.

b. Res *sacra* dicitur illa, quae Dei vel ecclesiae auctoritate ad cultum divinum deputata est. Persona ergo, quae privato proposito aut voto se Deo dicavit, non dicitur proprie sacra, sed illa tantum, quae auctoritate publica ecclesiae ad Dei cultum consecrata est.

c. Ut cognosci possit, num aliqua actio sit sacrilega, attendendum est: α. ad quid res, quae violatur, consecrata sit; β. num actio sit contra id, ad quod res consecrata est. Nam illae solum actiones *a* persona sacra vel *in* personam sacram commissae sacrilegia sunt, quae eam in eo laedunt, in quo sacra est. Sic sacerdos fornicando committit sacrilegium, quia ad caste vivendum Deo consecratus est, blasphemando vel se inebriando non committit sacrilegium, quia ad haec peccata vitanda non est Deo consecratus. Item peccata, quae praeter infra recensenda in sacerdotem committuntur ut calumniae, contumeliae, non sunt sacrilegia, quia haec non laedunt ipsam personam sacram, sed eius bona externa: famam et honorem.

175. Divisio sacrilegii. Triplex distinguitur sacrilegium: *personale, locale, reale*, prout triplex est genus rerum sacrarum: personae sacrae, loca sacra et res sacrae.

a. Praeter has autem non est alia res sacra, cuius violatio sacrilegium constituat e. g. *tempus*, quod dicitur sacrum: tempus enim non est speciali modo Deo consecratum. Ideo non committit sacrilegium, qui peccat die festo vel in quadragesima vel die sacrae communionis, neque aperiri debet in confessione circumstantia temporis sacri, quo peccatum fuerat commissum.

b. Admittitur tamen peccatum grave esse *feria sexta in parasceve* ludos publicos exhibere, quales exhiberi solent diebus bacchanalibus, praesertim si id speciali lege prohibitum sit, non quia tempori

sacro, sed quia passioni Domini irreverentia irrogatur et fidelibus grave scandalum praebetur.

176. Malitia moralis et specifica. 1. Sacrilegium est *peccatum contra religionem ex genere suo grave:* eo enim, quod aliquid ad cultum divinum deputatum est, debetur ei specialis reverentia, quae si laedatur, irreverentia in Deum redundat; admittit autem parvitatem materiae, quia irreverentia, quae rebus Deo sacratis irrogatur, ipsum Deum mediate tantum afficit.

2. Sacrilegium *personale, reale et locale specie ab invicem differunt,* quia, cum sint tria diversa genera rerum sacrarum, virtus religionis hoc triplici sacrilegio moraliter diverso modo laeditur.

Et in hac quidem affirmatione omnes conveniunt; utrum vero tres istae species sacrilegii sint infimae, an in singulis admittendae sint circumstantiae, quae speciem sacrilegii mutent, auctores non conveniunt. *Suarez*[1]) hoc ultimum affirmat; *s. Alphonso* autem, qui secutus est *s. Thomam*[2]), sententia negans videtur esse probabilior (n. 34). Secundum ipsum igitur idem specifice sacrilegium committit, qui monialem violat percutiendo vel cum ea fornicando, qui aliquod sacramentum vel sacram imaginem irreverenter tractat. Et hanc quidem sententiam practice sequi possumus.

177. De sacrilegio personali. 1. Sacrilegium personale definitur: violatio personae sacrae. Duplex distinguenda est consecratio personarum, altera, qua persona per ordinationem, ad quam etiam tonsura refertur, vel per admissionem ad statum religiosum *ad cultum divinum* deputatur; altera, qua ipsa per votum publicum castitatis sive in sacra ordinatione sive in professione religiosa tum sollemni tum simplici emissum *ad servandam castitatem* Deo consecratur.

2. *Actiones*, quibus sacrilegium personale committitur, tres sunt:

a. Violenta manuum iniectio in clericum vel religiosum contra privilegium canonis.

---

[1]) *Suarez,* De religione tr. 3. l. 3. c. 1. n. 8.

[2]) *S. Thomas* II. II. q. 99. a. 3. ad 2.

b. Usurpatio iurisdictionis in personas ecclesiasticas trahendo eas ad tribunal saeculare contra privilegium fori, vel imponendo eis onus servile e. g. militiae vel tributi contra immunitatem ecclesiasticam, nisi ecclesia consentiat.

c. Peccatum luxuriae commissum a persona ad servandam castitatem Deo consecrata contra votum castitatis. Ubi notandum est: α. sacrilegium committi non solum a persona sacra, sed etiam ab illa, quae, etsi sacra non est, in peccato luxuriae participat; quare, si haec quoque sacra est, duplex utrimque sacrilegium committitur; β. a persona sacra sacrilegium committi non solum per peccata externa, sed etiam per peccata mere interna contra castitatem.

Num violatio voti simplicis et privati castitatis sit sacrilegium. Certum est illam violationem esse sacrilegium latiore sensu; qui ergo violat votum privatum castitatis, duplex peccatum committit, contra castitatem et contra religionem. Illam violationem esse sacrilegium stricte tale ex definitione quidem personae sacrae negandum est; quia tamen *s. Alphonso* (n. 35) probabilius est sacrilegium committi etiam per laesionem voti castitatis a persona privatim emissi, sententia affirmans in praxi tamquam probabilis haberi potest[1]).

178. De sacrilegio locali. 1. Sacrilegium locale est violatio loci sacri.

a. Locus sacer stricto sensu ille dicitur, qui ecclesiae auctoritate ad cultum divinum deputatus et ideo consecratus vel saltem benedictus est. Hoc sensu loca sacra sunt ecclesiae, oratoria publica (non privata nec semipublica) et coemeteria. *Locus religiosus* vel sacer latiore sensu dicitur quivis locus ad usum pium et religiosum ecclesiae auctoritate destinatus ut palatium episcopi, domus parochialis, seminarium, monasterium, hospitale ecclesiae auctoritate erectum, quod habet oratorium ad celebrandum etc.

A loco sacro et religioso distinguendus est *locus pius,* qui sine auctoritate et interventu ecclesiae ad opera pia exercenda erectus est ut oratorium privatum, hospitale a laicis erectum.

b. Quia sacrilegium committitur violatione sanctitatis et immunitatis loci sacri, distingui debet locus sacer, cui

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 386 ss.

convenit sanctitas, et locus sacer, cui convenit immunitas. *Sanctitas* solum convenit loco stricte sacro et quidem a laqueari usque ad pavimentum, etiamsi interdictus vel pollutus sit; ergo sacrilegium ob laesam sanctitatem loci sacri solum intra hunc ambitum committitur. *Immunitas* autem convenit etiam loco latiore sensu sacro et loco stricte sacro etiam in partibus exterioribus, ut sunt porticus, sacristia, turris, tectum supra ecclesiam, crypta subterranea, scala et ianua ecclesiae.

2. *Actiones,* quibus sacrilegium locale committitur, hae quatuor sunt.

Imprimis notanda est doctrina eorum, qui cum *de Lugo*[1]) docent, omnia peccata in loco sacro commissa aliquam rationem sacrilegii habere, quia est contra reverentiam loco sacro debitam, quod locus ad Dei cultum destinatus convertatur in locum offensionis divinae; *sacrilegium* autem *grave* in confessione declarandum potissimum illis actionibus committitur, quae lege positiva in ecclesia fieri prohibentur, cuiusmodi sunt quatuor sequentes.

a. Peccata, quibus ecclesia polluitur, etsi maneant occulta, ideoque ecclesia reipsa non polluatur.

Peccata, quibus ecclesia (oratorium et coemeterium) polluitur, si ea evaserint notoria notorietate iuris aut facti, sunt haec quinque:

α. *Iniusta sanguinis humani effusio:* si ergo vel casu vel ad iustam defensionem sanguis in ecclesia effunditur, haec non polluitur. Insuper requiritur copiosa sanguinis effusio et ut vulnus saltem in ecclesia infligatur, etsi sanguis extra ecclesiam fundatur. Hinc sanguinis humani effusio, quae e. g. ob alapam inflictam e naribus vel dentibus accidit, nec ecclesiam polluit nec proinde sacrilegium dicto sensu constituit.

β. *Iniustum homicidium* etiam sine sanguinis effusione: si ergo iustum homicidium in ecclesia fieret, ecclesia non esset polluta; sufficit autem, ut causa mortis in ecclesia ponatur, etsi mors extra ecclesiam sequatur.

γ. *Illicita humani seminis effusio,* quae fieri potest aut per voluntariam pollutionem aut per fornicationem aut per copulam coniugalem, quae citra necessitatem in ecclesia illicita est; necessitas autem ob periculum incontinentiae eam licitam reddit etiam in ecclesia; hac copula licita proinde ecclesia non polluitur.

Alia peccata luxuriae externa (tactus, aspectus, sermones turpes), etsi gravia, probabiliter non sunt sacrilegia (gravia). Peccata vero

[1]) De poenit. disp. 16. n. 466.

gravia interna (cogitationes et desideria impura) certe non sunt sacrilegia gravia, nisi sit desiderium actus, quo polluitur ecclesia, illudque intra ecclesiam patrandi concipiatur.

δ. *Sepultura hominis excommunicati,* quod intelligi debet de sepultura ecclesiastica et quidem specialiter et nominatim excommunicati. Interdicitur quidem et aliorum sepultura in loco sacro, at exinde ecclesia vel coemeterium non polluitur.

ε. *Sepultura hominis non baptizati,* quod intelligi debet de paganis, iudaeis aliisque infidelibus, quorum sepultura in loco sacro efficit, ut ipse polluatur. Quoad *infantes fidelium*, qui sine baptismo decedunt, probabiliter eorum sepultura in loco sacro non inducit eius pollutionem[1]).

b. Actiones profanae etsi indifferentes, *quae vel natura sua vel ex ecclesiae prohibitione adversantur loci sacri sanctitati* ut actiones iudiciales et mercatus, publica convivia, ludi theatrales, parlamenta saecularia et universim omnes illae actiones sive illicitae sive profanae, quae ex communi hominum aestimatione valde dedecent loci sanctitatem ut stabulationes equorum, exonerationes naturae, choreae, graves rixae etc.

α. Privatim aliquid comedere in ecclesia etiam sine necessitate veniale non excedit[2]).

β. Permitti solet, ut in ecclesia fiant comoediae, quae conducunt ad fovendam pietatem, et pari modo exercitia litteraria.

γ. Censet *Laymann,* si absque perturbatione divinorum officiorum fiat, permitti vel saltem tolerari posse, ut in coemeterio vel in ipso templo vendantur cerei vel alia, quae ad devotionem populi pertinent[3]).

c. Furtum in loco sacro commissum; ut tamen per furtum patratum *in* loco sacro (grave) sacrilegium committatur, requiritur, ut res ablata gravis sit et speciali aliquo vinculo cum ecclesia nectatur, atque ideo aut ad ecclesiam pertineat aut saltem eius custodiae vel usui concredita sit.

Ex iure committitur sacrilegium auferendo *sacrum de sacro vel non sacrum de sacro vel sacrum de non sacro*[4]); quibus significanter

---

[1]) *Schmalzgrueber* in l. 3. t. 40. n. 47.
[2]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 2. n. 266.
[3]) *Laymann* l. 4. tract. 10. c. 7. n. 9.
[4]) C. *Quisquis* 21. c. 17. q. 4.

dicitur *de sacro* non *in sacro,* ut significetur furtum *in* loco sacro commissum non esse sacrilegium, nisi res ablata aliquo modo ad ecclesiam pertineat. Qui ergo in ecclesia furatur crumenam divitis, non committit sacrilegium locale; qui vero rem sacram de loco sacro furatur, duplex sacrilegium committit, reale et locale.

d. Actiones, quibus violatur *immunitas* loci sacri, ergo actiones, quibus laeditur ius asyli.

Immunitas ecclesiastica est privilegium, quo res ecclesiasticae (personae, res, loca) liberae sunt a certis oneribus, quae aliis rebus in societate civili imponi solent. Immunitas ecclesiastica *localis* complectitur privilegium locis sacris concessum, quo criminosi eo confugientes a potestate laicali extrahi non possunt. Hoc privilegium dicitur *ius asyli.* Etsi leges civiles hodie ius asyli non agnoscant, ecclesia tamen iure suo non cedit, nisi per concordata ei derogaverit. immo excommunicationem infligit in omnes *immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes*[1]).

Nota. *Incendio* vel *effractione* loci sacri sacrilegium reale committitur: laeditur enim locus, quatenus res sacra est.

179. De sacrilegio reali. Sacrilegium reale committitur tribus potissimum modis: *a.* res sacras indigne tractando; *b.* res sacras iniuste usurpando; *c.* res sacras emendo vel vendendo contra prohibitionem ecclesiae, quod est peccatum simoniae.

Res sacrae duplicis generis sunt, aliae, quae essentia sua. aliae, quae solum ecclesiae dedicatione ad cultum divinum ordinatae sunt. Harum aliae (e. g. vasa sacra) speciali consecratione, aliae (ut bona ecclesiastica) sine speciali consecratione ad cultum divinum deputatae sunt; illae proxime, hae solum remote ad hunc finem inserviunt. Res igitur sacrae sunt:

1. *Sacramenta,* quorum praecipuum est sacramentum eucharistiae.

a. Sacrilegium ergo committitur: α. si invalide conficiuntur, indigne ministrantur vel indigne suscipiuntur sacramenta; β. si sacrae species cum periculo corruptionis suo tempore non renovantur; γ. si ss. sacramentum longiore tempore (integro die) sine lampade ardenti relinquitur; δ. si irreverenter tangitur ss. eucharistia, maxime vero

[1]) Constit. *Apostolicae sedis* II. 5.

si conculcatur vel ad superstitiones adhibetur; ε. si ad missae sacrificium adhibentur vasa, corporalia etc. valde immunda.

b. Etsi Christus Dominus in sanctissimo eucharistiae sacramento realiter praesens sit, violatio tamen huius sacramenti non est sacrilegium personale, sed reale, quia Christus in hoc sacramento non se exhibet in sua persona, sed sub speciebus inanimatis[1]).

2. *Obiecta sacra:* vasa sacra, altaria, cruces, imagines sanctorum, olea sacra, reliquiae, s. scriptura, aedes sacrae et res benedictae.

a. Sacrilegium grave committitur: α. si *vasa sacra*, quae immediate serviunt ad sacrum ministerium, ideoque consecrari vel saltem benedici solent, ad usus profanos e. g. calices ad convivia adhibentur; ad usus autem profanos adhibere vasa, quae solum mediate serviunt in sacro ministerio ut ampullas, pelvim etc. non esset peccatum; β. si olea sacra, reliquiae, imagines sacrae profanantur ea proiiciendo, imagines ex contemptu frangendo etc.

b. Sacrilegium grave committitur si *verba s. scripturae* ad inhonesta et vana adhibentur; veniale esset, si ad iocos de cetero honestos adhiberentur; quodsi verba s. scripturae non ad meros iocos adhibentur, sed ad propria sensa verbis s. scripturae exprimenda, etiam omnis irreverentiae culpa abesse potest, praesertim si non usurpentur verba ipsius Christi Domini neve saepius ac veluti ex consuetudine id fiat. Cavendum tamen, ne sensus iocosus subiiciatur verbis s. scripturae, quae in missa et officio divino occurrunt, ne detur ansa distractionibus inter orandum orituris. Fragmenta librorum, in quibus verba sacra continentur, ad profanos usus adhibere, si fiat sine contemptu, non est sacrae scripturae profanatio nec proinde sacrilegium. Idem de sanctorum imaginibus non benedictis dicendum est[2]).

c. Notandum est nullam committi irreverentiam, si abiiciantur ossa carnium vel putamina ovorum, quae tempore paschali solent benedici, quia benedictio non cadit super ossa vel putamina, sed super carnes et ova. Pariter non committitur irreverentia, si res simpliciter benedictae (benedictione invocativa) ad usus profanos, sed tamen decentes, applicentur, ut si candelae benedictae ad habendum lumen pro studio vel aqua benedicta ad temperandum vinum vel sal benedictum ad condiendos cibos adhibeantur[3]).

3. *Ornamenta ecclesiae vel ministrorum,* quae benedici solent, ut vestes sacerdotales.

---

[1]) Cf. *Lessius* l. 2. c. 45. dub. 3. n. 16.

[2]) *Scavini,* Theologia mor. universa[14] (Mediolani. Oliva. 1890) II. n. 130.

[3]) Cf. *Lacroix* l. 6. pr. 1. n. 227.

a. Sacrilegium committitur: α. si haec ex contemptu indigne tractantur; β. si ad usus profanos adhibentur; ad usus autem profanos adhibere ea, quae non solent benedici e. g. aulaea, candelabra etc. ad nuptias adhibere, non esset peccatum.

b. Negligentia, quae committitur in mundandis et purgandis altaribus, imaginibus vel utensilibus sacris, in mundandis et reficiendis paramentis sacris, non erit mortalis, nisi vasa sacra notabiliter sint immunda vel paramenta notabiliter lacera.

c. Antiqui iuris canones severe prohibent, ne unquam res sacrae, ne mutata quidem earum forma e. g. lapides et ligna ecclesiae dirutae vel paramenta detrita, ad usus profanos adhibeantur, sed vel comburi vel ad alios usus sacros adhiberi debeant. Contraria autem consuetudine factum est, ut res sacrae, etsi antea consecratae vel benedictae fuissent, hodie ad usus profanos licite adhibeantur, dummodo earum forma prius immutetur. Ideo lapides et ligna ecclesiae dirutae vendi, vasa sacra prius conflata et paramenta prius discissa ad alios usus adhiberi possunt[1]).

4. *Bona ecclesiastica,* quo nomine censentur:

a. Bona tum mobilia tum immobilia ecclesiae, quae ad sustentationem ministrorum, ad ecclesiae fabricam aliosve usus sacros deputata sunt; non autem bona ipsorum ministrorum ecclesiae.

Attamen ut eorum furto vel iniusta detentione committatur sacrilegium, requiritur, ut bona iam in dominium ecclesiae transierint; ideo legatum ecclesiae relictum nondum est res sacra, nisi ecclesiae traditum sit.

b. Bona, quae pertinent ad aliquod institutum ecclesiasticum, ut est monasterium, xenodochium etc.: cum enim haec bona ex voluntate donatorum non ad alium, nisi pium usum destinata et ab ecclesia in hunc finem acceptata sint, inter res sacras censentur eorumque furtum, detentio vel defraudatio in iure passim sacrilegium vocatur.

180. Num licitum sit vasa sacra tangere. *a.* Vasa consecrata, quae ad ss. eucharistiam immediate continendam destinata sunt, item corporalia et purificatoria, quae post sacrum usum nondum lota sunt, soli clerici (etiam primae

[1]) Cf. *Gennari,* Consultazioni moral. canon. liturg.[2] (Roma. Monitore eccles. 1901) pr. 2. cons. 33.

tonsurae) licite tangere possunt; idem ex privilegio conceditur regularibus laicis sacristis et monialibus sacristis: laicis ergo saecularibus absque speciali facultate id non licet, at veniale non excedit, et si causa adsit, nec veniale est. *b.* Corporalia et purificatoria ante usum, vasa et ornamenta, quae ss. eucharistiam immediate non contingunt, item alias res sacras (agnus Dei, reliquias etc.) omnes licite tangere possunt.

a. Si ergo pallae, corporalia et purificatoria, quae ad sacrum usum iam inservierunt, lavanda sunt, prima eorum lotio facienda est a persona sacra (subdiaconi hoc officium est) et lotionis aqua in sacrarium mittenda est.

b. Nonnulli auctores *(Lacroix, Suarez, Pasqualigo) probabiliter* affirmant primam lotionem etiam ab inferioribus clericis, immo a tonsuratis fieri posse[1]).

Articulus octavus.

De simonia[2]).

181. Definitio. *Simonia* a Simone mago dicta[3]) definitur: studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale aut spirituali annexum[4]).

a. Dicitur: *studiosa* i. e. deliberata *voluntas;* quia ad simoniae essentiam non requiritur, ut pactum mutuo consensu reipsa perficiatur, sed sufficit, ut inchoetur, eo quod adsit unius partis interior paciscendi seu alium obligandi voluntas. *Emendi aut vendendi* significat quodvis pactum onerosum, quo res spiritualis pro temporali commutatur. *Pretio temporali* non solum pecunia significatur, sed quodvis bonum seu commodum temporale, quod cum re spirituali commutatur. *Spirituale aut spirituali annexum* significat materiam, circa quam simonia versatur, quae potest esse res spiritualis vel temporalis spirituali annexa.

b. Simoniam per se non committit, qui dat spirituale pro spirituali vel spirituale annexum pro spirituali annexo; ideo simonia non

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* l. 6. n. 387.

[2]) *Laymann* l. 4. tract. 10. c. 8. *Reuter* pr. II. n. 452—503. *Lacroix* l. 3. pr. 1. n. 56—246. *Castropalao* tract. 17. disp. 3. *A. Leinz*, Die Simonie (Freiburg. Herder. 1902), Fuse de simonia passim agunt canonistae.

[3]) Act. 8, 18 ss.

[4]) *S. Thomas* II. II. q. 100. a. 1.

est dare missam pro rosario, calicem pro ciborio, nec invicem permutare res spirituales diversi ordinis: applicationem indulgentiae vel dispensationem cum sacra reliquia, quia non datur spirituale pro temporali. Pariter simoniam per se non committit, qui inservit episcopo in re spirituali e. g. ut contionator, confessarius ea intentione, ut accipiat beneficium: spirituale enim pro spirituali commutatur.

Nota. Haec definitio solum convenit simoniae iuris divini, non item simoniae iuris ecclesiastici. Simonia universim sumpta definiri potest: *contractus circa spirituale aut spirituali annexum intuitu religionis a lege prohibitus.*

182. Divisio simoniae. Tria ad simoniam necessario concurrunt: *materia*, *pactum* et *pretium:* quare simonia trifariam dividitur.

1. Ratione *materiae* in simoniam iuris divini (naturalis) et iuris ecclesiastici. *a.* Simonia *iuris divini* committitur, quando pro re temporali datur res spiritualis vel spirituali annexa; et haec quidem simonia in se mala ideoque iure naturali-divino prohibita est. *b.* Simonia *iuris ecclesiastici* committitur, quando res spiritualis vel spirituali annexa datur pro alia spirituali aut spirituali annexa, vel quando datur res temporalis pro alia re temporali, sed utrumque contra prohibitionem ecclesiae. Haec vero simonia non in se, sed ideo solum mala est, quia ab ecclesia prohibetur.

Simonia iuris divini est, si datur pecunia pro sacramentis, pro missae sacrificio etc.; simonia iuris ecclesiastici est, si permutantur beneficia ecclesiastica, vel si datur pecunia pro oleo benedicto sine licentia ecclesiae. Sublata autem ecclesiae prohibitione harum rerum permutatio seu emptio et venditio non est amplius simoniaca.

2. Ratione *pacti* simonia dividitur in mentalem, conventionalem, realem et confidentialem. Haec divisio eo potissimum tendit, ut explicentur poenae a iure in simoniam statutae.

a. Simonia *mentalis* committitur, quando datur vel offertur temporale cum intentione alterum obligandi ad dandum spirituale aut vicissim sine ullo pacto exterius manifestato.

Ergo ad simoniam mentalem non sufficit solum propositum internum dandi temporale pro spirituali, sed requiritur, ut actu aliquid offeratur vel detur cum voluntate mere interna alium obligandi ad reddendum spirituale, ut si clericus serviat episcopo ea intentione, ut pro mercede sibi conferatur beneficium, vel si patronus det alicui beneficium ad eum compensandum pro servitiis acceptis, nulla tamen exterius facta conventione. Solum propositum internum committendi simoniam sine ulla exsecutione externa esset *simonia pure mentalis* seu intentionalis, quam ius, utpote ad forum mere internum pertinentem, non attendit.

b. Simonia *conventionalis* fit pacto vel conventione dandi vel recipiendi spirituale pro temporali, conventione tamen nondum ex utraque parte expleta. Et siquidem ex neutra parte conventio per traditionem rei promissae impleta est, simonia conventionalis *pura*, si autem ab alterutra parte per traditionem saltem partialem rei promissae impleta est, *mixta* dicitur.

c. Simonia *realis* habetur, quando conventio ex utraque parte per traditionem rei promissae completa vel saltem expleri inchoata est, ut si data re spirituali temporalis saltem ex parte recepta est.

Titius vendit Sempronio beneficium quingentis coronis, sed nec beneficium nec pretium hucusque traditum est — *pure conventionalis* — Titius contulit venditum beneficium, at Sempronius de pretio nihil adhuc solvit — *conventionalis mixta* — Titius contulit venditum beneficium et Sempronius aut integrum pretium aut saltem eius partem iam solvit — *realis*.

De simonia *confidentiali* dicetur infra.

3. Ratione *pretii* dividitur in simoniam cum munere a manu, a lingua et ab obsequio: pretium enim temporale in iure vocari solet *munus*[1]). Triplex autem diversum munus distinguitur: *a. munus a manu,* quo designatur pecunia vel quodvis bonum externum, quod pretio temporali aestimari potest ut remissio debiti, mutuatio pecuniae etc.; *b. munus a lingua,* quo designatur quodvis patrocinium, quod lingua vel loquendo exhibetur ut laus, commendatio, intercessio, defensio etc. apud alium facta ex conventione pro re spirituali; *c. munus ab obsequio*, quo designatur quodvis ser-

[1]) C. *Sunt nonnulli* 114. c. 1. q. 1.

vitium temporale ut famulatus, administratio rerum etc. ex pacto obtinendi aliquid spirituale.

Ergo committitur simonia propter munus a manu, si quis alteri det beneficium, ut ipse ei remittat debitum; propter munus a lingua, si quis alteri det beneficium, ut ipse eum commendet principi; propter munus ab obsequio, si quis alteri det beneficium, ut ipse filios conferentis beneficium instituat.

183. Malitia moralis et specifica. 1. Simonia *iuris divini* est peccatum *ex toto genere suo grave* contra religionem, quod non admittit parvitatem materiae. Eius malitia in eo consistit, quod res spiritualis et sacra non pluris aestimanda censetur quam temporalis et profana, qua ratione non solum indigne tractatur res spiritualis, sed simul iniuria irrogatur Deo, rerum spiritualium auctori. Ideo praeceptum Christi de bonis supernaturalibus: *gratis accepistis, gratis date*[1]), et verba reprobationis s. Petri ad Simonem magum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*[2]). Hanc simoniam non admittere parvitatem materiae patet: res enim spiritualis, quantumvis exigua, eo ipso cum maxima Dei iniuria vilipenditur, quod rei temporali aequiparatur.

Ex quibus patet simoniam esse peccatum contra religionem, quod reducitur ad sacrilegium reale, etsi specifice ab eo distinctum sit. Quia tamen eius tractatio prolixa et multis difficultatibus implexa est, claritatis causa seorsim a sacrilegio exponi solet.

2. Simonia *iuris ecclesiastici* est peccatum *ex genere suo grave,* quod admittit parvitatem materiae. Haec simonia mala est, quia ab ecclesia ex motivo religionis sub gravi prohibetur, scilicet ad removendum simoniae periculum ideoque ad praecavendam irreverentiam erga res sacras. Admittit parvitatem materiae, quia ecclesiae prohibitiones, nisi aliud obstet, accommodatae sunt materiae, adeo ut graves sint in materia gravi et leves in materia levi.

---

[1]) Matth. 10, 8.
[2]) Act. 8, 20.

3. Simonia iuris divini et iuris ecclesiastici sunt peccata *eiusdem speciei*, cum etiam simonia iuris ecclesiastici peccatum sit contra religionem atque ideo rationem verae simoniae habeat: etenim si ecclesia ex motivo alicuius virtutis quidquam praecipit vel prohibet, eo ipso res praecepta vel prohibita fit materia illius virtutis vel vitii, propter quod res praecipitur vel prohibetur; ergo etiam simonia iuris ecclesiastici peccatum contra religionem est.

184. Materia simoniae iuris divini vel est aliquid spirituale vel (temporale) spirituali annexum; duplex ergo distinguitur materia simoniae: alteram constituunt res *per se*, alteram res *per connexionem spirituales*.

a. Spirituale intelligitur omne id, quod vel ex se vel ex institutione Dei aut ecclesiae ad salutem animae ordinatur, sive quoad substantiam est res spiritualis sive sensibilis.

Hoc spirituale est triplicis generis: α. spirituale *formaliter*, quod in se et quoad substantiam suam spirituale est, ut sunt gratia sanctificans, dona spiritus sancti, virtutes supernaturales, gratiae gratis datae etc. β. *causaliter*, quod causat aliquid spirituale, ut sunt sacramenta, sacramentalia, orationes tum publicae tum privatae, contiones, etc. γ. *effective*, quod causatur ab aliquo spirituali, ut sunt actus potestatis, ordinis vel iurisdictionis: consecratio, absolutio, benedictio, dispensatio; excommunicatio, collatio beneficii etc.

b. Spirituali annexum dicitur aliquid in se temporale, quod tamen vel a Deo vel ab ecclesia spirituali (rei, iuri, officio) annexum est.

Temporale spirituali annexum esse potest triplici modo: α. *antecedenter*, si praeexsistit res temporalis, cui deinde accedit spiritualis, ut sunt omnes res consecratae et benedictae (vasa sacra, templum, oleum benedictum), fundus aut aedificium, cui adhaeret ius patronatus; β. *consequenter*, si res temporalis supponit spiritualem tamquam causam, propter quam datur, ut beneficia ecclesiastica (ius percipiendi fructus temporales), quae dantur propter officium; γ. *concomitanter*, si res temporalis simul exsistit cum spirituali ut labor corporalis in functionibus sacris suscipiendus. Labor autem operi spirituali annexus est vel *intrinsecus*, quando per se et necessario cum opere coniungitur ut labor necessarius in celebratione missae, in deferendo viatico, in praedicatione verbi Dei; vel *extrinsecus*, quando solum per accidens operi

adiunctus est, ut molestia, quam quis subire debet in celebrando cum cantu, in dissito loco, determinata hora.

185. Quando simonia sit emere aut vendere temporale spirituali annexum. 1. Emere aut vendere res temporales spirituali *consequenter annexas* iuxta communissimam sententiam est *simonia iuris divini:* nam temporale, quod ex spirituali veluti ex sua radice consequitur, ita cum spirituali coniunctum est, ut cum eo in morali aestimatione unum quid constituat et proinde unum sine altero privata auctoritate nullatenus emi aut vendi possit.

Ideo non licet vendere ius ad reditus beneficii, quod in spirituali iure ad officia pastoralia tamquam in sua radice fundatur nec ab eo separari potest. Pariter non licet emere aut vendere ius vivendi de bonis monasterii, quod necessario coniunctum est cum professione religiosa, quae est spiritualis.

2. Emere aut vendere res temporales spirituali *concomitanter intrinsecus annexas* iuxta communissimam et veram sententiam est *simonia iuris divini:* temporale enim, quod concomitanter intrinsecus annexum est spirituali, ex se et independenter a re spirituali fidelibus non est pretio aestimabile; quare si venderetur, ipsa res spiritualis vendi censeretur.

Ideo non licet pro labore et defatigatione, quae cum opere spirituali celebrandi, contionandi, consecrandi ecclesiam etc. coniuncta sunt, aliquid tamquam pretium accipere. Opus externum, quod in celebratione, administratione sacramenti etc. peragitur, est quidem a re spirituali distinctum, sed ex se in hoc casu nullum habet valorem. Etenim ut aliquid pretio aestimabile sit, id quod uni laboriosum est, debet utile esse alteri, sed opus externum celebrationis, administrationis sacramenti fidelibus nullam praebet utilitatem: id enim, quod ipsi aestimant et petunt, et quod eis utilitatem affert, est sola res spiritualis[1]).

3. Licet emere aut vendere res temporales *concomitanter extrinsecus annexas* spirituali: quod enim concomitanter extrinsecus annexum est, a re sacra separari ideoque independenter a re sacra pretio aestimari et vendi potest.

Ideo licet pecuniam dare et accipere, si sacerdos missam celebraturus incommodum longi itineris vel defatigationem cantus subire

[1]) Cf. Zeitschrift für kath. Th. XXXIII (1909) S. 480 ff.

vel usque ad meridiem ieiunus manere debeat. Licet pro sacris reliquiis aliquid accipere, si eis se privare ratione specialis affectionis magnum incommodum involvit.

4. Licet emere et vendere res temporales *antecedenter annexas* spirituali, modo pretium propter spirituale non augeatur, nec permutatio ab ecclesia prohibita sit. Res enim spirituali antecedenter annexa hinc quidem retinet post benedictionem vel consecrationem suum valorem physicum, inde vero connexio rei materialis cum spirituali benedictione vel consecratione non est tanta, ut per intentionem ementium et vendentium altera ab altera separari non possit. Quodsi propter spirituale augetur pretium, committitur simonia iuris divini, et si venditioni obstat prohibitio ecclesiae, committitur simonia iuris ecclesiastici.

Ideo per se licet emere et vendere ceram benedictam, sacras reliquias pretiosis thecis inclusas, vasa sacra, vestes sacras, numismata et rosaria benedicta: res enim temporales (cera, theca etc.) suum valorem habent, pro quo licite pretium solvitur; complures autem eiusmodi res, ut infra dicetur, propter ecclesiae prohibitionem absque simonia emi et vendi non possunt.

Nota. *Sacrae reliquiae,* si proprie loqui velimus, ipsae sunt res materiales, quibus accedit ratio spiritualis, proindeque res spirituali antecedenter annexae. Sed cum reliquiae, quatenus sint materiales, nullius sint valoris, ipsae considerari solent ut res spirituales et solae thecae, in quibus, inclusae sunt reliquiae ut res materiales pretio aestimabiles habentur.

186. Simonia iuris ecclesiastici *his modis potissimum committitur:*

1. Aliquid, etsi exiguum, dare vel accipere etiam sponte oblatum occasione *examinis ad curam parochialem* sive ante sive post examen[1]). Dicitur *occasione* examinis:

[1]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 18. De reform. Etsi in aliis casibus parvitas muneris oblati (aliqui flores, pauci fructus, modica esculenta et potulenta) a peccato simoniae etiam iuris divini plane excuset, quia haec parva non sunt apta, quae obligationem inducant, examinatoribus tamen in concursu etiam haec interdicta sunt: decretum enim concilii statuit: *ne quidquam prorsus accipiant.*

si enim pro ipso examine aliquid datur, scilicet pro calculo positivo, committitur simonia iuris divini.

2. Aliquid accipere etiam sponte oblatum *pro collatione ordinum,* etiam primae tonsurae, pro litteris dimissoriis, testimonialibus vel formatis collati ordinis[1]). Attamen permittitur, ut episcopi candelam recipiant ab ordinandis et emolumenta pro litteris dimissorialibus (ut ab alio episcopo ordines conferri possint) et pro litteris testimonialibus seu formatis collati ordinis a s. congregatione iussu *Innocentii XI. determinata* (taxa Innocentiana)[2]).

3. Vendere et emere *officia temporalia* canonice instituta, quae ordinantur ad administrationem rerum temporalium ecclesiae (sacristae, cantoris, oeconomi, procuratoris, defensoris ecclesiae): haec enim sive a clericis sive a laicis emi prohibentur[3]).

Potest autem vendi ius sepulturae in determinato loco: hoc pacto enim non censetur vendi sepultura ecclesiastica, nec sepulturae locus sacer, sed ius alium in eo loco sepeliendi, quod quidem pretio aestimabile est, nec eius venditio ab ecclesia prohibetur. Quare praxis iam diu in ecclesia invaluit, ut eiusmodi iura passim venderentur.

4. Vendere *partem coemeterii consecrati,* cuius venditio utpote rei spirituali antecedenter annexae per se licita esset.

5. Vendere *oleum benedictum* vel sacrum chrisma etiam secundum valorem physicum, quod pariter per se licite vendi posset utpote spirituali antecedenter annexum; excipiuntur tamen ecclesiae, in quibus contra ius commune invaluit consuetudo aliquid accipiendi ad compensandas expensas pro comparanda materia factas[4]).

6. Accipere aliquid pro *erectione,* institutione, communicatione vel aggregatione *confraternitatum* sub poena nullitatis actus, si pro iis quidquam accipiatur[5]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 21. c. 1. De reform.
[2]) S. C. C. 8. oct. 1678.
[3]) C. Consulere 38. *De simonia* (V. 3).
[4]) S. C. C. 20. dec. 1879. Cf. Acta s. sedis v. XIII. p. 180 ss.
[5]) Constit. *Quaecunque* Clementis VIII. 8. dec. 1604. n. 11. 12.

7. *Missam,* quam quis pro stipendio celebrandam suscepit, alteri celebrandam *committere parte stipendii ex mutuo pacto retenta.*

8. Vendere vel venales exponere vel alia re commutare *coronas, numismata* et alias huiusmodi res benedictas et indulgentiis ditatas, quae ipso facto venditionis indulgentias amittunt[1]).

Attamen coronae, cruces etc. indulgentias non amittunt, si earum emptor ipsi venditori benedictionem nomine suo curandam committit, etsi pretium et expensas transmissionis demum solvat, quando res iam benedictae sibi tradantur[2]).

187. De pacto simoniaco. *Declarationes. a.* Pactum simoniacum intelligitur quivis contractus, quo quis alterum *obligare intendit* ad dandum spirituale pro pretio temporali aut vicissim.

b. Duplex distinguitur pactum simoniacum, *explicitum,* quod disertis verbis vel signis exprimitur: *do tibi centum pro canonicatu;* et *tacitum* seu implicitum, quod in aliquo facto continetur, ex quo nempe consideratis adiunctis apparet temporale, quod datur et accipitur, non esse merum donum, sed conferri ad alterum obligandum, ut ipse det spirituale.

Ut diiudicari possit, utrum aliquid detur animo simoniaco an liberali, ad haec tria attendi debet: ad *qualitatem dantis,* ad *quantitatem rei* et ad *tempus donationis.* Etenim si donum detur ab homine divite et liberali, vel si res sit exigui pretii (pauca esculenta vel potulenta), vel si detur exigente necessitate vel opportunitate, non censetur simoniace, sed liberaliter datum. Econtra si quis tempore, quo imminet collatio beneficii, patrono daret rem pretiosam, cum antea non soleret munera ei dare, censetur simoniace dedisse.

Asserta. 1. Ad veram simoniam constituendam aliquis *contractus* dandi temporale pro spirituali saltem ex una parte inchoatus essentialiter requiritur; quivis autem sufficit, modo sit vere obligatorius.

---

[1]) Decreta authentica S. C. Indulg. (Ratisbonae. Pustet. 1893) n. 78. 82. 344. Cf. *Fr. Beringer,* Die Ablässe etc.[12] (Paderborn. Schöningh. 1900) S. 339 ss.

[2]) *S. C. Indlg.* 10. iul. 1896.

a. Quodvis onus, quod alteri imponitur, sufficit ad committendam simoniam, etiamsi obliget tantum ex gratitudine vel ex fidelitate, non ex iustitia, modo nova obligatio alteri iniungatur, quae efficiat, ut eius retributio non sit amplius gratuita, sed aliquo modo debita. Hinc simonia est, si quis gratis dat rem temporalem ea condicione, ut alter pariter gratis det rem spiritualem.

b. Licet dare rem temporalem *cum spe* recipiendi aliquid spirituale aut vicissim per modum gratitudinis, etsi haec spes exterius manifestetur, quia hoc modo nullum habetur pactum, quia nulla obligatio imponitur, et ex altera parte nullum ius acquiritur.

2. Insuper requiritur, ut temporale detur *tamquam pretium* seu tamquam iusta compensatio pro re spirituali: alias enim non aequiparatur nec commutatur spirituale cum temporali, quod ad formalem rationem simoniae requiritur.

Ergo non committitur simonia, si temporale datur et accipitur non ut pretium rei spiritualis, sed ex *alio titulo,* nisi etiam hoc in determinato casu ab ecclesia prohibitum sit. Eiusmodi tituli dandi et accipiendi temporale pro spirituali complures exsistunt, ut ex quaestionibus infra solvendis apparebit; praecipui vero sunt: *liberalis gratitudo, sustentatio ministri, egestas sublevanda, labor externus, redimenda vexatio, consuetudo.* Si non adest alius titulus dandi temporale, in foro externo temporale praesumitur dari tamquam pretium; in foro interno dependet ab intentione dantis, utrum simoniam iuris divini an iuris ecclesiastici vel nullam commiserit.

3. Simonia committitur etiam, quando datur temporale pro spirituali *tamquam motivum* i. e. ad alterum movendum, ut conferat rem spiritualem, modo tamen ea dispositione agat, ut non daret temporale, si sciret alterum non esse redditurum spirituale: qui enim hac mente dat temporale, virtualiter illud dat tamquam pretium.

4. Item simonia committitur, quando datur temporale in *gratuitam compensationem* pro spirituali aut vicissim[1]), ita nimirum, ut praeter obligationem naturalem gratitudinis

[1]) Ideo damnata est haec propositio (45) ab *Innocentio XI.:* „Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam *motivum* conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum *gratuita compensatio* pro spirituali aut econtra".

nomine „gratuitae compensationis“ imponatur alia obligatio sive gratitudinis sive fidelitatis sive iustitiae.

5. Tandem simonia committitur, quando *principaliter*, etsi non unice, datur temporale pro spirituali aut vicissim, quia etiam in hoc casu vera fit commutatio rei spiritualis cum temporali.

Simoniam committit, qui inservit episcopo principaliter ad obtinendum beneficium tamquam rem pro servitio debitam, etsi ex aliis quoque motivis secundariis ei famuletur; sed non committit simoniam qui inservit episcopo principaliter ad conciliandam eius benevolentiam et secundario etiam ad obtinendum beneficium, dummodo beneficium non intendat ut rem pro servitio debitam, sed tamquam effectum merae gratitudinis[1]).

De simonia in re beneficiaria.

188. Praenotiones. *a. Beneficium* ecclesiasticum, quod definitur ius percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, proprie est spirituali consequenter annexum; consideratur autem una cum officio ut *res spiritualis*, quia cum officio spirituali inseparabiliter coniunctum est et solum datur propter officium spirituale, ex quo veluti ex sua radice enascitur.

b. Ex iure recolendum est triplici modo acquiri beneficium ecclesiasticum: α. *electione*, quando clericus a capitulo eligitur, quae electio ab episcopo vel a papa confirmari debet; β. *praesentatione* seu nominatione, quando clericus a patrono offertur superiori, a quo deinde instituitur beneficiatus; γ. *collatione* seu provisione, quando beneficium libere datur a solo superiore.

Praesentatione acquiritur ius ad beneficium obtinendum. Per *installationem* in beneficio eius possessio capitur.

c. Praelaturae regulares (generalatus, provincialatus, prioratus, guardianatus etc., exceptis tamen nonnullis abbatiis et prioratibus, quae propter bona eis annexa vera beneficia sunt) in materia simoniae et praesertim in ordine ad incurrendas poenas non comprehenduntur nomine beneficii: beneficium enim ecclesiasticum in odiosis stricto sensu accipiendum est; praelaturae autem regulares potius officia sunt quam vera beneficia. — Item *parochiae*, quae canonice non sunt erectae et ideo modo revocabili conferuntur, minime sunt beneficia proprie dicta.

Hinc si quis dat temporale pro electione ad officium in religione e. g. prioratum, committit simoniam iuris divini; attamen non com-

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 51.

mittitur simonia iuris ecclesiastici, si duo conveniunt de dando sibi mutuo suffragio in ordine ad obtinendum officium regulare.

Nota. Ecclesia praeprimis in re beneficiaria *omne pactum onerosum prohibuit,* quia ob ius percipiendi fructus temporales praesens aderat periculum, ne beneficia tractarentur ut res temporales et pro pecunia relictis dignis promoverentur indigni.

189. Asserta. 1. Simoniam committit, qui aliquid dat vel accipit ad obtinendum quocunque modo aliquod beneficium ecclesiasticum.

a. Simoniam committit, qui aliquid dat electoribus ad obtinendum suffragium, patrono vel collatori ad obtinendam praesentationem, nominationem vel confirmationem; qui aliquid dat vel accipit pro admissione in possessionem beneficii.

b. Simonia non est *precibus inducere episcopum,* ut alicui det beneficium, etiamsi propter preces illud detur; neque est simonia, si quis precibus obtineat ab alio, ut episcopum inducat ad conferendum beneficium, neque pro illo, qui petit vel ad petendum inducit, neque pro illo, qui confert, neque pro illo, qui beneficium accipit: preces enim non habent rationem pretii, sed ordinantur solum ad alium movendum, ut in favorem alterius aliquid faciat, nec ullum pactum intercedit. — At simonia est, si episcopus dicat: *conferam tibi beneficium, si haec persona me roget,* quia in hoc casu preces rationem pretii temporalis habent, pro quo datur spirituale[1]).

c. Non est simonia, si episcopus alicui conferat beneficium *propter consanguinitatem vel amicitiam* vel aliam eiusmodi causam temporalem, tum quia nullum pactum intercedit, tum quia alter nullum pretium temporale reddit, nec conferens intentionem habet, ut supponitur, eum obligandi ad aliquid reddendum: temporale enim (consanguinitas) est solum causa motiva conferendi spirituale; de ratione autem simoniae est, ut spirituale detur *pro* temporali in eius compensationem.

d. Non est simonia, si episcopus alicui det beneficium ea intentione, *ut possit solvere debita,* quae apud ipsum episcopum contraxit, quia episcopus non intendit accipere emolumentum praeter id, quod ipsi iam debitum est, nec ad solvendum debitum novam obligationem imponit, quare beneficium omnino gratis confert, nisi de solvendo debito pactum ineat.

e. Non est simonia, si episcopus clerico conferat beneficium *in recognitionem meritorum eius,* quia beneficium non datur tamquam merces debita, nec ullum intercedit pactum.

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 63.

2. Simoniam committit, qui pretio temporali sive immediate sive mediate, attamen *directe, viam sibi parat* ad obtinendum beneficium.

a. Qui aliquid dat vel accipit ad *comparandam sibi intercessionem* apud episcopum vel patronum, ut obtineat beneficium, simoniam committit, quia pecuniae oblatione sibi parat viam ad obtinendum beneficium. Idem dicendum est, si quis pecuniam det intercessori mediato, nisi pecunia unice detur pro expensis, labore, lucro cessante etc.[1]). Haec intercessionis emptio in ordine ad obtinendum beneficium est simonia iuris ecclesiastici, si pretium datur independenter ab efficacia intercessionis, et est simonia iuris divini, si solum datur pro intercessione efficaci: nam cum intercessione simul emitur beneficium, quod est res spiritualis[2]).

b. Simoniam committit, *qui pecuniam dat competitori, ut desistat concurrere* ad beneficium: nam pecunia viam sibi parat ad obtinendum beneficium, siquidem illa abstinentia non est pretio aestimabilis nisi propter spirituale, quod per eam obtineri potest[3]).

c. Simoniam committit, *qui certat cum collatore beneficii* e. g. pro centum aureis, quod non sibi, sed alteri collaturus sit beneficium vacans, si hoc ideo fit, ut collator pro pecunia sponsione lucranda certanti conferat beneficium.

3. Simonia committitur per quodvis pactum utrimque onerosum circa beneficia sine licentia superioris initum sive de re spirituali sive temporali.

a. Ergo simonia est: α. alicui dare beneficium cum pacto, ut subeat novum onus, etsi spirituale e. g. explicandi catechismum, assistendi moribundis etc.; β. sine licentia permutare beneficia; γ. pactum de resignando beneficio.

b. Si episcopus in collatione beneficii alterum obligat ad preces pro se fundendas, non committit simoniam iuris divini, quia spirituale commutatur cum spirituali; committit autem simoniam iuris ecclesiastici, quod omnem pactionem in materia beneficiorum ut simoniacam prohibet.

190. De simonia confidentiali. Simonia *confidentialis,* quae in solis beneficiis ecclesiasticis locum habet, in eo consistit, quod aliquis alteri quocunque modo (eligendo, praesentando, conferendo, resignando etc.) procuret bene-

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 439.

[2]) *Lehmkuhl* I. n. 389.

[3]) *S. Alphonsus* n. 103.

ficium ecclesiasticum sub certa *confidentia* i. e. cum obligatione, ut illud sibi vel tertio resignet, aut ex eo pensionem vel partem fructuum solvat. Haec simonia potest esse mentalis, conventionalis aut realis. Simonia confidentialis *quatuor modis* fieri potest:

a. Cum *reservatione accessus,* quando aliquis alteri procurat beneficium eo pacto, ut ipse vel tertius, qui hic et nunc ob aliquod impedimentum (e. g. defectum aetatis) illius nondum capax est, cessante impedimento habeat accessum ad beneficium, eo quod resignat is, cui procuratur beneficium.

b. Cum *reservatione ingressus,* quando aliquis beneficium sibi collatum ante coeptam possessionem alteri cedit eo pacto, ut post huius mortem aut beneficii dimissionem ipse cedens eius possessionem ingredi possit.

c. Cum *reservatione regressus,* quando aliquis beneficium, quod iam possidet, alteri resignat eo pacto, ut ipse resignans determinato tempore beneficium recipiat seu in eius possessionem regredi possit.

d. Cum *reservatione partis,* quando aliquis alteri procurat beneficium eo pacto, ut sibi vel tertio partem beneficii seu fructuum solvat.

191. De restitutione pretii simoniace accepti. Obligatio restituendi in hac materia oriri potest tum ex iure naturali tum ex iure ecclesiastico. Ius naturae ad restituendam rem simoniace acceptam tum solum obligat, si praeter religionem etiam iustitia commutativa laesa fuerit; ius vero ecclesiasticum quandoque in poenam delicti ad restituendam rem simoniace acceptam obligat, etiamsi sola virtus religionis, non autem iustitia commutativa laesa fuerit.

1. Si commissa fuit simonia *cum laesione iustitiae commutativae,* pretium simoniace acceptum ante iudicis sententiam restituendum est: nam ex laesione iustitiae commutativae iure naturae oritur obligatio restituendi. Laeditur autem iustitia commutativa: *a.* si res mere spi-

ritualis nullum habens pretium temporale pro pretio traditur; *b.* si pro pretio confertur, quod ex officio (ex iustitia) ideoque gratis praestari debet.

Hinc restituere debet, qui pretium accepit pro benedictione, pro concessione dispensationis, pro consecratione ecclesiae etc., quia haec mere spiritualia sunt. Pariter restituere debet parochus, qui aliquid accepit pro explicatione catechismi; item episcopus, qui pro pretio confert beneficium, quia uterque id ex iustitia ideoque gratis facere debet.

2. Si commissa fuit simonia *absque laesione iustitiae commutativae,* pretium simoniace acceptum restitui non debet, nisi restitutio ab ecclesia in poenam criminis imponatur, et tunc post sententiam iudicis. Imponitur autem restitutio, quando simonia commissa fuit *a.* in re beneficiaria; *b.* in ingressu in religionem.

Qui ergo contra leges ecclesiae vendidit rosarium benedictum et indulgentiis ditatum vel oleum sacrum, non tenetur restituere pretium, nisi hoc valorem materialem rei venditae excedat, quia non peccavit contra iustitiam, sed solum contra religionem, et ecclesia in hoc casu restitutionem pretii non imponit. — Qui vero alteri beneficium pro pecunia resignat, iustitiam commutativam quidem non laedit, quia fructus beneficii pretio aestimabiles sunt, ex statuto iuris autem pecuniam restituere debet.

192. De reddenda re spirituali simoniace accepta.

a. Si pretium temporale aut restitutum aut nondum traditum sit, res spiritualis, ubi exstat et restitui potest, reddi debet, nisi tradens cedat iure suo: dominium enim in rem spiritualem translatum est sub condicione recipiendi pretium temporale; deficiente ergo condicione deficit dominii translatio, quare nullus adest titulus retinendi rem spiritualem.

b. Quodsi pretium temporale traditum nec restitutum est, res spiritualis, etsi eiusmodi sit, ut restitui possit, restitui non debet, nisi restitutio in poenam criminis iniungatur: dominium enim in rem spiritualem valide translatum est.

Hinc qui simoniace sibi comparavit reliquias sanctorum vel ius patronatus, non tenetur haec dimittere, quia tradito pretio eorum dominium acquisivit et ecclesia restitutionem non iniungit. Qui vero beneficium simoniace acquisivit, tum beneficium dimittere tum fructus

perceptos restituere debet, quia ecclesia in poenam delicti impedit, quominus dominium acquirat, tam qui beneficium quam qui pretium accipit.

193. Cui restituendum sit pretium. Si obligatio restituendi oritur ex laesione iustitiae commutativae, res restituenda est ei, qui eam dedit, excepta causa beneficii; quodsi obligatio restituendi oritur ex solo iure ecclesiastico, restitutio facienda est secundum dispositionem iuris. Ius autem haec disponit:

a. Si res spiritualis nondum tradita est, restitutio facienda est ei, qui pretium dedit: hic enim damnum passus est.

b. Si res ex utraque parte iam tradita est, in materia beneficiorum pretium acceptum, etiam si laesa est iustitia, restituendum est ecclesiae, in qua situm est beneficium; in aliis materiis restituendum est pauperibus.

194. Quaestiones particulares de simonia.

1. Dare alteri rem temporalem, ut rem spiritualem in proprium commodum praestet, e. g. dare munera adolescenti, ut sacramenta frequentet, dotem dare puellae, ut monasterium ingrediatur, non est simonia; haec namque rationem habent donationis, licet condicionatae, quae accipienti nullam obligationem imponit praestandi rem spiritualem, sed solum eius voluntatem ad rem ipsi utilem inclinare intendit.

Utrum simonia sit necne, haec munera dare ea intentione, ut alter *vere obligatus sit,* ut sacramenta suscipiat vel religionem ingrediatur, disputant. Qui simoniam *affirmant,* rationem afferunt, quod permutatio intercedat, cum dans acquirat ius exigendi, ut alter praestet rem spiritualem, accipiens vero contrahat obligationem eandem rem praestandi. Qui simoniam *negant,* rationem reddunt, quia non omne pactum in hac re constituit simoniam iuris divini, sed solum pactum, quo res spiritualis pro temporali, quae tamquam pretium datur, emitur vel venditur[1]).

2. Pecuniam dare homini impio sacras reliquias vel alias res sacras detinenti ad has redimendas non est simonia, quia pretium non datur pro re sacra, sed ut ea e periculo profanationis eripiatur.

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 59. *Ballerini-Palmieri* II. n. 437. *Lessius,* De iust. l. 2. c. 35. n. 66 s.

Nihilominus prohibitum est, ne fideles s. reliquias, quas impii homines venales exponunt, sponte emant, sed monendus est ordinarius, qui eas opportune recuperandas curabit[1]).

3. Si duorum ludentium alter pro exitu ludi exponit rem spiritualem (rosarium, auditionem missae), alter vero rem temporalem, non committitur simonia, quia proprie non fit aequiparatio inter spirituale et temporale, sed alter loco rei temporalis offert *exsecutionem* rei spiritualis, quam alter acceptat. Eiusmodi tamen ludendi modus dissuadendus est propter scandalum.

Pari modo non peccat sacerdos, qui creditori offert centum missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum centum florenorum.

195. Num sit simonia dare aliquid, ut alter rem spiritualem omittat, pendet ab actione, quam propter pecuniam omittit. *a.* Si omissio actus spiritualis involvit simul exercitium potestatis spiritualis, est simonia. Id quandoque locum habet, si omittitur actus iurisdictionis ecclesiasticae, e. g. si non absolvitur, qui iam confessus est vel qui censura ligatus est: nam in hoc casu non absolvere est retinere; datur ergo temporale pro exercitio potestatis spiritualis. *b.* Si omissio actus spiritualis non involvit exercitium potestatis, sed est mera omissio libera actionis, etsi spiritualis, non est simonia, ut si quis accipit pecuniam, ut omittat orare, celebrare, aliquem ordinare, dare eleemosynam, audire confessionem etc.: libera enim cessatio ab opere, quae mere est usus liberi arbitrii, pretio aestimabilis est: ex alia ratione autem sic agendo committi potest peccatum. *c.* Si omittitur actus ex iustitia debitus, ut si parochus non audiret confessionem sui subditi vel non proclamaret matrimonium, *Suarez* cum aliis a simonia excusat, quia omissio non involvit actum potestatis spiritualis, sed est merus non usus liber potestatis, qui in hoc casu quo actus ex officio debetur, certe peccatum est[2]).

196. Num liceat vendere ius patronatus. — In iure patronatus duo distinguenda sunt: ius ad honores et subventiones, quae patronis debentur, et ius praesentandi ad beneficium; illud temporale, hoc spirituale est. Si ius ad honores etc. vendatur, quod spirituale consequenter annexum est, committitur peccatum simoniae; item si ius praesentandi vendatur, vel res, cui affixum est ius praesentandi, propter hoc ius carius vendatur, simonia committitur. At simonia non est iusto pretio vendere rem, cui annexum est ius praesentandi, quod ius cum re empta gratis in

---

[1]) *S. C. Indl.* 21. dec. 1878.

[2]) *Suarez* l. 4. c. 22. n. 9 ss. *Lacroix* l. 3. pr. 1. n. 175 ss.

emptorem transfertur, sicut etiam hereditate in alium transfertur et donatione transferri potest. Eiusmodi autem translatio, quae a laico fiat sine licentia episcopi, illicita est, at simoniaca non est.

197. Num liceat aliquid accipere pro instructione aliorum in doctrina sacra. — Attendendum est ad bonum, quod alii ex instructione capiunt.

a. Si instructio immediate ordinatur ad *solam spiritualem utilitatem* aliorum ut homilia, catechesis, instructio spiritualis etc., non licet quidquam exigere nisi ratione sustentationis ut pro functionibus sacris.

b. Si instructio non unice ad bonum spirituale, sed *simul ad bonum temporale* aliorum ordinatur e. g. ad mentem excolendam, ad honorem, ad oblectationem etc., pro ea aliquid accipere licet. Ideo aliquid exigere et accipere possunt, qui docent theologiam, qui dant consilia doctrinalia vel solvunt dubia et difficultates etiam in re morali, etsi per accidens eorum consilia etiam ad tranquillitatem conscientiae audientium conducant.

198. Num liceat aliquid accipere pro functionibus sacris.

a. Simonia est pro sacris functionibus quibusvis e. g. pro administratione sacramentorum, contione, sepultura ecclesiastica aliquid accipere tamquam pretium operis spiritualis: spirituale enim pro pretio temporali venditur. Licet autem pro sacris functionibus aliquid exigere et accipere per modum stipendii ad congruam sustentationem: qui enim operam suam impendunt in utilitatem spiritualem aliorum, iure divino et humano ab eis exigere possunt sustentationem temporalem, perinde atque illi, qui laborem suum impendunt in utilitatem aliorum temporalem[1]).

Voluit Christus, ut ministri altaris ex oblationibus fidelium sustentarentur; propterea ipse Christus mittens apostolos ad praedicandum evangelium dicit: *dignus est operarius cibo suo*[2]). Fuse autem s. Paulus demonstrat ius apostolorum exigendi sustentationem congruam et obligationem fidelium eam eis suppeditandi, provocans ad praeceptum Domini[3]).

b. Ex his iam deducitur: α. stipendium ad congruam sustentationem ministris sacris deberi ex iustitia; β. ideo illud exigere et accipere possunt etiam illi, qui eo non indigent: etenim non habet rationem eleemosynae, quae datur indigentibus, sed debiti stipendii. γ. Licite de stipendio eiusque mensura pactum iniri

[1]) Luc. 10, 7: 1. Cor. 9, 7—14.
[2]) Matth. 10, 10.
[3]) 1. Cor. 9, 4—14.

potest, si illud lege ecclesiastica vel consuetudine non est determinatum: quod enim ex iustitia debetur, illud in pactum deduci potest.

α. Num stipendium non solum titulo sustentationis, sed etiam titulo mercedis tamquam pretium pro labore in functionibus sacris e. g. in celebrando, in contionando necessarie subeundo exigi et accipi possit, controversum est. Auctoribus enim communiter id negantibus (n. 185), nonnulli opinantur, laborem, quamvis functionibus sacris internum ab eisque inseparabilem, manere tamen actionem physicam ideoque pretio aestimabilem, adeo ut citra simoniam iuris divini emi et vendi possit. *Laymann* utramque sententiam apta distinctione conciliare conatur: si enim labor in spiritualibus ministeriis susceptus consideratur in ordine ad opus spirituale secundum propriam et specificam eius rationem, nihil pro eo accipi potest; quodsi consideratur in ordine ad operantem secundum genericam rationem operis et servitii in gratiam alterius praestiti, pro eo mercedem accipere licet[1]).

β. Pro missa vel pro aliis functionibus sacris stipendium exigere *iusto maius*, vel contra usum et legem ecclesiae stipendium accipere, simoniam esse complures affirmant, quia excessus pro re spirituali exigi censetur, cum alius titulus plus exigendi desit[2]). Verum exclusa prava intentione accipiendi temporale pro spirituali, non potest affirmari in hoc casu committi simoniam: nam pro sustentatione debita plus exigere, quam licite exigi potest, erit vitium avaritiae et iniustitiae, at exclusa illa prava voluntate non committitur simonia.

γ. Qui *pro officio ex iustitia debito stipendium exigit*, ut si parochus pro contione vel pro administratione sacramentorum aliquid exigat, exclusa mente simoniaca pariter simoniam non committit, sed solum contra iustitiam peccat. Ubi tamen consuetudo viget, ut etiam pro ministerio ex officio debito e. g. pro administratione baptismi aliquid accipiatur, id retineri potest; tria vero caveri debent: α. ne in exigendis illis stipendiis species avaritiae appareat; β. ne plus exigatur, quam lege vel consuetudine determinatum est; γ. ne sacra ministeria non solventibus negentur.

δ. Ubi pro functione sacra stipendium exigi potest, licet etiam functionem sacram peragere *ex intentione percipiendi stipendium;* immo simonia non esset *principaliter propter stipendium* sacra peragere, adeo ut non fierent, nisi stipendium daretur: non enim pro stipendio res sacra venditur, sed in peragendo sacro non honor Dei, sed primario propria utilitas intenditur, id quod simoniacum non est.

199. Num liceat aliquid accipere pro ingressu in religionem. *a.* Statum religiosum rem spiritualem esse patet: ordinatur enim ad salutem animae; ideo non licet monasterio quidquam

[1]) *Laymann* l. 4. tr. 10. c. 8. n. 42.

[2]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 292.

accipere quasi pretium pro ipsa *admissione* ad novitiatum vel ad professionem religiosam: venderetur enim res spiritualis.

b. Monasterio *pauperi* tum virorum tum mulierum licet ab ingredientibus aliquid exigere *pro sustentatione,* quia sic non commutatur spirituale cum temporali; — insuper aequitas postulat, ut aliquid recipiatur, ne monasterium corruat.

c. Monasterio tum opulento tum inopi licet aliquid exigere pro sustentatione *tempore novitiatus*[1]), nisi speciali decreto (ut fratribus minoribus) prohibitum sit, tum quia novitii nondum pertinent ad religionem, tum quia pro lubitu discedere possunt et saepe reipsa discedunt.

d. Si monasterium est *opulentum, monialibus* quidem ecclesia indiscriminatim permittit, ut dos aliqua accipiatur, quia experientia constat monasteria monialium etiam opulenta frequentius infortuniis esse obnoxia. Cavere autem debent, ne inhabiles propter dotem accipiantur, quod esset simoniacum.

e. Monasterio *opulento virorum* pro sustentatione ipsorum religiosorum nihil exigere licet. Num semper sit simonia, et utrum sit simonia iuris divini an ecclesiastici, si monasterium dives occasione professionis pro sustentatione aliquid exigat, controversum est[2]). Simonia iuris divini committi non videtur, si pecunia non pro ingressu, sed ratione sustentationis exigitur.

200. Num liceat aliquid dare ad redimendam iniustam vexationem, ne scilicet quis impediatur in obtinendo spirituali e. g. beneficio vel alio bono spirituali. — Si datur ad removendam ipsam vexationem iniustam, non est simonia: nam remotio vexationis seu liberatio ab iniuria est aliquid temporale et pretio aestimabile; si autem datur ad comparandum vel firmandum sibi aliquod ius ad rem spiritualem, est simonia: nam hac ratione directe paratur via ad obtinendum spirituale, id quod est simoniacum.

a. Dicitur: *iniustam* vexationem: nam pecunia removere vexationem *iustam* e. g. accusationem de crimine, quod ad beneficium ineptum reddit, est simonia: qui enim redimere conatur vexationem iustam, nullum ius habet ad spirituale; ideo removendo vexationem emere censetur ius ad spirituale, quod est simoniacum.

b. Licet ergo dare pecuniam sacerdoti, qui sine ea nollet administrare sacramenta, modo adsit gravis ratio suscipiendi sacramenta e. g. ad implendum praeceptum paschale, quia sine gravi causa non licet permittere alterius peccatum[3]).

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 25. c. 16. De regular.

[2]) Cf. *s. Alphons.* n. 92. *Lehmkuhl* II. n. 958.

[3]) *S. Alphonsus* n. 103.

Nota. Ut in materia beneficiorum dignosci possit, num is, qui iniustam vexationem redimit, simoniam committat, hoc notandum est. Iniusta vexatio aut versatur circa ius iam acquisitum ad spirituale aut circa ius acquirendum; si hoc alterum, iniusta vexatio vel procedit ab eo, qui ius conferre potest, vel ab eo, qui solum obesse, ius autem nullo modo conferre potest. Itaque

a. Pecunia removere vexationem iniustam, quae versatur circa ius iam acquisitum ad spirituale, non est simonia, quia temporale datur pro temporali, scilicet pro ipsa remotione vexationis.

b. Pecunia removere vexationem iniustam, quae versatur circa ius acquirendum, non est simonia, si iniuste vexans solum obesse potest e. g. infamando apud episcopum, quia pecunia solum datur ad removendam iniuriam.

c. Pecunia removere vexationem iniustam, quae versatur circa ius acquirendum, est simonia, si iniuste vexans non solum obesse sed etiam prodesse potest. ut si est elector, patronus, quia removens vexationem in hoc casu directe, licet mediate, sibi parat viam ad consequendum spirituale: dat enim pecuniam, ut eligatur vel praesentetur.

Complures aliae quaestiones aeque ac poenae in simoniacos latae, utpote cum re beneficiaria intime connexae, conferri possunt apud canonistas.

Liber secundus.

De secundo decalogi praecepto.

„Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum."
Ex. 20, 7.

Secundum decalogi praeceptum, quatenus *affirmativum* est, praecipit honorem nomini Dei exhibendum, et quatenus *negativum* est, prohibet omnem irreverentiam sanctissimi Dei nominis. Iam vero divinum nomen honoratur: *a.* reverenti pronuntiatione, inhonoratur *vana assumptione;* honoratur *b.* invocatione et *laude,* inhonoratur *blasphemia;* honoratur *c. voto*, inhonoratur *voti violatione;* honoratur *d. iuramento,* inhonoratur *periurio* atque illicita *adiuratione.*

Quaestio prima.

De vana assumptione nominis Dei.

201. Notio et malitia. 1. Ille dicitur divinum nomen in vanum assumere, qui nomen Dei sine debita reverentia usurpat.

a. Haec vana divini nominis assumptio procedit: α. ex impatientia et indignatione: *Mi Deus, quantopere hi molesti sunt!* vel β. ex admiratione: *Mi Deus, Iesus, Maria, quis hoc dixisset! Mi Deus, quid dicis!* vel γ. ex mera consuetudine.

b. Quod de nomine Dei affirmatur, idem servata proportione etiam de vana et inutili usurpatione *nominum sanctorum vel rerum sacrarum* dicendum est: irreverentia enim sanctis et rebus sacris irrogata in Deum redundat.

2. Vana usurpatio nominis Dei *est peccatum veniale contra virtutem religionis:* haec namque virtus postulat, ut nomen Dei propter specialem relationem, quam nomen ad Deum ipsum habet, solum ex rationabili fine et cum debita reverentia proferatur. Unde s. scriptura monet: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo*[1]). Attamen peccatum veniale non excedit, quia, *cum contumeliam* non contineat, gravem irreverentiam non infert.

Quare sine dubio venialiter delinquunt, qui ad singula paene verba, ad iocos et eiusmodi vana proferre solent sanctissima nomina; attamen propter inadvertentiam saepe nullum peccatum est.

3. *Nomen daemonis* frequenter et inutiliter usurpare, etsi non sit peccatum, est tamen valde indecens, praesertim in clericis et religiosis: nomen enim infensissimi Dei et fidelium inimici ab homine christiano non est usque proferendum.

Quaestio secunda.

De blasphemia.

Articulus primus.

De ipsa blasphemia.

202. Blasphemiae definitio. *Blasphemia* etymologice significat locutionem contumeliosam[2]); ex usu communi autem significat locutionem contumeliosam in Deum.

[1]) Eccli. 23, 10.

[2]) *Blasphemia* considerata vocis origine (βλάπτω = laedo, φήμη = fama) significat laesionem famae, quae si in homines committitur, est contumelia, si in Deum committitur, est blasphemia.

a. Dicitur *locutio,* quia blasphemia ordinarie verbis committitur, quamvis etiam cogitatione vel facto committi possit; *contumeliosa:* blasphemia enim in eo proprie consistit, quod verbo aliquid fit, quo divina maiestas et excellentia inhonoratur; *in Deum* vel immediate vel mediate, eo quod Deus in sanctis vel rebus sacris inhonoratur: verba enim contumeliosa in sanctos vel res sacras eatenus sunt blasphemiae, quatenus redundant in Deum et sic honorem Deo debitum laedunt: sicut enim cultus sanctorum et rerum sacrarum, ita etiam earum inhonoratio in Deum redundat.

b. Sola blasphemia verbis commissa est blasphemia *proprie dicta;* blasphemia solis factis commissa (spuere in coelum, Deo pugnum facere, conculcare crucifixum) improprie blasphemia dicitur; quare haec non censetur reservari, sicubi blasphemia esset casus reservatus. Blasphemia enim proprie est vitium linguae: nam laudi directe opponitur, quae *verbis* exhibetur; sufficit autem *verbum scriptum* ad blasphemiam proprie dictam committendam[1]).

203. Divisio. Blasphemia dividitur: *a. ratione sensus verborum,* in *haereticalem, imprecativam* et *probrosam* (simplicem) prout verba blasphema continent haeresim *(Deus est tyrannus),* aut imprecationem, qua Deo malum exoptatur *(Pereat Deus, maledictus Deus),* aut merum probrum, quo de Deo contumeliose aliquid enuntiatur *(Vah, qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas, salva temetipsum)*[2]).

b. Ratione obiecti seu termini in *immediatam,* quae Deum in se inhonorat, et *mediatam,* quae Deum inhonorat in creaturis, quae specialem relationem ad Deum habent, ut sancti et res sacrae.

c. Ratione intentionis in *directam* (diabolicam), quae fit cum intentione inhonorandi Deum, et in *indirectam,* quae non fit cum intentione inhonorandi Deum, attamen cum advertentia in verbis vel factis contineri Dei contemptum.

d. Ratione modi in *verbalem* et *realem,* prout verbis aut factis committitur.

204. Malitia. 1. Blasphemia est *peccatum ex toto genere suo grave:* quaevis enim blasphemia, etiam ea, quae in sanctos dirigitur, est contumelia Deo irrogata; quaevis

[1]) Cf. *Suarez,* De religione tract. 3. l. 1. c. 4. n. 1 ss.

[2]) Matth. 27, 40.

autem contumelia supremae maiestati irrogata gravis est. Ideo s. scriptura: *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*[1]).

a. Non raro tamen blasphemiae aut nullum aut veniale tantum peccatum sunt, ubi nimirum verba blasphema aut sine ulla aut cum levi tantum advertentia proferuntur, quod ordinarie iis accidit, qui in aestu alicuius passionis e. g. irae blasphemant, nisi ira in ipsum Deum vel sanctos feratur. Defectus autem advertentiae eum non excusat a gravi peccato, qui pravam blasphemandi consuetudinem emendare negligit.

b. Locutiones, quae proferuntur in sanctos, non ut sancti sunt et specialem relationem ad Deum habent, sed ut homines erant hic in terris degentes, ut si sancti Crispinus et Crispinianus vocentur viles sutores, s. Petrus dicatur calvus, s. Carolus Borrom. naso, blasphemiae non sunt: nullum enim est convicium in Deum prolatum, si quis de defectibus naturalibus hominum, etsi Dei amicorum, loquatur. Quodsi hoc ex ioco fiat, veniale, si ex contemptu, grave peccatum est contra duliam.

2. Tres blasphemiae: *haereticalis*, *imprecativa et simplex specie ab invicem differunt*, quia violationi religionis accedit laesio alius quoque virtutis: simplex enim adversatur soli religioni, haereticalis insuper fidei et imprecativa caritati; quare in confessione haec sunt distinguenda.

3. Blasphemiae *in ratione blasphemiae omnes eiusdem speciei sunt:* omnes enim eidem virtuti religionis adversantur, quam non laedunt modo essentialiter diverso. Quare sufficit in confessione dicere: *toties graviter blasphemavi*[2]).

205. Condiciones ad blasphemiam requisitae. Ad peccatum igitur blasphemiae committendum duo requiruntur: ut *verba blasphema* proferantur, et quidem *cum advertentia* ea continere inhonorationem Dei.

a. Qui ergo in ira et indignatione in homines vel iumenta verba vel nomina sancta profert, quae inhonorationem Dei non continent, ut *Himmel, Herrgott, Kruzifix, Sakrament,* proprie non blasphemat, sed vana usurpatione nominis Dei vel rerum sacrarum venialiter peccat,

---

[1]) Lev. 24, 15. 16.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 518. *Lugo,* De poenitentia disp. 16. n. 178 s.

modo indignatio non feratur in Deum. Propter conscientiam erroneam autem graviter peccari potest.

b. Qui ex ira et indignatione in homines vel iumenta profert verba blasphema, quin attendat ad iniuriam et inhonorationem Dei, non committit formalem blasphemiam. Plerumque, quae sine advertentia proferuntur blasphemiae, ex consuetudine fiunt. Iam quale peccatum sit blasphemia ex prava consuetudine blasphemandi prolata, alibi dictum est[1]).

c. Qui ergo in ira et indignatione profert verba blasphema sive ad demonstrandam iram, sive ad terrendos filios, sive ad stimulandos equos, non quidem cum animo inhonorandi Deum, sed tamen advertens ad irreverentiam, quae illis verbis continetur, peccatum blasphemiae committit.

206. Quae formulae blasphemae sint. Ad discernendas locutiones blasphemas ab iis, quae blasphemae non sunt, hae regulae attendi debent:

1. Blasphema censentur verba, quae ex propria sua significatione vel ex communi acceptione vel ex modo, quo proferuntur, e. g. ironice vel cum contemptu, Dei inhonorationem continent.

a. Fieri enim potest, ut verba, quae ex se non sunt blasphema, ex communi aestimatione graves blasphemiae sint; ideo probe dispiciendum est, quaenam locutiones in certa regione communiter habeantur ut blasphemae: etenim in singulis fere regionibus habentur certae formulae, quae ab omnibus habentur blasphemae, quarum proinde assumptio ibi Deum inhonorat, quamvis etymologice non sint contumeliosae, id quod auctores ex Gallia et Belgio oriundi affirmant de formula: *sacré nom de Dieu*[2]).

b. Item fieri potest, ut verba, quae ex se blasphema sunt, formales blasphemiae non sint, quia ex communi aestimatione non habentur ut contumeliosa. Sic formula gallica: *Mille nom de Dieu* et germanica; *Tausend Sakrament, Tausend Herr Gott* ex se blasphemiam haereticalem continent; qui tamen his formulis utuntur, haeresim in iis latentem neque intendunt neque cognoscunt. Quare his verbis, quae plerumque ex admiratione proferuntur, ordinarie non committitur nisi venialis irreverentia vanae assumptionis nominis sacri.

2. Locutiones, quae habent sensum incompletum, pari modo verba corrupta et dimidiata non sunt blasphemiae,

---

[1]) Cf. *De principiis*[7] n. 85.

[2]) Cf. *Génicot* I. n. 293.

nisi in aliqua regione ex communi apprehensione habeantur contumeliosa.

3. In dubio de significatione verborum ad intentionem et affectum loquentis attendendum est: in peccatis enim verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat[1]); et manente dubio non sunt habenda ut blasphema.

Dicere: *Deum mei plane est oblitus; quare Deus me creavit? si Deus esset, haec mihi non contingerent* blasphemia est, nisi proferantur, ut saepe fit, solum ad ostendendam doloris gravitatem vel ex mera levitate. — *Deus iniuste me tribulationibus gravat; Deus iniuste malos sinit esse felices in mundo* blasphemia haereticalis est, si serio et advertenter proferuntur. — *Bei Gott, beim Sakrament* non blasphemia, sed potius formula iuramenti et proinde veniale peccatum vanae assumptionis nominis Dei est. — *Herrgott Sakrament* non est blasphemia, quia non habet sensum perfectum nec contemptum continet, sed est irreverentia (venialis) in Deum et sacramenta, nisi dicatur cum indignatione et contemptu adversus Deum. — *Sakramentspfaff, Sakramentsschelm, Sakramentsvieh* blasphema sunt, quippe quae propter adiectum nomen contemptibile contineant contemptum sacramentorum. *Perdat te sanguis Christi* aliis sola imprecatio, aliis vero etiam blasphemia videtur, quia etiam in contemptum Dei cedit.

207. Quot modis committatur blasphemia. Peccatum blasphemiae quinque potissimum modis committi potest:

a. Si Deo aliquid tribuitur, quod ei repugnat, ut *Deus est crudelis;* vel si Deo aliquid negatur, quod ei convenit, ut *Deus non est omniscius.*

b. Si creaturae tribuitur, quod soli Deo convenit, ut si quis diceret: *hoc tam bene facere possum quam Deus:* eo ipso enim perfectio divina ut soli Deo propria negatur, et sic Deo iniuria infertur[2]).

Hoc modo blasphemant, qui per falsos deos iurant: item insani amatores, qui personam amatam deam, omne et unicum bonum suum, beatitudinem suam appellant, si quidem serio et non per quandam exaggerationem ita loquantur.

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 72. a. 2.

[2]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 368.

c. Si de Deo vera quidem dicuntur, sed irreverenter et cum contemptu.

d. Si cum ira contra Deum res divinae vel sacrae (sacramenta, sanguis Christi, crux sancta) nominantur, vel si eaedem addito nomine contemptibili proferuntur.

e. Si verba contumeliosa dicuntur in b. Virginem vel in sanctos, quatenus sancti et Dei amici sunt.

Nomen Dei vel rerum sacrarum in aestu irae contra homines aut creaturas irrationales proferre, blasphemia non est, nisi fiat cum indignatione vel cum vilipensione erga Deum.

Articulus secundus.

De maledictionibus.

208. *Maledicere* proprie est malum alteri imprecari. Maledicta igitur in creaturas prolata blasphemiae sunt, quando maledicta redundant in Deum. Tum autem maledicta in creaturas prolata in Deum redundant, quando illis maledicitur, prout relationem ad Deum habent i. e. prout sunt opus Dei vel prout a Deo immittuntur. Itaque

1. Maledicere *sanctis vel rebus sacris* e. g. sacramentis ecclesiae, vel malevole loqui de aliquo sancto ordinarie est blasphemia, quia in his ordinarie habetur et apprehenditur relatio ad Deum.

2. Maledicere *creaturis ratione carentibus* e. g. ventis, pluviae, grandini, animalibus ordinarie non est blasphemia, quia non apprehenditur eorum relatio ad Deum; ordinarie ergo leve peccatum irae et impatientiae est. Et si adest finis honestus maledicendi creaturis, nullum est peccatum, ut David maledixit montibus Gelboë, Iob et Ieremias horae nativitatis, psalmista peccatoribus in psalmis imprecatoriis.

Si tamen creaturarum irrationalium e. g. animalium relatio ad homines spectatur, peccatum contra caritatem committitur, quia malum quod illis optatur, reipsa homini, cui illa prosunt, optatur.

3. Maledicere *creaturis rationalibus* ordinarie solum caritati adversatur, quia earum relatio ad Deum ordinarie non apprehenditur. Hoc peccatum saepius veniale est

sive ob parvitatem materiae sive ob defectum seriae voluntatis e. g. in eo, qui in magna ira proximo maledicit.

Hae maledictiones: *Damnet me Deus; auferat te diabolus,* blasphemiae sunt, si proferantur in creaturam, prout a Deo facta est vel Dei similitudinem prae se fert; verum ordinarie is, qui eiusmodi imprecationem profert, ad respectum, quem creatura ad Deum habet, non attendit.

4. Maledicere *diabolo* exclusa ira, impatientia vel alio defectu non est peccatum: non enim ut creatura Dei est, sed prout Dei et hominum hostis infensus et auctor tot tantorumque malorum est, ei solet maledici.

Quaestio tertia.

De voto[1]).

Articulus primus.

De natura voti.

209. Natura voti. 1. *Votum* definitur: promissio Deo facta de bono meliore. Duo ad validum votum requiruntur: voluntas vovendi et materia apta.

a. Promissio est voluntas se obligandi ad aliquid faciendum vel omittendum, quae proinde veram obligationem inducit. Quare votum differt a *proposito* coram Deo concepto, quod est voluntas aliquid faciendi vel omittendi, ideoque nullam obligationem inducit. Hinc omissio propositi per se non est peccatum; propter motivum negligen-

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 88. a. 1—12. *S. Alphonsus* l. 3. n. 194—262. *Suarez,* De religione tr. 6. l. 1—6. *Thom. Sanchez,* In praecepta decalogi l. 4. c. 1—56. *Lessius,* De iustitia et iure l. 2. c. 40. *Th. Bouquillon,* De virtute religionis (Brugis. Beyaert. 1880) pars II. *I. Wirthmüller,* Die mor. Tugend der Religion (Freiburg, Herder. 1881) S. 538 ff. *Io. Reuter,* Theologia moral. pr. II. tr. 4. *C. Kirchberg,* De voti natura, obligatione, honestate etc. (Monasterii. Aschendorff. 1897).

tiae autem vel taedii, ob quod omittitur, potest per accidens esse peccatum veniale.

b. De essentia voti est, ut sit promissio facta *ipsi Deo;* si sanctis fit aliquod votum, ordinarie intelligendum est illud fieri Deo in honorem sanctorum. Quod si quis solum sancto vovet nec ullo modo Deo quidquam promittere intendit, non emittit votum proprie dictum, quod natura sua est actus latriae, sed elicit actum duliae aut hyperduliae (n. 136).

c. Fideles haud raro dubitant, utrum propositum conceperint an votum emiserint. Ut eorum dubium solvatur, non sufficit ad verbum attendere, quo usi sunt: nam etiam verbum *promitto* saepe solum propositum exprimit; sed auctore *s. Alphonso* interrogandi sunt, „si tunc, cum votum emiserunt, existimarunt, se graviter peccaturos fuisse an non, si postea non satisfecissent“[1]). Si res dubia manet, resolvendum est eos propositum fecisse, quia de obligatione non constat.

d. Ad valorem voti eius *acceptatio ex parte Dei* requiritur, etenim de natura promissionis est, ut acceptetur ab eo, cui fit promissio. Acceptat autem Deus statim omnes promissiones sibi factas, quae debitis condicionibus non carent: nisi enim Deus promissiones sibi factas acceptaret, s. scriptura non urgeret obligationem implendi, quae Deo promissa sunt[2]).

2. Votum est *actus virtutis religionis* et quidem *latriae:* voto enim homo opus bonum Deo offert ad eum honorandum et colendum; atqui actus, qui ad cultum Deo exhibendum ordinatur, est actus latriae. Et sicut votum est actus virtutis religionis, ita etiam voti impletio ad eandem virtutem pertinet. Opus ergo ex voto praestitum duplicem bonitatem moralem habet.

Valor moralis voti non solum ex eo patet, quod s. scriptura ad impletionem voti hortatur (ll. cc.) et exemplum *s. Pauli* refert, qui votum emiserat[3]), sed etiam ex ipsa rei natura: nam *a.* opera ex voto facta praeter bonitatem, quam ex obiecto habent, induunt valorem oblationis Deo factae et meritum virtutis religionis; *b.* vovens maiorem erga Deum subiectionem perfectioremque oblationem praefert; per votum enim erga Deum se obligat et non solum actu rem promissam, sed per obligationem ipsam voluntatem Deo offert; *c.* tendentia voluntatis in bonum per votum magis seria et firma evadit; *d.* quodsi difficultatibus implexa est voti exsecutio, non solum volubilis voluntas

---

[1]) Praxis confess. c. 2. n. 25.

[2]) Cf. Eccl. 5, 3. 4. Num. 30, 3 ss. Deut. 23, 21.

[3]) Cf. Act. 18, 18; 21, 23 ss.

firmatur, sed insuper voventi se offert occasio ostendendi fidelitatem atque amorem erga Deum[1]).

210. Divisio voti. Votum multipliciter dividitur:

1. In votum *privatum,* quod a solo vovente sine interventu ecclesiae emittitur, et votum *publicum*, quod auctoritate et interventu ecclesiae emittitur[2]).

2. Votum publicum aut est *sollemne* aut *simplex,* prout ecclesia illud auctoritate sua qua tale acceptat et confirmat, aut non tamquam sollemne, sed solum ut simplex acceptat; coram Deo autem utrumque votum essentialiter eadem ratione obligat.

a. Vota sollemnia sunt: votum castitatis in ordinatione subdiaconatus emissum et vota substantialia, quae in ordinibus religiosis emittuntur, quibus in nonnullis ordinibus alia vota sollemnia (accidentalia) adduntur; reliqua vota omnia semper sunt simplicia.

b. Celebris est controversia, quid illud sit, quo votum sollemne constituatur et a simplici differat. Certum est voti sollemnitatem ab ecclesia constitutam esse; voto ergo sollemnitatem non ex natura sua sed ex iure ecclesiastico inesse. Insuper certum videtur, in ipso voto sollemni ex voluntate ecclesiae aliquid inesse, quod in voto simplici non reperitur. Utrumque votum, sollemne et simplex, essentialiter consistit in traditione voventis Deo et ecclesiae facta et in acceptatione ex parte ecclesiae. Iam vero nota specifica voto sollemni ab ecclesia addita consistit in tali traditione et acceptatione, quae ex utraque parte per se est perpetua et irrevocabilis et quae voventem inhabilem reddit ad certos actus votis contrarios (ad matrimonium, ad possessionem, ad contrahendum), nisi ecclesia dispenset. Nec tamen haec nota voto est externa, cum ipse vovens ex voluntate ecclesiae consentiat, ut ex voto suo sequantur tum dictae inhabilitates tum vinculum inter ipsum et ecclesiam seu ordinem religiosum via ordinaria indissolubile[3]).

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 88. a. 6.

[2]) Votum *publicum* quandoque ita definitur, ut sit votum *manifestum* et opponatur non privato sed occulto. Ex quo patet votum *simplex,* quod sollemni opponitur, pro diversa publici definitione posse esse publicum et non publicum. Sic vota simplicia, quae in ordinibus regularibus ante professionem emittuntur, sunt publica (non privata), quia ab ecclesia acceptantur, non sunt publica, quia non sunt manifesta.

[3]) Cf. *Sanchez,* In praecepta decal l. 5. c. 1. *Ballerini-Palmieri* II. n. 603. *Lehmkuhl* I[11] n. 647.

3. In votum *personale,* si promittitur aliqua ipsius voventis actio vel actionis omissio ut votum peregrinandi vel ieiunandi, et *reale,* si directe promittitur aliqua res voventi externa, actio autem eatenus tantum, quatenus ad rem praestandam requiritur ut votum dandi eleemosynam, *mixtum,* si promittitur utrumque simul ut votum peregrinandi et offerendi cereum.

4. In votum *determinatum,* si res promissa accurate designatur: *voveo abstinentiam,* et *disiunctivum,* si ex pluribus rebus propositis una praestanda promittitur, quae ad libitum determinari potest: *voveo ieiunium aut eleemosynam.*

5. In votum *reservatum* et *non reservatum,* prout potestas dispensandi vel commutandi soli summo pontifici aut etiam aliis superioribus competit.

6. In votum *temporale* et *perpetuum,* prout solum ad certum tempus vel per totam vitam servandum promittitur.

7. In votum *expressum,* si promissio interna verbis vel aliis signis exterius declaratur, ut communiter fit, et *tacitum,* si promissio interna ipsa exterius non exprimitur sed tamen scienter ponitur actio, cui annexum est votum; sic votum castitatis in susceptione subdiaconatus emittitur.

A voto tacito distinguendum est *votum implicitum;* sic qui vovet religionem, implicite vovet castitatem. Votum implicitum eo a tacito differt, quod votum implicitum in eo, quod explicite promittitur, continetur, votum tacitum in actione, cui annexum est non continetur, sed actio externa ostendit votum interius factum esse.

8. In votum *singulare,* quod a persona physica, et votum *commune,* quod a persona morali seu a communitate emittitur.

Haec divisio a subiecto votum emittente desumitur, quod in voto communi est communitas, qua talis, non singulae communitatis personae.

9. In votum *absolutum* et *condicionatum,* prout simpliciter vel sub condicione aliquid promittitur. Condicionatum dividitur in *poenale,* si sub condicione culpae poena infligenda promittitur: *si iterum blasphemavero, genuflexus*

rosarium recitabo; et *non poenale,* si quid mere sub condicione promittitur: *si sanitatem recuperavero, piam peregrinationem instituam.*

Articulus secundus.

De condicionibus ad votum requisitis.

Ad valide vovendum aliae condiciones requiruntur *ex parte voventis,* aliae *ex parte materiae.*

211. Ex parte voventis ad voti *essentiam* et valorem requiritur intentio, deliberatio et libertas perfecta.

Declaratis hisce condicionibus patebit quemlibet vovere posse, qui ratione pollet nec iure positivo prohibetur. Ideo vota expleto septennio emissa per se valida censentur. Vota religiosa valide emitti non possunt ante sextum decimum aetatis annum, quia iure positivo antea invalida declarantur.

1. *Intentio* seu voluntas promittendi et se obligandi requiritur, quia utraque voluntas ad veram promissionem pertinet.

a. Votum *fictum* seu emissum sine voluntate promittendi aut se obligandi nullum est; votum autem cum animo se obligandi, sed non implendi validum est, sed graviter vel leviter illicitum pro ratione materiae.

b. Voluntas vovendi seu promittendi ratione quidem distinguenda est a voluntate se obligandi: obligatio enim est promissionis effectus essentialis et necessarius; attamen ob hanc ipsam rationem impossibile est, ut aliquis velit promittere, nec velit se obligare.

212. 2. *Perfecta deliberatio,* ea scilicet rei et obligationis consideratio, quae ad actum vere et perfecte humanum requiritur: nemo enim sine sufficienti deliberatione se obligare censetur. Et haec quidem deliberatio ad omne votum requiritur, sive eius materia gravis sive levis est: in omni enim voto suscipitur obligatio; ad obligationem autem voluntarie suscipiendam requiritur actus mentis et voluntatis perfecte humanus.

a. Ideo ne sub levi quidem valet votum pueri rationis nondum perfecte compotis, neque hominis semidormientis vel semiebrii. Nec

valet votum factum cum omnimoda ignorantia vel cum semiplena tantum cognitione obligationis, quam inducit; nec votum emissum cum confusa seu generali tantum cognitione alicuius oneris, quod assumitur; attamen ut valeat votum, non requiritur rei promissae consideratio quoad omnes eius circumstantias, sed sufficit eius cognitio quoad substantiam.

b. Ut valeat votum, non requiritur diuturna et *matura deliberatio.* Ex defectu maturae deliberationis non raro fit, ut imprudenter votum emittatur; eiusmodi inconsideratio in emittendo voto causam praebet dispensationis vel commutationis, at illud non efficit invalidum.

c. Si dubium est, an votum emissum sit cum plena deliberatione, votum non obligat, cum obligatio dubia nulla sit. Ubi vero de facto voti emissi constat, non facile admittendus est plenae deliberationis defectus.

213. De voto ex errore emisso. *a.* Non valet, si error est *substantialis* i. e. aut de substantia rei promissae aut de circumstantia substantiali, quae si cognita esset, votum impediret: nam eiusmodi error tollit voluntatem vovendi, cum nulla sit voluntas, ubi nulla est cognitio. Valet autem, si error est *accidentalis* i. e. de circumstantia accidentali, quae si cognita esset, votum tamen non impediret: nam eiusmodi error non tollit voluntatem vovendi.

Ideo invalidum est votum, quo quis promittit offerre calicem, quem putat esse ex cupro, cum sit aureus, quo quis promittit peregrinationem ad sanctuarium, quod putabat distare duabus horis, sed distat octo. Valet autem votum, quo quis promittit peregrinationem ad locum, quem putabat distare tribus horis, sed distat quatuor.

b. Non valet, si error est de *causa* finali seu *motiva,* quia deficiente causa finali deest consensus; valet autem, si error est solum de *causa impulsiva,* qua scilicet non existente votum nihilominus fieret, quia adest plenus consensus.

Si quis promisit peregrinationem propter sanitatem patri restitutam, quem postea cognoscit nunquam fuisse infirmum, ad nihil tenetur. — Si quis promisit ire ad sanctuarium primario ad colendam b. Virginem, secundario ad amicum ibi invisendum, tenetur ire, etsi tempore, quo id promisit, amicus illum locum iam reliquisset.

c. Vota autem *religiosa* semper valent, nisi error versetur circa substantiam votorum: in emittendis enim votis religiosis quilibet eam intentionem habere debet, quam

postulat status religiosus; atqui hic postulat, ut vovens velit suum votum valere, etsi aliquam circumstantiam ignoret: alias enim status religiosus non haberet eam firmitatem, quam natura sua habere debet.

214. 3. *Perfecta libertas* seu liber voluntatis consensus, quo vovens erga Deum se obligatum velit ad aliquid faciendum vel omittendum.

De voto ex metu emisso. Votum ex metu emissum, qui usum rationis perturbat, ideoque necessariam deliberationem impedit, non valet; supposita autem necessaria deliberatione, quam metus etiam gravis ordinarie non impedit[1]), haec statuenda sunt:

a. Valet votum emissum α. ex gravi metu, qui a causa interna vel ab externa necessaria ortus est, ideo valet votum emissum in periculo vitae sive ex infirmitate sive ex naufragio, quia votum libere eligitur ad imminens periculum effugiendum; β. ex gravi metu, qui a causa externa libera et iusta ortus est, ut si reus delicti subiiciendus sit poenae, nisi determinatum votum emittat; γ. ex gravi metu, qui a causa externa libera et iniusta incussus est, sed non ad extorquendum votum; ideo tenetur voto, qui in metu mortis, quam latrones minantur, vovet peregrinationem, si evaserit.

b. Non valet votum emissum ex gravi metu, qui a causa libera et iniusta incussus est ad extorquendum votum, non solum ex iure ecclesiastico, quod vota (saltem sollemnia) in hoc casu irrita declarat[2]), sed etiam ex iure naturae, non quidem ob defectum consensus, sed quia Deus eiusmodi votum coactum non acceptat: Deus enim acceptare non potest promissionem, quae per vim iniustam extorquetur, ne videatur approbare iniuriam voventi illatam[3]).

Sunt, qui hoc idem probabiliter etiam *ad metum levem* extendant; et sane ratio in utroque casu eadem est, modo constet metum veram

---

[1]) Pari ratione votum in aestu passionis vel devotionis emissum ordinarie validum est, etsi voventem postea sui voti poeniteat, quia eiusmodi affectus raro impedit necessariam deliberationem et libertatem. In his tamen adiunctis adest ratio sufficiens recurrendi ad dispensationem.

[2]) C. Perlatum 1. *De his, quae vi metusve causa fiunt* (I. 40). *Concilium trid.* sess. 25. c. 19. De reg. et mon.

[3]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 609.

eamque solam causam vovendi fuisse. Ideo non valet votum ingrediendi religionem a puella emissum, eo quod parentes importunis monitionibus ad tale votum eam induxerint.

215. Ex parte materiae ad *valorem* voti *requiritur*, ut ea sit possibilis, honesta et de bono meliori.

1. *Voventi possibilis* non solum physice, sed etiam moraliter: ad impossibile enim nemo se obligare potest. Illud autem censetur moraliter impossibile, quod sine magna difficultate perfici nequit.

Ideo *a.* non valet votum vitandi omnia peccata venialia etiam semideliberata, cum hoc sine speciali Dei privilegio sit impossibile; *b.* valet votum vitandi omnia venialia deliberata sive in genere sive in determinata specie, si fiat a persona, quae serio perfectioni studet; in aliis autem propter moralem impossibilitatem hoc votum nullum est, nisi sit votum vitandi venialia deliberata certae speciei; *c.* valet votum vitandi omnia peccata mortalia, quia hoc cum ordinario Dei auxilio omnibus possibile est: non expedit tamen, ut fiat a persona fragili.

Num valeat votum de re partim possibili partim impossibili, ab intentione voventis dependet. Si utramque partem ad modum unius promittere intendit, ad nihil tenetur, ubi totum implere non potest; quod si non ad modum unius vovere intendit, vel si de intentione voventis non constat et res ex intentione praesumpta resolvenda est, haec statui possunt:

a. Si materia est indivisibilis vel si in parte possibili ratio voti non salvatur, ad nihil tenetur. Sic qui promisit peregrinationem romanam et totam viam complere nequit, ad nihil tenetur.

b. Quodsi materia est divisibilis, valet pro ea parte, quae possibilis est, nisi sit accessoria; hinc qui vovit ieiunium et non potest abstinere a carnibus, tenetur ad ieiunium quoad unicam refectionem.

Aliud exemplum habes in voto peregrinationis nudis pedibus instituendae vel peregrinationis cum susceptione sacramentorum. Qui in priore voto praestare non potest accessorium, tenetur ad principale, ad ipsam nempe peregrinationem. In altero voto is, qui non potest peregrinationem facere nec sacramenta suscipere tenetur; quodsi susceptio sacramentorum esset principale, teneretur domi sacramenta suscipere.

216. 2. *Honesta:* Deus enim non colitur nisi actione, quae ipsi sit grata et accepta; eiusmodi autem non est, nisi quod moraliter bonum est.

a. Votum de *re vana* vel inutili e. g. non exeundi e domo dextero primum pede invalidum est. Pariter votum *de re indifferenti* e. g. non transeundi per determinatam plateam invalidum est, quia nihil confert ad cultum divinum. Quodsi res indifferens ex circumstantiis vel ex fine moraliter bona evadit, materia voti esse potest.

b. Vovere *rem vanam* vel indifferentem peccatum veniale est. Vovere *rem leviter* malam iuxta alios veniale, iuxta alios mortale peccatum est. Vovere *rem graviter peccaminosam* iuxta omnes grave peccatum est, quia Deo gravis iniuria infertur.

Argumentum eorum, qui votum de re leviter mala grave peccatum dicunt, videtur esse convincens: nam eiusmodi votum supponit Deo placere ab eoque acceptari rem malam; atqui his continetur in Deum irreverentia, quae non admittit parvitatem materiae, quia id directe et immediate repugnat summae eius sanctitati.

Num valeat votum de re bona, sed ex fine voventis mala.

a. Non valet, si finis malus est *causa motiva et totalis voti,* quod dupliciter accidit: quando votum emittitur ad impetrandam a Deo rem illicitam et quando emittitur in gratiarum actionem pro re illicita, ut si quis vovet eleemosynam ad obtinendum faustum exitum causae iniustae, vel si quis facit votum, eo quod inimicum feliciter occiderit; nam finis iste totum votum inficit illudque malum reddit atque blasphemum.

b. Valet votum, si finis malus est *causa impulsiva et partialis voti,* ut si quis vovet coram aliis magnam eleemosynam in Dei quidem honorem, sed etiam ut propterea ab hominibus laudetur. Eiusmodi votum validum est, quia malus finis votum in se bonum accidentaliter tantum comitatur[1]).

c. Pari modo valet votum factum *sub condicione mala,* quae non ponitur ut finis voti; atque id quidem non solum si condicio in se res bona est, quae supponit actionem malam, ut si quis vovet opus pium, si ex duello incolumis evaserit (vitam servare bonum est, quod per votum impetrare intendit), sed etiam, si condicio res mala est, ut si quis vovet opus pium, si reipsa inimicum occidat: nam posita condicione honestum est votum implere[2]).

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 621.

[2]) *S. Alphonsus* n. 206.

217. 3. *De bono meliori* i. e. talis, quae non impediat maius bonum; ergo materia voti non solum in se bona, sed etiam melior esse debet, non quam aliud quodcunque bonum, sed quam eius oppositum: si enim res promissa est minus bonum, vovens se obligat ad omittendum maius bonum, ut faciat minus; sed hoc non potest esse gratum Deo, qui desiderat, ut homo semper faciat id, quod melius est[1]). At non requiritur, ut res promissa absolute sit bonum melius, sed sufficit, ut *relative* ad personam voventis sit melior quam eius oppositum.

a. Hinc *votum nubendi* per se non valet, etiamsi votum sit ducendi piam et pauperem vel periculo incontinentiae expositam, quia pro vovente coelibatus maius bonum est; si tamen matrimonium alicui necessarium est sive ad tollendum scandalum sive propter periculum incontinentiae, pro ipso esset bonum melius et apta materia voti. Item si quis iam proposuit uxorem ducere, valet votum ducendi pauperem ad sublevandam eius egestatem.

b. Votum *non vovendi* absolute emissum invalidum est, quia melius est vovere quam non vovere; sed votum non vovendi nisi cum licentia confessarii validum est, quia melius est sine periculo imprudentiae quam cum periculo imprudentiae vovere. Si quis tamen postea inconsulto confessario voveret, actus quidem vovendi peccatum, ipsum autem votum validum esset, nisi etiam hoc statuisset, ut futurum votum invalidum sit[2]).

Num actio praecepta possit esse materia voti. — Nihil impedit, quominus res praecepta possit esse materia voti: etenim ex parte materiae ad verum votum aliud non requiritur, nisi ut sit res bona, melius bonum non impediens; atqui res praecepta bona et eius opposito scilicet eius omissione melior est, vovens autem obligationi ex praecepto ortae alteram ex religione addere potest.

Articulus tertius.

De obligatione voti.

218. De ipsa obligatione. 1. Omne votum voventem *obligat* ad illud implendum, et quidem *ex religione.*

[1]) *Suarez* l. 2. c. 7. n. 2.

[2]) *Laymann* l. 4. tr. 4. c. 2. n. 5.

a. Obligationem voti saepius inculcat s. scriptura: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus*[1]). *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio, . . . multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*[2]).

b. Ex promissione natura sua oritur obligatio rem promissam praestandi. Virtus, qua quis obligatur ad servanda promissa, *fidelitas* est; fidelitas autem Deo debita ad virtutem *religionis* pertinet.

α. Cum in omnibus votis non impletis laedatur reverentia et fidelitas Deo debita, haec autem in qualibet materia eiusdem rationis sit, laesiones votorum omnes sunt eiusdem speciei moralis. Quare necesse non est, ut in confessione materia voti violati declaretur.

β. Qui ergo votum laedit, quo promittitur res aliunde iam praecepta, duo peccata committit, alterum contra religionem, alterum contra praeceptum, ad quod materia voti pertinet; qui vero votum laedit, quo promittitur res supererogatoria, unum peccatum committit, idque contra religionem.

219. 2. *Obligatio voti gravis vel levis* est pro ratione materiae et intentione voventis. Cum enim votum sit veluti quaedam lex privata, quam vovens sibi imponit, obligationis mensura ab intentione voventis dependet. Hinc materiam gravem sub gravi vel sub levi, materiam autem levem solum sub levi vovere potest, cum materia levis non sit capax gravis obligationis. Si vovens gravitatem obligationis expresse non determinat, pro ratione materiae sub gravi vel sub levi se obligare censetur.

a. Ergo ut votum sub gravi obliget, duo requiruntur; α. ut materia sit gravis; β. ut vovens intentionem habeat sub gravi se obligandi.

b. Pro gravi habetur illa materia, quae, si lege ecclesiastica iniungitur, sub gravi obligat ut missa, ieiunium, communio, vel res quaevis, quae notabiliter ad finem voti, qui est cultus Dei, confert.

c. Vota in religione emissa, quippe quae non a solo vovente, sed etiam a voluntate ecclesiae dependeant, non possunt pro arbitrio voventis sub levi tantum emitti; et pariter in voto castitatis sacris ordinibus adnexo ecclesia exigit intentionem graviter se obligandi.

---

[1]) Deut. 23, 21.

[2]) Eccl. 5, 3. 4.

Num plures materiae leves eodem voto promissae coalescant in materiam gravem. — Id dependet a voventis intentione vel explicite facta vel ex communi aestimatione praesumpta. Si itaque plures materiae leves ex intentione voventis promittuntur ut *res singulares*, non coalescunt; si autem promittuntur ut *aliquod unum*, quod maioris facilitatis causa in plures partes dividitur, coalescunt. Quodsi vovens determinatam intentionem non concepit, res ex praesumpta intentione seu ex communi aestimatione diiudicanda est. Porro in votis personalibus diversae materiae generatim potius ut res singulares, in votis realibus autem generatim per modum unius voveri censentur, ideo illorum obligatio plerumque affixa est diei, horum vero obligatio post omissionem plerumque suppleri debet, nisi ex modo vovendi alia intentio supponenda sit.

Hinc si quis vovit dare quotidie parvam eleemosynam, materia coalescit, et si longiore tempore eam omittit, graviter peccat vel supplere tenetur, si quis autem vovet quotidie recitare unum *Pater*, singulae omissiones non coalescunt, ideoque ne diuturni quidem temporis omissio grave peccatum est. — Sed si quis vovet singulis annis per totum mensem maii devotioni maiali assistere, assistentiam totius mensis per modum unius, cuius singulae omissiones coalescunt, vovet; econtra si quis vovit singulis sabbatis dare parvam eleemosynam in honorem b. Virginis, omissiones non coalescunt, et si longo tempore eam omittit, non peccat graviter, quia votum est affixum diei.

Nota. Ad diiudicandam materiae parvitatem in votis, quorum materia per modum unius promittitur, materia omissa non absolute, sed relative ad totam rem promissam considerari debet, adeo ut solum tertia vel quarta totius pars censeri debeat res notabilis, quae sine gravi culpa omitti nequeat. Sic qui per integrum mensem maii devotioni maiali assistere promisit, non eo graviter peccat, quod una alterave vice devotionem omittit, quamvis singulae devotiones absolute consideratae (si per semihoram durant) gravem materiam constituant, sed eo quod octo vel decem assistentias omittit.

220. 3. Votum *obligat solum voventem:* nemo enim suo voto alium obligare potest, quia nemo rem vel actionem alterius promittere potest, ne maxime quidem coniuncti ut filii vel subditi.

a. Filii non tenentur implere vota parentum, quibus eos *religioni consecrarunt*, nisi ipsi postea consenserint; parentes autem vi voti tenentur, quantum in ipsis est, curare, ut filii salva ipsorum libertate adimpleant, quod pro ipsis promiserant[1]). Quodsi parentes vovent rem, quam filiis iniungere possunt, ipsi vi voti ad eam praecipiendam, filii vero ex oboedientia ad eam implendam tenentur.

b. Subditi vota a superioribus communitatis emissa implere tenentur, non quidem vi voti, nisi ipsi consenserint, sed vi praecepti ex motivo religionis impositi: qui ergo illud non servaret, peccatum contra religionem committeret.

Num posteros obliget votum a communitate factum. — Omnes concedunt posteros non teneri servare vota maiorum vi voti, cum nemo voto alieno ligari possit; sed pariter omnes concedunt posteros teneri servare vota a maioribus facta e. g. ieiunandi aut religiose feriandi certo die, instituendi processionem etc.; valde autem laborant in explicanda origine et qualitate huius obligationis. Dicendum videtur:

α. Si votum implendum est per actum socialem, ut quando agitur de instituenda processione, illi, qui communitatem repraesentant, implere tenentur obligationem ab antecessoribus ex virtute religionis susceptam, eo quod processionem instituendam curant.

β. Si votum implendum est per actum singulorum, ut quando agitur de ieiunio, de religiosa feriatione, singuli ex religiosa oboedientia tenentur implere opus a maioribus promissum. Eo ipso enim, quod superiores eiusmodi votum emittunt cum voluntate, ut etiam posteri ad eius observationem teneantur, posteris iniungunt praeceptum observandi votum, dummodo facultatem habeant praecipiendi materiam voti. Iam si non agitur de celebrandis festis, aliam rem e. g. ieiunium, piam peregrinationem non solum episcopus sed etiam magistratus imponendi potestatem habet. Et sane potest magistratus ratione boni communis etiam eiusmodi opus Deo promittere et communitati, cui praeest, iniungere[2]). Quia vero opus ex motivo religionis iniunctum est, ex eodem motivo cummunitas oboedire tenetur[3]).

γ. Ex declaratione s. sedis constat *votum servandi aliquod festum* solos voventes obligare, non item posteros, ne tum quidem, si con-

---

[1]) Pueri (puellae), qui in tenera iam aetate a parentibus Deo prius consecrati monasteriis ad educationem tradebantur atque *oblati* vocabantur, initio quidem ad vitam monasticam ex voto parentum amplectendam obligati erant; postea vero (inde a saeculo 13) aetatem pubertatis ingressi statum monasticum eligere vel ab eo sponte recedere poterant. Cf. Kirchenlexikon[2] s. v. *Oblati.*

[2]) Cf. *Suarez* l. 3. c. 12. n. 9.

[3]) Cf. *Suarez* l. 4. c. 9. n. 5 ss. *Ballerini-Palmieri* II. n. 634. *Berardi,* Praxis confessariorum[3] (Faventiae. Novelli. 1898) I. n. 600.

sensus et praeceptum episcopi accedat[1]). Ut posteri ad hoc votum servandum teneantur, requiritur consensus summi pontificis. Cum huius declarationis ratio sit potestas per *Urbanum VIII.* omnibus adempta instituendi nova festa[2]), haec declaratio non est extendenda ad alia vota a communitate facta, ad quae observanda etiam non voventes vi praecepti obligari possunt.

δ. Obligatio servandi votum a maioribus emissum non solum per praeceptum superiorum sed etiam *per consuetudinem* oriri potest. Attamen ut eiusmodi consuetudo vim legis obtineat requiritur, ut per actus voluntarios seu liberos incipiat, qui per tantum tempus observentur, quantum ad inducendam consuetudinem necessarium est. Populus ergo sciens se ad hos actus non teneri, eos observare debet, ut consuetudo obligatoria oriri possit: si enim erronee putaret, se ad hos actus vi legis teneri et ideo eos observaret, non induceretur consuetudo obligatoria.

221. De obligatione voti condicionati, disiunctivi et dubii.

Votum *condicionatum* non obligat nisi impleta condicione: condicio enim apposita obligationem tamdiu suspendit, donec impleta sit. Quocirca ubi condicio non impletur, nulla oritur obligatio servandi votum.

a. Aliquam tamen obligationem etiam votum condicionatum parit: est namque verum votum, cuius obligatio his continetur: α. servandi voluntatem verificata condicione promissionem implendi seu non revocandi consensum; β. condicionem fraudulenter non impediendi.

b. Qui condicionem impedit, sed non fraudulenter seu culpabiliter non peccat nec tenetur postea votum implere. Qui vero culpabiliter e. g. vi vel dolo ac fraude condicionem impedivit, contra votum peccat, at voto ne hic quidem obligatur, quia obligatio servandi votum ab impleta condicione dependet.

c. Si condicio apposita non formaliter, sed solum *aequivalenter impletur*, iuxta probabilem sententiam votum non obligat. Qui e. g religionem vovit, si soror nupserit, non tenetur ingredi, si mortua fuerit, etsi ratio condicionis fuisset sustentatio sororis.

222. De obligatione *voti disiunctivi* e. g. *si convaluero, singulis sabbatis aut ieiunabo aut eleemosynam dabo.*

---

[1]) S. C. R. 18. apr. 1643 (n. 834); 19. nov. 1650 (n. 932); 23. iun. 1703 (n. 2113).

[2]) Constitutio *Universa* 13. sept. 1642.

a. Si quis disiunctive vovet aut rem bonam aut rem malam vel vanam vel impossibilem, votum nullum est, quia non potest aeque obligari ad rem bonam et rem malam, ut si quis vovet: aut furabor, ut dives fiam, aut religionem ingrediar.

b. Si quis disiunctive vovet res bonas, votum est validum atque ita intelligendum, ut optio spectet ad voventem; pars vero semel electa praestanda est, etsi post electionem altera pars impossibilis evadat.

c. Si una pars impossibilis evadat ante electionem, vovens probabiliter non tenetur ad alteram partem, nisi ipsius culpa facta sit impossibilis: in hoc enim casu censetur eligere voluisse alteram partem, quae adhuc possibilis est.

d. Si ipsa pars electa post electionem impossibilis evadat sine culpa voventis, hic ad nihil aliud tenetur.

223. *De votis dubiis.* *a.* Qui positive dubitat, utrum verum votum an solum propositum fecerit, ad nihil tenetur.

In priore quaestione consentit *s. Alphonsus* (n. 201); in posteriore vero docet (n. 224) votum denuo impleri debere.

b. Qui positive dubitat, num votum emissum impleverit, ex principiis probabilismi pariter ad nihil tenetur.

224. Quis votum implere debeat. 1. Votum *personale* ab ipso vovente impleri debet, nec potest per alium valide impleri: voto enim personali vovens propriam suam actionem promisit; si igitur ipse vovens illud implere nequit, ad nihil tenetur.

2. Votum *reale* ex propriis impleri debet: siquidem rem suam vovens promisit; qui ergo ex propriis illud implere nequit, non tenetur curare, ut alius illud solvat, sed obligatio cessat. Semper tamen per alium impleri potest: hoc enim voto non propria voventis actio, sed aliqua eius res promittitur, quam si alius sive rogatus sive sponte pro vovente solvit, accedente eiusdem consensu fit propria ipsius voventis.

a. Qui voti immemor praestat opus promissum, voto satisfacit: quilibet enim praesumitur habere intentionem imprimis satisfaciendi suis obligationibus, quam opus supererogatorium ex sola devotione praestandi. At non satisfacit, si opus praestiterit expressa intentione non satisfaciendi voto: nam ab eius intentione dependet, num obligatio maneat.

b. Ergo vota personalia defuncti heredes implere non tenentur; vota autem realia solvere tenentur, non quidem vi voti ex religione, sed vi hereditatis ex iustitia erga defunctum: hereditas enim cum suis oneribus ad heredes transit; sed votum reale ipsam rem afficit, quae proinde cum obligatione, qua affecta est, ad heredes transit. Haec vota heredes solvere debent ante legata etiam pia, sed post debita iustitiae, non tamen ultra vires hereditatis i. e. si absque praeiudicio partis legitimae fieri potest.

225. Quando votum implendum sit. *a.* Si voto implendo *nullum tempus* praefixum fuit, impleri debet, cum primum commode fieri potest: votum enim est ad instar debiti, quod quamprimum solvendum est. Si autem vovens *certum tempus* determinavit, impleri debet tempore praefixo. Quodsi praevidetur impedimentum, non est obligatio praeveniendi.

b. Votum, quod tempore praefixo impletum non fuit, cessat, si tempus appositum est *ad finiendam obligationem* ut in voto ieiunandi sabbato in honorem b. Virginis. Si autem tempus apponitur *ad urgendam obligationem,* votum non cessat, sed elapso tempore quamprimum impleri debet.

Utrum tempus ad urgendam an ad finiendam obligationem additum sit, ab intentione voventis dependet. Quodsi de hac intentione non constat, in votis personalibus generatim tempus additum censetur ad finiendam, in votis autem realibus potius ad urgendam obligationem, nisi ex natura et fine voti aliud statuendum sit, ut si quis in gratiarum actionem voveat certo die ieiunare vel pro certa sollemnitate offerre candelas.

c. Voti *dilatio notabilis* sine iusta causa in re gravi certe grave peccatum est, si res promissa *per dilationem minuitur* e. g. in voto ingrediendi religionem, quia vovens subtrahit notabilem partem obsequii promissi. Quodsi res promissa *per dilationem non minuitur* ut in voto piae peregrinationis, dilatio etiam notabilis et facta sine iusta causa

non videtur excedere veniale peccatum negligentiae, quia res promissa semper integre impleri potest, nec religioni ex dilatione ullum detrimentum oritur. Notabilis tamen dilatio, quae scilicet complures annos excedat, potest esse grave peccatum propter periculum oblivionis aut futurae impotentiae votum implendi.

Censet *s. Alphonsus* (n. 221) dilationem, quae ultra sex menses extendatur, relate ad ingressum in religionem esse notabilem: alii opinantur dilationem duorum vel trium annorum nondum esse notabilem; alii tandem existimant id multum ab aetate voventis pendere, ideoque iuvenem sexdecim annorum graviter non peccare, si tres quatuorve annos ingressum differat.

226. De interpretatione votorum. 1. Votum interpretandum est secundum intentionem voventis aut expressam aut rationabiliter praesumptam: cum enim voti tota obligatio ab intentione voventis dependeat, votum non obligat ultra intentionem voventis.

a. Qui ergo vovit se per mensem quotidie auditurum esse sacrum, non tenetur diebus festis audire duo, nisi hoc expresse intenderit, quia intentionem habuisse censetur nullum diem sine missa transigendi.

b. Qui vovit dare calicem ecclesiae, quam putabat esse pauperem, quam vero postea dignoscit divitem, non tenetur voto, si intentio praecipua fuit subveniendi ecclesiae pauperi, tenetur autem, si eius motivum primarium erat benefaciendi ecclesiae et causa impulsiva tantum illius ecclesiae paupertas.

c. Petrus vovit se daturum per decem annos Paulo decem aureos, ut commodius alat familiam suam; post annum moritur Paulus. Petrus tenetur adhuc, si causa voti motiva fuit commodior alimentatio familiae et causa impulsiva levamen patris; non tenetur, si motivum voti erat levamen patris ab incommodo et anxietate in alenda familia.

2. Ubi de expressa intentione voventis non constat, votum interpretandum est secundum naturam voti aut secundum ecclesiae consuetudinem aut secundum usum communem: sic enim vovens se obligare voluisse censetur.

a. Qui ergo vovit se recitaturum esse rosarium, satisfacit recitando alternatim. — Vovens ieiunium per mensem, non tenetur ieiunare die dominica; vovens ieiunium singulis sabbatis, non tenetur ieiunare, si in sabbatum incidat nativitas Domini (nunc addi potest: aut aliud festum sollemne), nisi aliud expresse intenderit. — Qui vovit ieiunium integrae hebdomadae, non tenetur ieiunare eo die, quo adeo duros labores suscipere debet, ut a ieiunio ecclesiastico excusetur.

b. Si quis immemor prioris voti alterum emisit, quod simul cum primo servari non potest e. g. instituendi piam peregrinationem et eodem tempore serviendi aegrotis, sic distinguendum: α. si secundum manifesto dignius est, tenetur servare secundum; β. si aequale est, illi, qui concedunt posse quemque votum suum mutare in aliud aequale, dicunt ipsum teneri ad servandum secundum; qui vero hanc potestatem negant, dicunt ipsum teneri ad servandum primum; γ. si secundum minus bonum est vel si dubium est, quodnam melius sit, tenetur servare primum[1]).

3. Votum semper interpretandum est in benigniorem partem: quaevis enim obligatio est odiosa; odiosa autem potius restringenda quam extendenda sunt.

Qui sine determinata quantitate aliquid promisit e. g. eleemosynam, satisfacit dando quantum voluerit, modo non sit tam parum, ut potius Deo illudere quam implere votum videatur. — Qui sine determinata qualitate aliquid promittit e. g. calicem ecclesiae, eam pro arbitrio determinare potest, modo ne sit inepta.

4. In omni voto nonnullae condiciones sive iure naturae sive iure ecclesiastico includuntur: *si potero; salvo iure superioris; si res non fuerit notabiliter mutata; nisi alter iure suo cedat* etc. Quae tamen condiciones votum non faciunt condicionatum.

Iuxta hasce regulas interpretanda est obligatio eius, qui ad implendum *votum ingrediendi religionem* in monasterium ingressus, sed ex eo iterum dimissus est. Scilicet si solum ingressum in determinatum monasterium promittere intendit, ad nihil amplius tenetur, etiamsi ipse dimissionis suae causam dederit. Quodsi ingressum in religionem in genere promittere intendit, tenetur mediis ordinariis voti executionem curare; si ergo sine magna difficultate reperit aliud monasterium, a quo recipiatur, illud ingredi tenetur; si ex eo iterum dimittatur, aliud ingredi certe non tenetur.

Articulus quartus.

De cessatione voti.

Obligatio voti quatuor modis desinere potest: *a.* simplici cessatione nulla interveniente auctoritate; *b.* irritatione; *c.* dispensatione et *d.* commutatione interveniente auctoritate humana.

---

[1]) *Laymann.* l. 4. tr. 4. c. 2. n. 4.

§ 1. De simplici cessatione.

227. Per simplicem cessationem desinit obligatio voti:

1. Si cessat illius *finis principalis* seu causa motiva: cessante enim fine cessat ratio obligationis, quia vovens noluit se obligare nisi ad obtinendum finem, qui ipsum ad vovendum determinavit. Ideo qui vovit peregrinationem pro impetranda sanitate filii, non obligatur voto filio defuncto. Sed non cessat votum cessante *fine secundario* seu causa impulsiva, quia votum ab ea non dependet. Sic qui ad colendum sanctum vovit dare eleemosynam Petro, quem putabat pauperem, tenetur eam dare alteri indigenti.

2. Si *materia* physice vel moraliter *impossibilis* redditur, etsi culpa voventis.

Sic qui vovit aedificare sacellum, non tenetur voto, si inopinato in paupertatem incidit; et qui emisso voto eo die sumendi eucharistiam de industria frangit ieiunium, voto amplius non tenetur ex generali principio: transgressio voti non obligat ad compensationem, sed solum ad poenitentiam[1]).

3. Si *materia* evadit *illicita, inutilis,* vel *maius bonum impediens.*

Sic non tenetur voto qui promisit alicui dare eleemosynam, si haec solum serviat ad ebrietatem; nec qui promisit subvenire necessitati, si haec postea cessat; nec qui vovit eo die peregrinationem, si ideo non potest inservire infectis morbo, qui interim grassare incepit.

4. Si *circumstantiae* voventis vel materiae *notabiliter mutantur,* ita scilicet ut, si vovens mutationem praevidisset, votum non fecisset: votum enim non obligat ultra intentionem voventis.

Quoties ergo intentio voventis in determinatis adiunctis supervenientibus praesumi non potest, votum non obligat; obligat autem, si mutatio aliquo modo praevideri potuit; hinc valet votum castitatis, etsi superveniant vehementes tentationes: qui enim castitatem vovet, omnes difficultates contra eam insurgentes superare promittit. Pari modo valet votum ministrandi infirmis, etsi superveniat mortis periculum ex morbo contagioso. Econtra qui post emissum votum peregrinationis romanae incidit in paupertatem, ut expensas viae ferreae solvere non possit, non tenetur pedibus Romam ire.

---

[1]) Cf. *Suarez* l. c. l. 4. c. 15. n. 17 ss.

§ 2. De voti irritatione.

228. Declarationes. 1. Irritatio definitur voti annullatio vel suspensio facta ab eo, qui aut in voluntatem voventis aut in materiam voti potestatem habet. Potestas irritandi exercetur immediate aut in actum vovendi aut in materiam voti.

Qui alterius potestati subiectus est, non potest *firmum* votum emittere. Eius votum *validum* quidem est, attamen hanc tacitam condicionem semper includit: *nisi superior contradicat,* ideo eius votum infirmum seu irritabile dicitur. Quodsi superior votum postea reapse irritaverit, eius obligatio eo ipso cessat.

2. Duplex distinguitur irritatio, directa et indirecta. *Directa* et proprie dicta est annullatio voti facta ab eo, qui potestatem habet in voluntatem voventis; haec irritatio actum ipsum attingit eumque ita solvit, ut nunquam reviviscat. *Indirecta* et improprie dicta est suspensio voti facta ab eo, qui solum in materiam voti potestatem habet; haec irritatio attingit rem promissam, cuius oblatio impeditur; ideo voti obligationem solum suspendit, quae iterum reviviscit, simulac materia promissa irritantis potestati subtrahitur.

Ad voti irritationem non requiritur potestas iurisdictionis, sed *dominativa.* Potestas autem dominativa duplex est, altera in personam voventis, qua voluntas voventis ita alteri subordinatur, ut sine eius consensu non possit ullam firmam obligationem suscipere; altera in res et actiones voventis, qua fit, ut res promissa potestati voventis subtrahi et hac ratione non quidem votum annullari, sed executio voti impediri possit[1]).

3. Ad vota sive directe sive indirecte *valide* irritanda nulla requiritur causa: subditorum enim vota hanc condicionem semper involvunt: *nisi superior contradixerit.* Neque ad *licite* irritanda vota per se causa requiritur: quilibet enim uti potest iure suo; in concreto tamen irritatio, quae sine ulla causa fiat, veniale peccatum erit, utpote actio otiosa et irrationabilis. Quaevis autem causa rationabilis sufficit, ut superior vota licite irritare et subditus irritationem petere possit.

[1]) Cf. *De principiis*[9] n. 105.

229. Quis vota directe irritare possit. Qui *potestatem dominativam* in voluntatem alterius habet, omnia huius vota directe irritare potest.

Non quaevis potestas dominativa ad vota directe irritanda sufficit, sed ea tantum, a qua voluntas subditi etiam in rebus spiritualibus ita dependens est, ut firmiter et absolute se (Deo) obligare non possit.

1. *Praelatus regularis* (ab immediato: priore, guardiano, rectore usque ad supremum) potest omnia vota privata religiosorum post professionem emissa directe irritare; idem valet de superiorissis monialium respectu suarum subditarum: nam per votum oboedientiae religiosus suam voluntatem plene subiicit superiori suo.

a. Potestatem, qua gaudet praelatus regularis, habet etiam *summus pontifex*, non quatenus suprema iurisdictione in ecclesia pollet, sed quatenus est supremus omnium religiosorum ordinum praelatus.

b. Quaerunt, utrum haec potestas sit *iuris naturalis* an *iuris ecclesiastici*, et diverso modo respondent. Dicendum videtur professionem religiosam cum promissione oboedientiae esse iuris ecclesiastici; facta autem subiectione erga superiorem per votum oboedientiae, iure naturae oriri potestatem irritandi vota.

c. Praelatus regularis irritare potest *omnia vota privata* religiosorum post professionem sive sollemnem sive simplicem emissa etiam mere interna, immo etiam de re aliunde praecepta; sed irritari non possunt vota substantialia religionis et quae his in quibusdam ordinibus annexa sunt. Ex votis privatis solum excipitur *votum transeundi ad strictiorem religionem*[1]), quod ne summus pontifex quidem irritare potest. Dispensare autem in hoc voto non solum papa, sed etiam praelatus regularis potest.

d. Sunt, qui negent praelatum regularem irritare posse vota eorum, qui *simplicem tantum professionem* emiserint. Duplicis generis sunt simpliciter professi: alii pertinent ad ordinem, in quo fit professio sollemnis, sed ante professionem praemittitur triennium votorum simplicium; alii pertinent ad institutum, in quo solum vota simplicia (sive perpetua sive temporanea) emittuntur. Qui putant vota eorum, qui non habent nisi professionem simplicem, irritari non posse, huius videntur esse sententiae, inter vota sollemnia et simplicia essentiale esse discrimen internum; verum cum essentialiter eadem sit oblatio Deo et praelato facta tum eius, qui simplicem, tum eius, qui sollemnem professionem emittit, et irritabilitas votorum ab hac oblatione depen-

---

[1]) C. *Licet* 18. *De regularibus* (III. 31).

deat, non est, cur superiori regulari negetur potestas irritandi vota eorum, qui simplicem professionem fecerunt.

e. Etiam *superiorissis monialium* concedenda est potestas irritandi vota suarum subditarum: nam hinc quidem oboedientiam, a qua potestas irritandi dependet, moniales promittunt etiam suis superiorissis, inde vero ad irritationem nulla requiritur iurisdictio[1]).

f. Vota *novitiorum* a praelato regulari solum indirecte irritari possunt, quia potestas directe irritandi fundatur in professione religiosa. Quare illa novitiorum vota irritari nequeunt, quorum executio non impedit exercitia probationis. Vota regularium *ante professionem emissa* per professionem religiosam exstinguuntur vel potius in illam commutantur.

230. 2. *Pater* directe irritare potest omnia vota filiorum ante pubertatem emissa.

a. Haec potestas ex iure naturae derivatur: ratio enim naturalis postulat, ut impuberes propter immaturitatem iudicii et inconstantiam voluntatis aliena voluntate regantur, etsi ad usum rationis iam pervenerint. Iam vero haec potestas lege positiva perficitur quoad determinationem temporis, scilicet usque ad pubertatem, quod solo iure ecclesiastico statutum est[2]).

b. Haec potestas inest *patri* et omnibus quibus de iure competit paterna potestas, scilicet *tutori* et, hoc deficiente, *avo paterno.* Sunt, qui patre vel tutore absente vel non contradicente eandem potestatem etiam *matri* recte tribuant.

c. Irritari possunt *omnia vota* filiorum ante pubertatem emissa; etiam vota alias reservata et in favorem tertii promissa item vota impuberum de rebus post pubertatem demum praestandis; tandem etiam vota post pubertatem confirmata, nisi postea confirmata sint novo voto a priore voto independente. Vota autem filiorum post pubertatem emissa solum indirecte irritari possunt.

231. 3. Num *maritus* directe irritare possit vota uxoris *post matrimonium* emissa, valde controversum est; praeferenda videtur sententia eorum, qui tenent maritum non posse directe irritare vota uxoris sive ante sive post matrimonium facta.

Qui *affirmantem* sententiam tenent, utuntur *a.* argumento positivo ex Num. 30, 2—17, ubi lex de irritatione votorum habetur; et Eph. 5, 24; *b.* argumento interno: valde conducit ad pacem familiae, .

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 674.

[2]) Cf. *Puella* 2. c. 20. q. 2.

ad feminarum impetum retundendum et ad succurrendum tenuitati iudicii ipsarum, si uxorum voluntas plene et in omnibus a viro dependeat[1]).

Qui autem *negantem* sententiam sequuntur, dicunt *a.* haec potestas non oritur ex iure naturae: quae enim adversarii de tenuitate iudicii et de levitate indolis femininis exaggerant, non ostendunt tam perfectam uxoris subiectionem necessariam esse, cum in filia pubere necessaria non sit. *b.* Non oritur ex iure positivo: nam textus citati s. scripturae aliam explicationem habent: textus quidem veteris testamenti de lege speciali iam diu abrogata intelligendi sunt; textus vero novi testamenti de subiectione in omnibus, quae ad rectam domus gubernationem pertinent[2]). *c.* Subiectio uxoris erga maritum oritur ex contractu matrimoniali, quocirca non se extendit ultra iura matrimonii, quibus mulier viro subiecta est in usu matrimonii, in vitae societate, in educatione prolis et in gubernatione familiae.

232. Quis vota indirecte irritare possit. Omnis superior, qui potestatem habet in materiam voti, potest indirecte irritare illa subditorum suorum vota, quae ipsius iura laedunt: iure enim naturae non potest fieri promissio, quae cedat in damnum et praeiudicium alterius. Et vota quidem a superiore etiam tum irritari possunt, si ipse licentiam vovendi dedit aut votum approbavit, modo iure suo cedere expresse non intenderit. Ideo

1. *Maritus* potest irritare illa vota uxoris, etsi ante matrimonium facta, quae laedunt iura sua in corpus uxoris, in cohabitationem, in gubernationem familiae, in administrationem bonorum e. g. votum continentiae sive perpetuae sive temporalis, votum largae eleemosynae etc. non autem vota, quae non vergunt in eius praeiudicium ut votum moderatae orationis.

Uxor potest irritare illa vota mariti, quae laedunt sua iura ut votum continentiae, votum seorsim dormiendi etc.

2. *Dominus* (domina) irritare potest vota tum realia tum personalia famulorum, quae in ipsius praeiudicium vergunt ut votum longioris peregrinationis vel ieiunii, quo famuli fiunt inepti ad debita obsequia dominis praestanda.

---

[1]) *Summa* II. II. q. 88. a. 8. ad 3.

[2]) Cf. *Kirchberg* l. c. n. 123 ss.

3. *Pater* irritare potest illa vota filiorum puberum nondum exemptorum, quae impediunt liberam administrationem familiae vel oboedientiam patri debitam ut votum longinquae peregrinationis.

4. *Praelatus* regularis irritare potest vota novitiorum, quae impediunt exercitia probationis aut iura ordinis laedunt. Idem dicendum est de *superiore collegii*, qui irritare potest vota alumnorum suorum, quae obstant iuri exigendi ab eis oboedientiam[1]).

5. *Summus pontifex* irritare potest vota omnium fidelium et episcopus vota subditorum suorum, quae ipsorum iuribus praeiudicant.

§ 3. De voti dispensatione.

233. Declarationes. Dispensatio est obligationis voti remissio nomine Dei facta. Dispensatio immediate attingit effectum voti seu obligationem.

a. Vi voti homo contraxit obligationem coram Deo, a qua solvi non potest nisi ab eo, qui potestatem ad id a Deo accepit; iam ecclesiam habere potestatem dispensandi in votis deducitur ex generali concessione solvendi omnia vincula: *quaecunque solveritis*[2]*);* ergo etiam vinculum legis divinae seu naturalis, cuius tamen exsistentia a voluntate humana dependet, ut in votis et iuramentis[3]). Ipsa ecclesia hac potestate semper est usa.

b. Dispensatio ab irritatione differt: α. quia ad dispensationem requiritur potestas iurisdictionis, ad irritationem sufficit potestas dominativa; β. quia dispensatio fit nomine Dei, irritatio autem fit nomine proprio irritantis; γ. quia ad validam dispensationem iusta causa requiritur, non item ad irritationem; δ. quia irritatio fieri potest etiam invito vovente, dispensatio autem invito vovente nulla est, quia ipse sibi obligationem imposuit; ε. quia dispensatio immediate attingit effectum voti, irritatio aut actum vovendi aut materiam voti.

234. Requisita ad dispensandum. 1. Ad valide dispensandum in votis requiritur *iusta causa:* dispensans enim non agit nomine proprio, sed nomine Dei, qui non cen-

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 686.

[2]) Matth. 18, 18.

[3]) Cf. *De principiis*[9] n. 181.

setur dedisse potestatem dispensandi sine legitima causa; qui ergo sine causa dispensat, nihil efficit.

a. Qui dubitat, num causa dispensandi *adsit,* dispensare nequit; qui dubitat, num causa dispensandi *sufficiat,* valide et licite dispensat.

b. Si quis *bona fide dispensat* putans adesse causam dispensandi, et postea cognoscit nullam adfuisse, *invalida* est dispensatio; si quis bona fide dispensat putans causam dispensandi sufficere et postea cognoscit eam sufficientem non fuisse, *valida* est dispensatio.

c. Ex usu, quem servat ecclesia, dispensationi aliqua *commutatio* adiungi solet, quod quidem ordinarie faciendum est, quando agitur de relaxando voto cum plena deliberatione emisso, maxime vero quando causa dispensandi non videtur esse sufficiens.

235. 2. Ad valide et licite dispensandum requiritur et sufficit causa *mediocriter gravis*, quae tamen eo gravior esse debet, quo excellentius est votum.

Causae iustae dispensandi ex *s. Alphonso* sunt sequentes:

a. Bonum ecclesiae vel commune reipublicae vel familiae vel profectus voventis.

b. Periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis vel ob communem fragilitatem hominum.

c. Magna difficultas in exsecutione, tum si praevisa tum si non praevisa fuit.

d. Si vovens vexatur magnis scrupulis.

e. Si votum temere emissum fuerit, scilicet cum nimia facilitate vel absque matura deliberatione. Ob hanc rationem in votis impuberum sine alia causa absolute sine commutatione dispensari potest.

f. Si votum emissum fuerit ob metum sive a causa externa sive a causa interna ortum: in hoc casu enim vota immature fieri solent, deoque sine commutatione in eis dispensari potest[1]).

236. *Num votum factum in utilitatem tertii dispensari possit.*

a. Si promissio *gratuita* in favorem tertii etiam determinati facta nondum acceptata fuit, certe dispensari potest: nam promittens solum ratione voti tenetur dare rem promissam; a voto autem dispensari potest.

Ex his patet dispensari posse in votis in levamen defunctorum factis, cum promissio a solo Deo acceptata sit.

b. Si promissio ab altero acceptata fuit, dispensari nion potest: in hoc enim casu vovens non solum erga

[1]) *S. Alphonsus* n. 252 ss.

Deum vi voti, sed etiam vi promissionis erga hominem obligatur, qui acceptando promissionem ius acquisivit in rem promissam; hoc autem ius sine acceptantis consensu remitti nequit.

α. Si tamen votum in hoc casu factum est principaliter in honorem Dei et solum secundario in favorem tertii, probabiliter dispensari potest etiam sine huius consensu, dummodo de promissione *gratuita* agatur: nam cum remissione voti probabiliter cadit etiam ius hominis, cum accessorium sequatur principale. Attamen dispensari non potest, si promissio homini facta est principale et votum secundarium vel si utrumque aeque principaliter se habet.

β. Quodsi promissio non est gratuita, sed *onerosa et mutua*, ut contingit in voto et iuramento perseverantiae, quod in aliquibus congregationibus emittitur, dispensari non potest sine consensu congregationis, etsi votum principaliter in honorem Dei fiat: votum enim sequitur naturam contractus, cui adnexum est; contractus autem sine mutuo consensu solvi non potest.

237. Quis dispensare possit. Potestatem *ordinariam* dispensandi habent soli superiores ecclesiastici, qui iurisdictionem spiritualem in foro externo habent; alii dispensare non possunt nisi potestate *delegata* ab iis, qui ordinariam habent. Potestate igitur ordinaria dispensare potest:

1. *Summus pontifex* in omnibus votis omnium fidelium. Dispensare igitur potest: *a.* non solum in sollemni voto castitatis, quod ordini sacro adnexum est sed *b.* etiam in sollemni professione religiosa; et de facto in utroque casu iam saepius dispensavit.

De praxi ecclesiae dispensandi in votis sollemnibus haec notanda sunt.

a. Quoad *votum sollemne castitatis:* α *subdiaconi et diaconi* interveniente causa boni communis ecclesiae vel regni saepius dispensati sunt ad ineundum matrimonium, ea tamen condicione, ut ab omni exercitio ordinis abstineant; β. nullum autem exstat exemplum dispensationis (publice) concessae *sacerdoti* ad *contrahendum matrimonium* sed complura sunt exempla dispensationis concessae sacerdotibus ad *convalidandum matrimonium* invalide contractum, omni tamen ordinum exercitio sublato. Sic dispensati sunt tum sacerdotes, qui tempore schismatis anglicani, tum sacerdotes, qui tempore revolutionis gallicanae matrimonium attentaverant.

b. Quod *vota religiosa* attinet, a voto paupertatis et oboedientiae quidem plene dispensatum est, at nullum exstat exemplum *plenae* dispensationis a voto castitatis. Dispensatio enim vel ita restringitur, ut dispensatus ad alium ordinem, in quo solum emittitur votum castitatis coniugalis, transire et unum tantum matrimonium inire possit, vel ita ut in saeculum redire possit, sed unum tantum matrimonium inire et castitatem coniugalem ex voto servare teneatur[1]).

2. *Episcopi* et *abbates* habentes iurisdictionem episcopalem in omnibus votis suorum subditorum, exceptis votis summo pontifici reservatis.

a. Potestatem in votis dispensandi *vi muneris* habent, quod munus quidem exigit, ut dispensare possint in iis, quae frequenter occurrunt. Eam habent etiam *legati, nuntii apostolici* in provincia sua, *vicarii capitulares* sede vacante. *Archiepiscopi* subditos suffraganeorum suorum in votis dispensare non possunt, ne tum quidem, quando dioecesim aliquam visitant.

b. Parochi ob defectum iurisdictionis in foro externo carent facultate dispensandi *in votis,* neque ex consuetudine eam habent, sicut eam habent quoad festa et ieiunia.

3. *Superior regularis* in votis non reservatis suorum subditorum, si exemptus est; superior autem regularis non exemptus dispensare nequit, quia non exemptorum praelatus proprie est episcopus.

In votis non reservatis *novitiorum* sive in saeculo sive in noviciatu factis dispensare potest tum proprius eorum episcopus tum superior regularis. Ille quidem, quia novitii ante professionem nondum sunt a iurisdictione episcopali prorsus exempti; hic vero, quia iurisdictione in illos pollet.

4. *Confessarii regulares* potestate *delegata* ex speciali privilegio dispensare possunt in votis non reservatis fidelium sive intra sive extra confessionem, sive ordinarii voventium confessarii sunt sive non sunt.

a. Omnes concedunt confessarios regulares posse fidelium vota *dispensando commutare;* plerique eis tribuunt etiam potestatem simpliciter dispensandi ex privilegio a *Iulio II.* canonicis regularibus ss. Salvatoris et a *Leone X.* eremitis camaldulensibus concesso, quod per communicationem privilegiorum transiit etiam ad alios confessarios regulares. Privilegium in eo est, quod confessarii regulares dis-

---

[1]) Cf. *Scavini,* Theologia moralis universa[14] (Mediolani. Oliva 1890) II. n. 224. Archiv für k. Kirchenrecht 1889. I. S. 329 ff.

pensare possint cum quibusvis fidelibus in omnibus votis, in quibus episcopi potestate ordinaria dispensare possunt cum suis subditis[1]).

b. Quilibet confessarius habens privilegium dispensandi in votis eademque commutandi id facere potest etiam *extra confessionem,* nisi in documento delegationis potestas ad forum poenitentiae restringatur, quia haec potestas per se ad forum externum pertinet nec ullibi generatim praescribitur, ut dispensatio in confessione fiat.

238. De votis reservatis. 1. Vota summo pontifici reservata praeter *professionem religiosam* et *votum castitatis clericalis* sunt haec quinque:

a. votum *castitatis perfectae et perpetuae;*

b. votum *ingrediendi religionem* ab ecclesia approbatam;

Hoc votum dupliciter fieri potest, aut simpliciter ingrediendi religionem aut insuper in ea profitendi seu perseverandi. Cum tamen ingressus in religionem ad subeundam probationem novitiatus per se tendat ad professionem, qui explicite vovet ingressum, implicite vovet etiam professionem et perseverantiam. Iam vero votum papae reservatum est votum ingrediendi religionem, sive hoc voto promittitur ingressus in religionem in genere, sive ingressus in determinatum ordinem vel in determinatum monasterium.

c. votum *peregrinationis romanae* ad limina apostolorum;

d. votum *peregrinationis hierosolymitanae* ad sepulchrum Domini;

e. votum *peregrinationis compostellanae* ad reliquias s. Iacobi.

Ideo in generali facultate dispensandi in omnibus votis haec reservata non comprehenduntur, nisi eorum expressa mentio fiat.

α. Ex recenti iure romano pontifici reservata sunt etiam vota religiosa simplicia ante professionem sollemnem emissa[2]), et quae in recentioribus congregationibus a sede apostolica approbatis emittuntur, sive haec vota perpetua sunt sive temporanea. Vota enim in religione

[1]) Cf. *Piat,* Praelectiones iuris regularis (Tornaci Casterman. 1890) II. p. 504.

[2]) *S. C. Ep. et Reg.* 12. ian. 1858, quae simul declaravit haec vota simplicia solvi in actu dimissionis, ita ut data dimissione professi ab omni horum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

emissa habent rationem contractus onerosi, ex quo oritur ius quaesitum tertio, quod solum a summo pontifice auferri potest.

β. In corpore iuris reservatio horum quinque votorum non statuitur, sed supponitur; quare usu et consuetudine inducta esse videtur[1]).

2. Cum reservatio utpote odiosa strictae sit interpretationis.

a. Reservatum non est votum non nubendi, votum virginitatis, votum non peccandi contra castitatem, votum castitatis coniugalis, votum castitatis temporaneae etsi perfectae, votum suscipiendi sacros ordines, quia non est votum castitatis, sed votum assumendi statum, cui annexum est votum castitatis; pariter reservatum non est votum ingrediendi institutum, in quo solum vota simplicia emittuntur.

b. Ipsa haec quinque vota reservata non sunt, si non sunt *perfecta* i. e. sub gravi obligantia, si non sunt perfecte *libera* (sine omni metu etiam levi emissa), *absoluta* i. e. nec condicionata (ingrediar religionem, si incolumis evasero) nec disiunctiva de materia reservata et non reservata (aut ieiunii aut religionis) et *certa.*

c. Reservata sunt solum *quoad substantiam,* non item quoad circumstantias; sic qui vovit ingredi religionem strictiorem, ab episcopo vel alio privilegium habente dispensari potest, ut mitiorem ingrediatur.

239. Dispensatio in votis reservatis. Episcopi tamen dispensare possunt in votis reservatis *urgente necessitate,* quando nimirum in mora est periculum gravis damni sive spiritualis sive temporalis et summus pontifex statim adiri nequit.

a. Si episcopus dispensavit in voto reservato *dubio,* quod postea a vovente cognoscitur fuisse certum, non est necessaria nova dispensatio pontificia: cum enim votum dubium non sit reservatum, illud ab episcopo iam est solutum.

b. Utrum episcopi urgente necessitate *potestate ordinaria* an ex praesumpta licentia dispensent, certo quidem non constat, sed cum probabile sit, id fieri potestate ordinaria, potestas dispensandi in votis

[1]) C. Etsi dominici 5. *De poenit. et remiss.* Extrav. com. (V. 9).

reservatis urgente necessitate probabiliter etiam *confessariis regularibus* convenit, quippe qui in illis votis dispensare possint, in quibus episcopi potestate ordinaria dispensant[1]).

c. Potestas dispensandi in votis reservatis ea solum condicione a summo pontifice concedi solet, ut votum in alia opera poenitentiae commutetur. Iam vero haec opera a dispensante iniuncta rationem et obligationem voti habent, *non tamen reservati*, quae auferri possunt a quolibet confessario habente potestatem dispensandi in votis.

d. Num *iuramentum castitatis vel religionis reservatum sit sicut votum.* — Non est reservatum, si iurans solo iuramento se obligare intendit: obligatio enim iuramenti non est reservata; si autem iurans duplici vinculo et iuramenti et voti se obligare intendit i. e. si votum emittere voluit et votum iuramento confirmare, votum profecto reservatum est, non autem iuramentum. Haec formula *spondeo, voveo et iuro* ex communi hominum acceptione solum iuramentum continet.

§ 4. *De voti commutatione.*

240. Declarationes. 1. Commutatio est substitutio alterius operis loco eius, quod promissum erat, cum eadem obligatione.

Dispensatio a commutatione eo *differt,* quod dispensatione obligatio voti tollitur, commutatione autem in aliam materiam transfertur.

2. Haec commutatio fieri potest in opus *melius,* in *aequale* et in *minus;* deinde fieri potest auctoritate *propria* aut *ecclesiastica.*

Opus melius illud dicitur, quod hic et nunc omnibus consideratis Deo gratius est; Deo autem gratius illud censetur, quod pro loco, tempore et dispositione voventis magis congruit eius saluti. Sic qui promisit dare eleemosynam determinato pauperi, potest eam dare alteri magis egeno, modo ille promissionem non acceptaverit.

241. Quis vota commutare possit. 1. In opus evidenter *melius* commutatio fieri potest etiam *propria* voventis auctoritate: quod enim omnibus consideratis melius est, id Deo etiam gratius est et sine dubio ab eo acceptatur. Excipienda autem sunt: *a.* vota reservata, quae commutari nequeunt nisi in statum religiosum; *b.* votum transeundi

[1]) Cf. *s. Alphonsus* l. 3. n. 258; econtra *Kirchberg* l. c. n. 151. Quid possint confessarii regulares quoad *coniugatos,* qui votum perpetuae castitatis emiserunt, vide *De sexto praecepto* etc.[11] n. 101.

ad arctiorem religionem, quod ob prohibitionem ecclesiae propria auctoritate commutari nequit[1]); *c.* vota facta in utilitatem tertii et ab eo acceptata, quae sine eius consensu commutari non possunt.

2. In opus evidenter *aequale* votum probabiliter etiam propria auctoritate commutari potest; sed propter magnam difficultatem substituendi opus vere aequale suaderi debet, ne commutatio fiat propria auctoritate, nisi opus, quod substituitur, probabiliter saltem melius sit.

Qui *affirmant,* hoc argumento utuntur: cum materia subrogata aequalis sit, Deo aeque grata et accepta est, augetur vero voventis utilitas, qui libentius et ferventius hanc novam materiam praestabit. Qui *negant,* ita arguunt: materia in se spectata est quidem aequalis ac subrogata, at vero facta semel promissione Deo gratius est, si vovens rem, ad quam se obligavit, etiam praestet, quam si aliam substituat.

3. In opus vero *minus* commutatio propria auctoritate certo fieri non potest: ad hoc enim aliqua dispensatio requiritur, quae absque auctoritate ecclesiastica fieri nequit.

242. Condiciones requisitae. 1. Ad vota valide commutanda requiritur *legitima potestas* et *iusta causa.*

a. Qui potestatem sive ordinariam sive delegatam habet in votis dispensandi, ea commutare potest etiam in opus minus: cui enim licet plus, licet etiam minus. Qui solam potestatem commutandi habet, non potest vota commutare nisi in opus moraliter aequale seu paulo minus bonum: in commutatione enim, quae fit in opus minus, aliquid dispensationis continetur[2]).

Opus perpetuum in aequivalens temporale, opus personale in reale et vicissim commutari potest. In opera autem *praecepta* commutatio fieri nequit.

b. Votum in *melius* commutari potest etiam sine causa: in *aequale* saltem licite solum ex aliqua causa, sed sufficit levis (e. g. maior devotio voventis, minus periculum trans-

[1]) C. *Licet* 18. *de regular.* (III. 31).

[2]) *S. Poenitent.* 1. nov. 1899. Distingui debet inter facultatem *simpliciter commutandi vota,* facultatem *commutandi vota dispensando,* et facultatem *dispensandi commutando.*

gressionis); in *minus* autem valide commutari potest solum ex graviore causa, quae tamen non debet esse tanta, quanta requiritur ad dispensationem.

2. Facta commutatione voventi semper licitum est *ad primum opus redire,* sive commutatio facta est propria sive aliena auctoritate, sive in opus minus vel aequale vel etiam melius: commutatio enim est favor, quo uti vovens non tenetur. Et si pluries facta sit commutatio in diversa opera, potest vovens unumquodque eorum eligere.

3. Si opus, in quod votum commutatum fuit, *impossibile fit: a.* ad primum opus redire non tenetur, quando commutatio facta est auctoritate ecclesiastica, etsi culpa voventis opus factum sit impossibile: per commutationem enim prior obligatio penitus exstinguitur, ita ut non amplius reviviscat; *b.* ad primum opus redire debet, si commutatio facta est propria auctoritate, quia in hoc casu obligatio non exstinguitur ante impletionem operis substituti.

Quaestio quarta.

De iuramento[1]).

Articulus primus.

De ipso iuramento eiusque liceitate.

243. Definitio. *Iuramentum*, quod etiam *sacramentum* appellatur, definiri solet: invocatio divini nominis in testimonium veritatis.

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 89. *S. Alphonsus* l. 3. n. 133—193. *Suarez,* De religione tract. 5. *Dicastillo,* De iuramento. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moral. decalog. (Paderbornae. Typographia bonifac. 1897) tract. 3. n. 7—172. *Fr. Göpfert,* Der Eid (Mainz. Kirchheim 1883) *Bouquillon,* De virtute religionis. (Brugis. Beyaert. 1880) pars III. *Ballerini-Palmieri,* Opus theolog. morale[3] II n. 532—601.

a. Invocatio est petitio, qua Deus rogatur, ut infallibili suo testimonio velit, quando ei placuerit, in hac vel in altera vita, manifestare veritatem eius, quod asseritur aut promittitur. *Finis* iuramenti est confirmatio veritatis testimonio, quod exsistit, firmissimo i. e. infallibili, atque ideo controversiae terminatio[1]). Invocatio potest esse *expressa* vel *tacita,* nempe per mera signa externa, ut sunt tactus crucis vel evangelii aut elevatio digitorum in signum iuramenti facta. *Divini nominis:* iuramentum enim solum per Deum fieri potest: nam introductum fuit ad confirmandam veritatem testimonio omni exceptione maiore seu infallibili; atqui solius Dei testimonium infallibile est.

b. Iuramentum supponit fidem de exsistentia Dei et timorem Dei; quare iuramenta illorum, qui agnoscunt Deum omniscium et infallibilem ut iudaeorum, deistarum etc. vera sunt iuramenta; illorum autem iuramenta, qui verum Deum non agnoscunt ut pantheistae, atheistae, materialistae etc., nullum habent valorem; gentilium tandem iuramenta, qui per deos falsos iurant, nulla sunt, per accidens tamen ex conscientia erronea obligari possunt.

c. Iuramentum statim ac prolatum est, effectum suum producit, scilicet audientes circa veritatem eius, quod affirmatur aut promittitur, confirmat. Ita enim ratiocinantur: si verum non esset, iurans, qui supponitur Deum timere, non auderet suae assertionis testem invocare Deum, qui statim manifestare potest aut certe manifestabit in altera vita, num verum sit, quod affirmatur aut promittitur.

Nota. Ex peculiari iuramenti fine atque ex summa eius sanctitate haec inferenda sunt: *a.* non esse exigendum neque admittendum iuramentum, nisi agatur de magno bono sive communitatis sive alicuius privati, ne actus religiosus in detrimentum boni communis degeneret in meram ceremoniam; *b.* non esse exigendum neque admittendum ab iis, qui praevidentur peieraturi, neque ab iis, qui Dei exsistentiam non admittunt (socialistae, athei); *c.* non esse ad iurandum cogendos, qui ex doctrina suae sectae iuramentum tamquam illicitum bona fide reiiciunt, et simplici assertioni vim iuramenti tribuunt, ne cogantur agere contra suam conscientiam. Patet hos subiiciendos esse poenis, quibus peierantes afficiuntur, ubi constiterit, ipsos scienter data dextera falsum confirmasse.

244. Liceitas. 1. Iuramenti liceitatem inde a *pelagianis* usque ad *iansenistas* complures ex aliis quique rationibus infitiati sunt[2]).

---

[1]) Hebr. 6, 16.

[2]) Cf. *Göpfert,* Der Eid S. 111 ss.

Ex fine proprio iuramenti constat illud non esse propter se appetendum, sed esse medium subveniendi alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri non credit. Quapropter iuramentum non absolute, sed relative solum licitum est, quando nempe ad proprium eius finem aut necessarium aut utile evadit. Iuramentum autem debitis vestitum condicionibus licitum esse atque honestum *de fide certum est.*

a. Sacra scriptura *veteris testamenti* α. iuramentum approbat: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies ac per nomen illius iurabis*[1]; β. condiciones liciti iuramenti determinat: *Et iurabis . . in veritate et in iudico et in iustitia*[2]; γ. et ipsi Domino Deo iuramentum tribuit: *Per memet ipsum iuravi, dicit Dominus; quia fecisti hanc rem . . . benedicam tibi.*[3])

b. Ex libris *novi testamenti* scimus s. Paulum saepius iurasse: *Testis mihi est Deus, . . quod sine intermissione memoriam vestri facio*[4]).

c. Ex usu et *praxi ecclesiae* constat iuramentum non solum permitti, sed frequenter etiam praescribi.

d. Iuramentum natura sua est *actus virtutis religionis:* per illud enim agnoscimus et profitemur duplicem perfectionem divinam, eius nempe infallibilem omniscientiam eiusque veracitatem, quarum professione Deo reverentiam exhibemus; Deo autem reverentiam exhibere actus religionis est seu *actus cultus latriae.*

2. Ex his patet verba s. scripturae[5]), quibus iuramentum christianis interdici videtur, ex interpretatione ecclesiae non de *absoluta prohibitione,* sed de prohibitione pro statu perfectionis christianae intelligenda esse.

Et sane his verbis significatur iuramentum non per se bonum atque appetendum, sed *a malo* esse (non dicitur *malum* est): eius enim necessitas orta est tum ab incredulitate audientium tum a defectu veracitatis loquentium. Christiani autem tantae sint perfectionis, ut iuramentum omnino reddatur superfluum, et simplici eorum affirmationi vel negationi eadem adhiberi possit fides ac iuramento[6]).

---

[1]) Deut. 6, 13.

[2]) Ier. 4, 2.

[3]) Gen. 22, 16. 17. Cf. Ps. 131, 11.

[4]) Rom. 1, 9. Cf. 2. Cor. 1, 23. Gal. 1, 20.

[5]) Matth. 5, 33 ss. Iac. 5, 12.

[6]) Cf. *Knabenbauer,* Cursus scripturae sacrae (Parisiis. Lethielleux.) in Matthaei c. 5, 33 ss.

Nota. *a.* Ecclesiasticis non licet sollemne iuramentum interponere coram iudice laico absque episcopi licentia; *b.* parochus non potest iuramentum sollemne a parochiano exigere nisi nomine et auctoritate episcopi; *c.* ad iuramentum sollemne impuberes cogi non possunt[1]); *d.* iuramentum interponi potest etiam per procuratorem.

245. Divisio. *a.* Ratione *materiae* iuramentum dividitur in *assertorium*, quo Deus invocatur in testem rei praeteritae vel praesentis: *iuro me dedisse eleemosynam; iuro me esse catholicum;* et in *promissorium*, quo Deus invocatur in testem rei futurae: *iuro me daturum esse eleemosynam.*

Dicitur *promissorium*, quia plerumque adhibetur ad confirmandam promissionem alteri factam.

b. Ratione *formae* in *invocatorium*, quo Deus solum invocatur ut testis veritatis; et in *imprecatorium (execratorium)*, quo Deus invocatur ut testis veritatis et vindex periurii: iurans enim sibi vel suis mala imprecatur, si falsum asserit, vel si non servat id, ad quod se obligat.

α. Iuramentum execratorium duplici modo fieri solet, vel directe imprecando: *fulmine tangar, si verum non est;* vel interponendo aliquod bonum, quod pereat, si falsum iuratur: *per vitam meam, per salutem meam*[2]).

β. Formula, quae in iuramentis tum ecclesiasticis tum forensibus adhiberi solet: *Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia*, est formula iuramenti imprecatorii et in hunc modum exponenda est: si verum est, quod iuro, Deus me adiuvet, si falsum est, Deus suo auxilio me destituat.

c. Ratione *termini* in *explicitum*, quo ipse Deus immediate in testem invocatur: *testis mihi est Deus*[3]*);* et in *implicitum*, quo immediate creatura invocatur, quae tamen specialem relationem ad Deum habet, eo quod attributa divina specialiter in ea relucent: *testes invoco hodie coelum et terram*[4]*):* qui enim per sanctos, per coelum et terram iurat, Deum in illis relucentem invocat.

---

[1]) C. *Pueri* 15. c. 22. q. 5.
[2]) *Suarez* l. 1. c. 12. n. 9.
[3]) Rom. 1, 9.
[4]) Deut. 30, 19.

d. Ratione *modi* in *sollemne,* quod fit cum quadam externa sollemnitate e. g. coram crucifixo, candelis accensis, coram testibus, tactu evangelii aut sceptri, elevatione priorum digitorum etc., et in *simplex,* quod fit sine externa sollemnitate.

Omnia haec diversa iuramenta sunt *eiusdem speciei moralis,* omnia enim in ratione formali iuramenti, quae est invocatio divini nominis, conveniunt; diversus autem invocationis modus, quo invicem differunt, accidentalis est et proinde essentiam eorum specificam non mutat.

Articulus secundus.

De condicionibus ad iuramentum requisitis.

246. Condiciones validi iuramenti duae sunt: *a.* Intentio iurandi; *b.* formula iuratoria.

Ad validum iuramentum *ex parte iurantis* easdem insuper condiciones requiri, quae ad votum requiruntur, scilicet perfectam *deliberationem* et perfectam *libertatem,* ex pari utrimque ratione colligitur. Ex *parte materiae* autem in iuramento promissorio requiritur, ut ea sit *possibilis, bona* seu licita et *melior* quam opposita, ut supra de voto dictum est.

1. Requiritur *intentio iurandi* vel formalis vel saltem virtualis: iuramentum enim natura sua est actus voluntatis scilicet petitio; sine intentione autem petendi non habetur vera petitio.

a. Ab intentione iurantis valor iuramenti in conscientia dependet, adeo ut vere iuret, qui habet animum iurandi, etsi minus apta sit formula, qua utitur, et certe non iuret, qui non habet animum iurandi, quaecumque sint verba vel signa, quae adhibet. In dubio de intentione iurandi valor iuramenti diiudicandus est ex sensu, quem ex communi acceptione habent verba adhibita; si ergo verba ex communi usu iuratoria sunt, vere iurasse censendus est; si ex communi usu iuratoria non sunt, non iurasse praesumitur; quodsi verba ambigua sunt, pariter nullum habetur iuramentum.

b. Intentionem *virtualem* habet, qui verba iuratoria in sensu usitato adhibet, etsi expresse de invocando divino testimonio non cogitet. Si ergo proferens verba iuratoria ad iuramentum sive ex ignorantia sive ex inconsideratione ne implicite quidem advertit, nullum iuramentum emittit.

2. Requiritur *formula iuratoria,* qua Deus in testimonium invocatur. Etsi enim iuramentum *internum* sola mente conceptum absolute loquendo verum sit iuramentum[1]), quia tamen iuramentum ex proprio fine suo adhibetur in gratiam aliorum, signo externo illud eis manifestari debet.

247. Formulae iuratoriae aliae sunt *certo iuratoriae*, aliae *ambiguae*, aliae certo *non iuratoriae.*

a. Formulae iuramenti *expliciti* sunt: *testis sit mihi Deus; iuro per Deum, per Christum, per veritatem Dei; perdat me Deus, si etc..;* etiam simpliciter verbum *iuro* sufficit, si de intentione iurandi constat; attamen non praemissa intentione iurandi non emittit iuramentum, qui utitur his verbis: *iuro ita esse,* quia non invocat Dei testimonium. Licet enim *iuro* significet: Deum invoco testem, qui tamen hac sola voce utuntur, nisi moniti sint de iuramento, non attendunt ad plenum eius sensum. *Vivit Deus, quod ita sit,* est iuramentum: additur enim vita Dei in testimonium veritatis.

b. Formulae iuramenti *impliciti* sunt: *Iuro per b. Virginem, per crucem, per s. evangelia, per altare, per sacramenta, per fidem catholicam, per ecclesiam, per sanctos, per templum, per animam meam, per coelum* etc.: qui enim sic iurat, horum auctorem vel dominum invocare censetur. In praxi tamen, qui frequenter haec verba usurpant: *bei Gott, bei meiner Seele* etc., de Deo non cogitant, ideo ex defectu intentionis illae formulae saepe non continent iuramenta.

c. Formulae *ambiguae* sunt: *per meum iuramentum* (auf meinen Eid); *per conscientiam meam; per fidem meam; vivit Deus; Deus est veritas; Deus novit; coram Deo loquor* etc. Haec et eiusmodi verba sunt vera iuramenta, si accedat intentio iurandi, vel si exigantur in foro iudiciali tamquam verba iuratoria; si autem de intentione iurandi non constat, *enuntiative* tantum ad maiorem fidem conciliandam, non *invocative* ad testimonium divinum invocandum proferri censentur. Quare si in communi conversatione adhibentur formulae: *ich schwöre dir einen Eid, daß ich das tun werde; bei meinem Eide tue ich das,* plerique his verbis non serio iurare, sed gravius affirmare intendunt.

d. Formulae iuratoriae *non sunt: vere; certe; in veritate; tam certum est, ut certum est me exsistere, me hic esse, solem lucere* etc. nec: *moriar, amputentur mihi aures, perdat me diabolus, si hoc verum non est:* haec enim et huiusmodi exaggeratam quandam confirma-

[1]) *Suarez,* l. 1. c. 1. n. 4.

tionem veritatis, non iuramentum continent, quia deest invocatoi divini testimonii. Quare si falsum est, quod his formulis affirmatur, solum veniale mendacium committitur. Si tamen formula continet poenam a Deo infligendam: *fulmine tangar, si verum non est,* facilius haberi potest formula iuratoria.

e. Si a *sacerdotibus* exigitur et praestatur assertio vel promissio per eorum consecrationem: *bei meiner priesterlichen Ehre und Treue,* non agitur de vero iuramento, sed de firmiore et securiore affirmatione veritatis, prout nimirum sacerdotem decet affirmare vel promittere. Idem dicendum est de formula, quam principes adhibere solent: *bei meiner fürstlichen Ehre und Treue.*

f. Formulae, quibus veritas assertionis *comparatur* cum veritatibus fidei: *Tam verum est, quam Deus est — quam Christus est in venerabili sacramento — quam verum est evangelium; tam innocens sum, quam b. Virgo* etc. nonnullis videntur continere iuramentum cum blasphemia: attamen nec iuramentum certo continent, quia nullus in testem invocatur, neque blasphemiam, modo verum sit, quod affirmatur, quia proferens similitudinem tantum inter certitudinem suae assertionis et certitudinem veritatis revelatae, non aequalitatem significare intendit. Qui ergo eiusmodi formulis utitur, vana divini nominis invocatione venialiter peccat, si modo res vera sit; quodsi res asserta falsa sit, obiective blasphemiam committit, quia locutionem suam mendacem cum locutione vel exsistentia divina contumeliose comparat.

248. Condiciones liciti iuramenti ex Ier. 4. 2 tres sunt: „Iurabis: vivit Dominus in *veritate* et in *iustitia* et in *iudicio*“: deficiente enim una ex his condicionibus iuramentum caret reverentia Deo debita.

1. *Veritas* iuramenti exigit, ut a iuramento excludatur *mendacium;* in iuramento igitur assertorio exigit, ut id, quod asseritur, ita se habeat aut saltem ita se habere credatur, prout asseritur; in iuramento autem promissorio, ut iurans voluntatem habeat postea implendi, quod promittit.

a. Non licet iurare cum *probabili* solum cognitione rei, sed requiritur *certa* rei, quae iuratur, cognitio; sufficit autem moralis illa certitudo, quae habetur, quando contra rem non militat prudens ac rationabile dubium. Si iurandum est de facto alieno, quod notum est ex relatione viri fide digni, extra iudicium quidem iurare licet, quia habetur rei cognitio moraliter certa; in iudicio autem iurare non licet, nisi factum propria experientia notum sit: iuramentum enim in iudicio, nisi aliud expresse dicatur, de propria scientia intelligitur.

b. Ergo qui iurat cum dubio de veritate, graviter peccat, quia vult, ut Deus illud testetur, sive verum est sive falsum. — Et qui in iudicio iurat rem quidem veram et certo cognitam, cuius tamen non habet cognitionem experimentalem, periurium committit. — Qui iuramentum promissorium emittit sine animo rem promissam exsequendi, item qui dubitat, num facturus sit, quod iurat, ac tandem qui iudicat rem promissam sibi fore moraliter impossibilem, falso iurat.

c. Num licitum sit iurare cum restrictione mentali. α. Iurare cum restrictione pure mentali est periurium; β. iurare cum restrictione late mentali coram iis, qui ius habent cognoscendi integram veritatem, mortale est; γ. iurare sine iusta causa, cum restrictione late mentali coram iis, qui hoc ius non habent, veniale est; δ. ex iusta causa autem licitum est: cum enim assertio sit vera, Deus non invocatur in testimonium falsitatis. Maior tamen requiritur causa ad restrictionem faciendam cum iuramento, quam si fiat sine iuramento[1]).

2. *Iustitia* in iuramento *assertorio* in eo est, quod iurans rem, quam asserit, licite cum aliis communicare possit, in iuramento autem *promissorio* in eo est, quod res promissa sit licita et honesta.

Sic contra iustitiam iurat (iuramento assertorio), qui alterius occultum crimen sine iusta causa cum iuramento revelat; pariter qui cum iuramento se iactat de duello commisso. Contra iustitiam iurat (iuramento promissorio), qui iuramento se obligat ad mendacium dicendum, ad duellum comittendum, ad damnum alteri inferendum.

3. *Iudicium* seu discretio in iuramento duo exigit, primo ut adsit iusta causa iurandi, deinde ut iuramentum ipsum cum ea reverentia externa et interna praestetur, quae divinam maiestatem decet. Iusta autem censetur quaelibet causa necessitatis vel magnae utilitatis.

Articulus tertius.

De iuramento promissorio.

249. Definitio. 1. Iuramentum promissorium est actus, quo quis sub invocatione divini nominis se obligat ad aliquid faciendum vel omittendum.

a. Duo igitur in iuramento promissorio confirmantur: α. *veritas praesentis assertionis* i. e. iurantem actu habere voluntatem faciendi

[1]) Cf. *s. Alphonsus* l. 3. n. 151.

opus promissum, et β. *veritas futurae exsecutionis* i. e. se opus promissum reipsa facturum esse, et pro utraque veritate invocat Deum, et quidem tamquam testem prioris et tamquam fideiussorem posterioris. Quatenus iuramentum promissorium respicit voluntatem praesentem faciendi opus promissum, *assertorium* est, quatenus vero respicit futuram impletionem, exclusive *promissorium* est, et sub hoc respectu hic consideratur.

b. In iuramento promissorio Deus non inducitur ut testis futurae exsecutionis: testimonium enim solum fertur circa veritatem praeteritam vel praesentem. Ad confirmandam promissionem quoad futuram exsecutionem solet induci *fideiussor;* Deus autem non potest proprie dici fideiussor: ipse enim non assumit onus implendi in defectu promittentis; quapropter fideiussio quoad Deum solum significat Deum promissioni coram se factae sua auctoritate maiorem tribuere firmitatem, quatenus promittens per iuramentum in se suscipit obligationem ex reverentia erga Deum atque ideo ex virtute religionis implendi, quod promittit[1]).

2. Duplex distinguitur iuramentum promissorium, *simplex* et *confirmatorium,* prout res, ad quam faciendam vel omittendam aliquis se obligat, est merum propositum aut promissio alteri facta.

Si primum obtinet, habetur *propositum iuratum: iuro me esse ieiunaturum;* si alterum obtinet, iuramentum promissorium vel confirmat promissionem Deo factam, et est *votum iuratum*: *iuro me servaturum esse ieiunium Deo promissum,* vel confirmat promissionem homini factam et ab ipso acceptatam, et est *pactum iuratum: iuro me impleturum esse sponsalia contracta;* vel denique confirmat utrumque scilicet promissionem Deo et homini factam, et est *votum cum pacto iuratum.*

250. Principia. 1. Iuramentum promissorium inducit *obligationem religionis* servandi promissa: iurans enim tenetur ex reverentia erga Deum, quem tamquam fideiussorem iurando invocavit, servare promissum.

a. Qui ergo laedit iuramentum promissorium simplex, unum peccatum committit contra religionem; qui laedit votum iuratum, dupliciter peccat contra religionem, scilicet contra fidelitatem per laesionem voti et contra reverentiam Deo debitam per laesionem iuramenti; qui laedit pactum iuratum duo peccata committit, alterum contra fidelitatem seu iustitiam, alterum contra religionem.

---

[1]) Cf. *Suarez* l. 3. c. 16. n. 10 ss.

b. Obligatio iuramenti, quae promissioni homini factae et ex iustitia obliganti accedit et superadditur, prorsus *personalis est*, proinde solum iurantem afficit et *non transit ad eius heredes.*

c. Quaerunt theologi, *utrum obligatio voti an iuramenti maior sit.* Quaestio ita intelligi debet, ut comparatio instituatur inter votum et iuramentum quatenus promissorium, non quatenus assertorium est. Iam vero ad quaestionem sic propositam respondendum videtur, obligationem voti maiorem esse quam iuramenti. Votum namque ex fidelitate erga Deum obligat, iuramentum promissorium autem, quatenus iuramentum est, proprie non obligat ex fidelitate, sed ex reverentia Deo debita: iuramento enim Deo nihil promittitur, sed ipse invocatur, ut auctoritate sua specialem firmitatem tribuat proposito vel promissioni alteri factae. Quare transgressio iuramenti promissorii non est peccatum infidelitatis, sed peccatum contra reverentiam Deo debitam[1]).

2. Iuramentum promissorium, sive Deo sive homini facta fuit promissio, *obligat sub gravi vel sub levi*, prout res promissa gravis vel levis est: cum enim obligatio iuramenti minor sit, quam obligatio voti et votum in materia levi sub levi tantum obliget, etiam iuramentum in materia levi sub levi tantum obligat.

Ergo iuramentum non impletum est grave vel leve peccatum pro ratione materiae. Qui ergo rem levem, quam iureiurando promisit, vel rei gravis parum quid non implet, venialiter peccat. Sunt quidem, qui dicant iuramentum promissorium semper obligare sub gravi, quia in iuramento promissorio Deus adducitur ut testis futurae exsecutionis; verum in hoc iuramento Deus solum adducitur ut testis obligationis contractae, adeo ut haec ex intentione iurantis sine irreverentia Deo irrogata violari nequeat. Haec autem irreverentia gravis vel levis est pro ratione materiae.

3. Iuramentum promissorium de re *impossibili, illicita* vel *inutili* nullam obligationem inducit. Ratio *primi* est, quia ad impossibile non datur obligatio; ratio *secundi* est, quia ad rem malam pariter non datur obligatio; ratio *tertii* est, quia res vana aut indifferens non cedit in cultum Dei; ergo non possumus ad Deum colendum ad eam nos obligare.

a. Si res postea desinit esse illicita vel inutilis, iuramentum non reviviscit: etenim: *non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*[2]).

[1]) *Suarez* l. 2. c. 3. n. 7.

[2]) *Non firmatur* reg. iuris 18. in 6°.

b. Si iuramentum est *de re honesta* quidem, *sed minus bona,* distinguendum est, utrum promissio facta sit soli Deo, an vero facta sit in utilitatem tertii; si primum, iuramentum non obligat, quia non cedit in cultum Dei, quod fiat opus bonum quidem, sed impediens maius bonum; si alterum, obligat, modo promissio ab altero etiam acceptata sit, quia servandum est ius acquisitum tertii. Ideo clericus, qui iuravit se serviturum esse alicui ecclesiae tenetur iuramento, nisi dispensationem obtinuerit, etsi hoc impediat ingressum in religionem.

Num obliget iuramentum promissorium iniuste extortum. Sicut votum iniuste extortum non valet, ita etiam iuramentum iniuste extortum dicendum est *non valere:* promissio enim, quae in iniuria fundatur, iure naturae invalida est; insuper Deus non censetur sua auctoritate firmare eiusmodi promissionem iniuste extortam.

251. De interpretatione iuramenti promissorii. Iuramentum promissorium in foro conscientiae interpretandum est iuxta mentem iurantis: ab eius enim intentione pendet obligatio, quam iureiurando sibi imponit. Quodsi de iurantis intentione non constat, interpretandum est iuxta regulas sequentes:

1. *Iuramentum stricte interpretandum est:* odiosa enim restringenda sunt; iuramentum vero odiosum esse ex gravi obligatione, quam inducit, et ex violationis periculo colligitur. Insuper iurans censetur se obligare voluisse quam minimum potuit.

2. Iuramentum promissorium *sequitur naturam et conditiones actus* (propositi, promissionis, contractus), cui additum est: iuramentum enim non mutat naturam actus, sed actum supponit eique obligationem religionis superaddit. Et sane, cum actus sit principale, iuramentum vero accessorium, valet principium: *accessorium naturam sequitur principalis*[1]).

a. Ergo α. iuramentum additum actui iure naturae invalido e. g. promissioni dolo (substantiali) extortae ipsum invalidum est. β. Cum omnis promissio hanc tacitam condicionem continet *nisi remittatur* eandem condicionem etiam iuramentum continet, proindeque cessat,

[1]) *Accessorium* reg. iur. 42. in 6°.

cessante promissione. γ. Sponsalia iurata mutuo consensu solvi possunt aeque ac non iurata.

b. Qui iuravit se servaturum esse *statuta alicuius congregationis,* collegii, officii etc., haec non tenetur servare nisi ea ratione, qua ex se obligant. Ideo α. non tenetur servare ea, quae iam in desuetudinem abierunt et a maiore communitatis parte non observantur; β. ea, quae ex se solum sub levi vel sub poena tantum vel ex sola decentia obligant, propter iuramentum non aliter servari debent; γ. transgrediendo ea, quae sub gravi vel levi peccato obligant, committit insuper peccatum grave vel leve contra religionem[1]).

c. Iuramentum *servandi secretum* non obligat, quando cessat obligatio ipsius secreti; laesio autem secreti in conscientia obligantis erit grave vel leve peccatum contra religionem, prout ipsum secretum sub gravi vel sub levi obligat, quia obligatio iuramenti sequitur obligationem secreti[2]).

d. Iuramenta parentum *puniendi filios* plerumque non sunt vera iuramenta, quia non adest intentio iurandi, sed solum filios terrendi. Quodsi vera sint iuramenta (proposita iurata), exsecutioni mandari debent, nisi cesset eorum obligatio; haec autem cessat, si propositi exsecutio fit irrationabilis, ut si poena filium non corrigeret, sed solum exacerbaret: iuramentum enim est accessorium propositi, quo cessante etiam illud cessat.

3. *Iuramentum promissorium interpretandum est secundum condiciones, quae in omni promissione subintelliguntur;* eiusmodi condiciones sunt: *a. si potero* tum physice tum moraliter; *b. salvo iure superioris,* qui ex iusta causa obligationem irritare vel in ea dispensare potest; *c. si res non fuerit notabiliter mutata:* si enim notabiliter mutata est, ad eam intentio promittentis non referebatur; *d. si alter fidem servaverit; e. nisi alter iure suo cedat.*

Secundum hasce regulas interpretandum est *iuramentum non ludendi.*

a. Si iuramentum studio mortificationis et religiosae perfectionis emittitur, iurans ab omni ludo abstinere tenetur.

b. Si iuramentum non ludendi in genere emittitur absque intentione maioris perfectionis, iurans non tenetur abstinere a ludo honesto et licito: finis enim huius iuramenti censetur esse, ne tempus inutiliter teratur, ne pecunia dilapidetur.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 181.

[2]) *S. Alphonsus* n. 183.

c. Non agitur contra iuramentum non ludendi, qui aliis ludentibus assistit, eos observat, alicui pecuniam praebet, quae in ludo exponatur, eumque consilio adiuvat suo: qui enim haec agit, non dicitur *ludere*.

252. De iuramento fidelitatis. Hoc nomine significatur iuramentum oboedientiae et fidelitatis, quod auctoritas politica a suis subditis exigere solet, non quidem ab omnibus, sed a magistratibus, militibus et primariis regni officialibus.

a. Hoc iuramentum (supposito legitimo gubernio) per se honestum et licitum est, nisi ab ecclesiasticis exigatur, et nisi quidquam contineat, quod sit contra iura Dei et ecclesiae: cum enim subditi validis potestatis politicae legibus oboedire teneantur, hoc iuramentum exigi et a subditis praestari potest.

b. Patet illicitum esse iuramentum praestandi oboedientiam legibus, quae iuribus Dei et ecclesiae sunt contrariae; nihilominus ex sufficienti causa licet praestare iuramentum oboedientiae, etsi nonnullae leges sint contrariae legibus divinis, sub hac duplici condicione: α. ut addatur clausula: *salvis legibus Dei et ecclesiae;* β. ut ad praecavendum scandalum, si opus fuerit, declaretur s. sedem addita hac clausula iuramentum permisisse[1]).

Non est necessarium, ut clausula exprimatur vel de liceitate iuramenti mentio fiat, si publice notum est e. g. ex declaratione principis, iuramentum hoc sensu esse accipiendum[2]), vel si consideratis adiunctis non est timendum scandalum, quia e. g. ex qualitate personae iam intelligitur iuramentum alio sensu non emitti.

c. Ab ecclesiasticis non licet exigere hoc iuramentum, nec ipsi illud licite praestare possunt, quia iuramentum repugnat immunitati personali, qua ipsi gaudent. Attamen α. si consuetudo iuramentum cohonestat, licite exigi et praestari potest. Ob hanc rationem ii, qui a gubernio munus suscipiunt, iuramentum fidelitatis emittere solent.

---

[1]) *S. Poenitent.* 10. dec. 1860. Cf. *Scavini,* Theologia moralis[11] (Mediolani. Olivia 1890) t. IV. p. 431 ss.

[2]) Id in Austria factum esse constat. Cf. *Archiv f. kath. KR.* XXVI. S. 250 ff.

β. Licite praestatur, si privilegium pontificium illud permittit. Ob hanc rationem episcopi coram principe iurare solent, antequam ecclesiam suam gubernandam suscipiunt.

d. Qui hoc iuramentum emittunt, ad id tantum se obligant, quod velint subesse legibus nec quidquam contra legitimam auctoritatem moliri, et si sint officiales publici, quod munus suum iuxta leges obire, non autem quod singula legis praecepta etiam ex religione observare velint.

253. De cessatione iuramenti promissorii. Iuramentum promissorium cessat: *a. cessatione finis; b. condonatione* ab eo facta, in cuius favorem iuramentum emissum est; *c. irritatione; d. dispensatione; e. commutatione.* Iisdem ergo modis, quibus cessat obligatio voti, cessat etiam obligatio iuramenti una excepta condonatione, qua iuramentum, non autem votum, cessare potest.

1. *De condonatione.* *a.* Sicut iuramenta, quae in favorem alterius fiunt, obligationem non inducunt, nisi ab altero acceptentur, ita postea ab eodem relaxari possunt, si ipse favori sibi praestito renuntiet[1]).

b. Sicut auctoritas ecclesiastica ita etiam *auctoritas civilis* relaxare potest obligationem iuramenti circa illas res emissi, quae potestati civili subsunt. Eo ipso enim, quod auctoritas civilis obligationem ortam ex iure sibi acquisito remittit, indirecte exstinguitur etiam obligatio ex iuramento orta: accessorium enim sequitur principale.

2. *De dispensatione.* Non solum qui ordinariam, sed etiam *qui mere delegatam potestatem habet* dispensandi in votis, dispensare potest etiam in iuramentis, sive voto sunt annexa sive non sunt, nisi simul agatur de iure quaesito tertii, a quo iste cedere nolit: vota enim et iuramenta quoad dispensationem aequiparantur.

a. Etsi hoc de eo, qui potestatem ordinariam habet ut episcopus, omnes concedant, sunt tamen, qui cum *s. Alphonso* (n. 190) negent eum, qui solum potestatem delegatam habet dispensandi in votis, dispensare posse in iuramentis. Verum cum ipse s. Alphonsus proba-

[1]) *Suarez* l. 2. c. 39. n. 1 ss.

bilitatem sententiae affirmantis concedat, ea *practice* tuta est, quia ecclesia in casu potestatis speculative probabilis supplet. Immo complures probabiliter docent eum, qui delegatam potestatem habet dispensandi in votis, posse etiam dispensare in votis iuratis, in quibus duplex vinculum voti et iuramenti concurrit[1]).

b. Qui dispensare potest in votis, dispensare potest etiam in iuramentis, quae versantur circa materiam votorum reservatam, nisi accedat votum, quia iuramenta non sunt reservata. Quodsi votum reservatum iuramento firmatum sit, dispensare nequit, nisi qui in votis reservatis dispensare potest.

c. Confessarii regulares ex speciali privilegio *(Gregorii XIII.* et *Pauli III.)* in iuramentis dispensare eaque commutare possunt, nisi sint in favorem tertii facta ab eoque acceptata.

Articulus quartus.

De periurio.

254. *Periurium* duplici sensu accipitur: stricte et proprie significat *iuramentum falsum* seu carens veritate; late significat quodvis iuramentum illicitum, adeo ut etiam iuramentum *iniquum,* carens iustitia et iuramentum *incautum,* carens iudicio periurium dicantur. De singulorum malitia dicendum est.

Ergo periurium (Meineid) proprie est: *a.* iuramentum assertorium de re falsa, quam iurans falsam esse cognoscit; iuramentum promissorium absque intentione rem promissam implendi vel cum intentione eam non implendi. Si quis rem sub iuramento serio promissam postea culpabiliter non implet, proprie non periurium, sed potius iuramenti fractionem (Eidbruch) committit, quamvis etiam iste periurus vocari soleat.

1. **De periurio stricte accepto.** *a.* Periurium seu iuramentum falsum est *peccatum ex toto genere suo grave:* nam veracitati Dei directe infert iniuriam is, qui postulat, ut Deus suprema sua auctoritate contestetur rem falsam,

---

[1]) Cf. *Suarez,* De voto l. 6. c. 14. n. 6. *Génicot,* Instit. theol. mor. I. n. 307. *Ballerini-Palmieri* II. n. 595 ss.

quae iniuria manet gravis, etsi Deus invocetur in testimonium levissimae falsitatis: semper enim contumeliose supponitur Deum posse falli aut fallere[1]).

b. Omnia periuria sunt *eiusdem speciei moralis:* sicut enim diversa iuramenta specifice non differunt, ita etiam eorum laesiones eiusdem speciei moralis sunt.

Licet periurium exsecratorium videri possit duplex peccatum, contra religionem et contra caritatem, reipsa tamen simplex peccatum est contra religionem: nemo enim censetur serio sibi vel suis imprecari malum; ideo qui verba exsecratoria profert, interius confidit, Deum id non esse facturum. His tamen non negatur periurium exsecratorium duplex esse peccatum, tum contra religionem tum contra caritatem sui vel contra pietatem, si periurus serio sibi vel suis malum imprecari intendat.

255. 2. De periurio late accepto. *a.* Iuramentum *assertorium,* quod *caret iustitia,* quatenus iuramentum est seu quatenus religioni adversatur, veniale est, etsi peccatum contra caritatem vel iustitiam sit grave, ut si quis gravem detractionem iuramento confirmet: nam hoc periurio non committitur gravis irreverentia, cum Deus non invocetur in testimonium rei falsae, sed rei *verae,* etsi malae.

b. Iuramentum *promissorium carens iustitia,* quo quis se obligat ad rem graviter malam, grave peccatum, quo se obligat ad rem *leviter* malam, leve peccatum, quo se obligat ad rem *indifferentem* vel *inutilem,* pariter leve peccatum est.

In eiusmodi ergo iuramento (supposita voluntate implendi) duo peccata continentur, alterum quia iurans (e. g. se commissurum esse duellum) vult rem malam, alterum irreverentiae, quia interposita divina auctoritate se obligat ad peccandum.

c. Iuramentum sive *assertorium* sive *promissorium,* quod *caret iudicio,* seu iurare sine causa sufficienti aut sine debita reverentia veniale peccatum non excedit: irreverentia enim non videtur esse gravis, quia nihil fit, quod directe adversetur alicui attributo divino.

---

[1]) Quare damnata est prop. 24. ab *Innocentio XI.: Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

α. Serio monendi sunt fideles, ne contrahant consuetudinem ad quodvis paene dubium, quod eorum dictis obiicitur, temere iurandi vel promissiones suas indiscriminatim iuramento confirmandi: qui enim hanc consuetudinem contrahunt et retinent, se exponunt magno periculo iurandi absque consideratione eorum, quae iurant, et sic multa periuria emittendi.

β. Iuramentum ex consuetudine iurandi prolatum, si voluntarium est, per se leve tantum peccatum est, quia est iuramentum carens iudicio; ratione periculi autem, quod continet, periurium emittendi grave peccatum esse potest. Monendi sunt ergo fideles de obligatione deponendi pravam consuetudinem iurandi, ut supra (n. 205) de blasphemia notatum est.

256. De iuramento ficto. Iuramentum fictum est iuramentum exterius tantum emissum sine animo iurandi seu sine animo invocandi Deum in testem asserti. Duo de hocce iuramento declaranda sunt: *a.* num obligationem inducat; *b.* quale peccatum sit.

1. *Iuramentum fictum* sive assertorium sive promissorium *nullum est iuramentum* et proinde *nullam* inducit *obligationem* ex virtute religionis; aliunde autem potest adesse obligatio indemnem servandi eum, qui ficto iuramento deceptus est.

2. *a.* Iuramentum fictum, quod in *confirmationem falsi* emittitur, semper grave peccatum est, quia gravis irreverentia est Deum, licet exterius tantum, invocare in testimonium falsi, sicut gravis irreverentia est exterius tantum adolere thus idolo.

In confirmationem falsi emittitur iuramentum *assertorium,* si iurans Deum exterius invocat in testem assertionis falsae, et iuramentum *promissorium,* si exterius iurat sine animo implendi.

b. Iuramentum fictum, quod in *confirmationem veri* emittitur, veniale peccatum non excedit: etsi enim eiusmodi iuramentum contineat mendacium cum vana divini nominis invocatione, Deus tamen non invocatur in testimonium falsitatis[1]).

---

[1]) Cf. *Reuter* II. n. 309 ss.

Aliunde tamen ficte iurans graviter peccare potest, si nempe in illis adiunctis ficte iuret, in quibus sub gravi iurare tenetur e. g. ob praeceptum superioris vel iudicis, vel si agitur de re magni momenti, ut est contractus onerosus[1]).

Articulus quintus.

De adiuratione.

257. Notio. *Adiuratio* est actio, qua aliquis inducitur ad rem faciendam vel omittendam invocatione Dei aut rei sacrae.

a. Adiuratio differt *a iuramento:* in iuramento enim Deus invocatur ad confirmandam veritatem, in adiuratione autem ad efficacius reddendum mandatum vel ad confirmandam petitionem. Differt *ab oratione,* quia orando *a Deo* aliquid petimus, in adiuratione *per Deum* aliquid praecipimus vel flagitamus.

b. Adiuratio est *actus virtutis religionis:* adiuratione enim profitemur tantam esse Dei auctoritatem vel bonitatem, ut quilibet vix audito Dei nomine statim inducatur ad praestandum, quod per nomen Dei ab eo exigitur, id quod cedit in honorem Dei.

c. Adiurari possunt: α. Deus vel Christus; β. b. virgo Maria, angeli, sancti; γ. homines viatores, ut si subditus adiurat superiorem, amicus amicum, pauper divitem, ut amore Dei aliquid praestet; δ. daemones.

258. Adiuratio dividitur. 1. In *sollemnem* et *privatam,* prout fit nomine ecclesiae, a ministris ecclesiae et ritu ab ecclesia instituto vel sine huiusmodi sollemnitatibus.

2. In *imperativam* et *deprecativam,* prout fit imperio vel precibus.

a. Imperativa est ea, qua princeps sacerdotum adiuravit Christum: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus*[2]); deprecativa est ea, qua s. Paulus quandoque adiurat eos, ad quos scribit: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei*[3]).

b. Deus solum *deprecative* adiurari potest, quia imperii non est capax; daemon solum *imperative* adiurari potest, quia solum imperii, non autem deprecationis capax est; *imperative et deprecative* adiurari potest, qui tum imperii tum deprecationis capax est ut homo subditus.

---

[1]) Cf. *Lessius,* De iustitia et iure l. 2. c. 42. n. 42.

[2]) Matth. 26, 63.

[3]) Rom. 12, 1.

c. Adiuratur Deus deprecative, si ex usu ecclesiae exorcizantur sal, aqua, mures, locustae, tempestates, et quidem vel per se ipsum (misericordiam, bonitatem etc.) vel per merita Christi vel per intercessionem b. virginis Mariae et sanctorum. Hic modus supplicandi *obsecratio* vocatur.

259. Principia. 1. Adiuratio non inducit obligationem praestandi id, quod (ab homine adiurato) petitur, sive adiuratio est deprecativa sive imperativa: adiuratio enim non est instituta ad inducendam obligationem, sed ad excitandum in adiurato timorem vel amorem divini nominis, quo moveatur ad praestandum, quod ab eo petitur.

Si ergo superior adiurat subditum adiuratione imperativa ad praestandam rem petitam, subditus oboedire quidem tenetur, at non vi adiurationis, sed vi praecepti cum adiuratione coniuncti. Hinc si subditus non praestat rem imperatam, non peccat contra religionem, sed solum contra oboedientiam.

2. Ut adiuratio licita sit, eaedem tres condiciones requiruntur atque in iuramento: veritas, iustitia et iudicium.

a. Veritas adiurationis exigit, ut adiurans vere intendat assequi, quod adiurando petit, et ut vera sit causa, ob quam petit.

Defectus veritatis in adiuratione veniale peccatum non excedit, quia divina auctoritas non inducitur ad confirmandum mendacium, sed solum ad movendum alium ad aliquid praestandum, ut si fictus pauper per Deum petat eleemosynam.

b. Iustitia exigit, ut adiurans petat rem licitam.

Defectus iustitiae in adiuratione est grave peccatum, si res petita vel imperata est graviter mala; et est leve peccatum, si res petita vel imperata est leviter mala: nam interposita auctoritate divina alium inducere ad rem malam certe continet irreverentiam in Deum, eamque maiorem vel minorem, prout res magis vel minus mala est.

c. Iudicium exigit, ut adiuratio fiat ex iusta causa necessitatis vel utilitatis et cum debita reverentia nominis divini.

Defectus huius condicionis non est nisi veniale peccatum.

Liber tertius.

De tertio decalogi praecepto[1]).

„Memento, ut diem sabbati sanctifices."
Ex. 20, 8.

Hoc praeceptum, quatenus *affirmativum* est, praecipit sanctificationem dierum festorum seu cultum Dei externum et publicum per sanctificationem quorundam dierum; quatenus autem *negativum* est, prohibet, ne illi dies profanentur, praesertim per opera servilia.

Finis et momentum praecepti. *a.* Hoc praeceptum eo potissimum tendit, ut homo a laboribus praesertim corporeis cessans necessaria quiete fruatur, qua rebus divinis vacare seque quoad animam et corpus reficere possit. Praeceptum summi momenti est propter saluberrimos fructus, qui ex eius observatione tum vitae individuali tum vitae sociali enascuntur. Attamen ut hi fructus uberius percipiantur, quies corporis cum religiosa diei sanctificatione apte coniungi debet. Praecipui effectus hi sunt:

α. *Saluti corporis consulitur:* organismus enim humanus ita comparatus est, ut ex septem diebus uno ad feriandum indigeat, ne paulatim ex labore deficiat. Nisi tamen dies feriati religiose transi-

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 122. a. 4. *S. Alphonsus* l. 3. n. 263—332. *Suarez,* De virtute religionis tract. 2. l. 2. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moralis decalog. (Paderbornae. Typogr. bonifac. 1897) I. tract. 3. n. 482—541. *Gasparri,* De sanctissima eucharistia (Parisiis. Delhomme. 1897) II. c. 8. *Ballerini-Palmieri,* Opus theolog. morale[2]) II. n. 711—814. *E. Génicot,* Theologiae moralis institut.[6] (Bruxellis. Dewit 1909) I. n. 332—344.

gantur, in otio et voluptatibus agi solent, quae valetudini nocent, non prosunt.

β. *Alacritas in suscipiendo labore augetur:* uniformis enim labor, qui nulla feriarum mutatione interrumpitur, animum deprimit; quies, quam divinae maiestatis cultus exornat, animum erigit sanctaque hilaritate perfundit.

γ. *Vita domestica promovetur:* membra enim familiae diebus ferialibus plerumque dispersi variisque negotiis distractis, simul omnes uniuntur, familiaritatem plenius instaurant, officio educationis impensius incumbunt, mutuum amorem diurna consuetudine alunt et fovent.

δ. *Oppositio divites inter et pauperes emollitur:* memor enim sublimis suae destinationis et propriae dignitatis personalis, pauper coram Deo se agnoscit ceteris aequalem sibique persuadet virtutes honore dignas, divitias vero inanes esse.

b. Cum haec emolumenta feriarum, quae diebus festis aguntur, ad bonum reipublicae plurimum conferant, auctoritati civili incumbit obligatio, ferias dierum festorum tuendi et opera servilia interdicendi id quod in aliquibus civitatibus (Anglia, Germania) partim nec sine fructum effectu est.

Quaestio prima.

De sanctificatione festorum.

260. Origo praecepti. Praeceptum sanctificandi dies festos partim naturale, partim divinum, partim ecclesiasticum est: *naturale,* quatenus praecipit aliquod tempus cultui divino non solum privato sed etiam publico tribuendum esse; *divinum,* quatenus uno cuiusque hebdomadae die in laudem creatoris ab omni opere cessandum esse praecipit; *ecclesiasticum* autem, quatenus certos dies et modum colendi Deum determinat. Ecclesia ergo hac in re ius naturale et divinum accuratius determinavit.

a. Praeceptum sanctificandi dies festos, prout nunc in ecclesia servatur, complura elementa continet: α. unum cuiusque hebdomadae diem sanctificandum esse; β. hunc diem non esse ut in vetere testamento ultimum hebdomadae diem, sabbatum, sed debere.

esse primum, diem dominicum; γ. diem intelligendum esse spatium 24 horarum illudque a media nocte ad mediam noctem computandum; δ. diebus festis certos religionis actus in Dei cultum praescriptos, certa vero opera, utpote religiosae quieti contraria, prohibita esse.

b. De origine ecclesiastica huius praecepti, quod tertium et quartum elementum attinet, non est dubium; de origine praecepti quoad primum et alterum elementum alii docent utrumque, scilicet sanctificandi unum in quavis hebdomada diem et sanctificandi diem dominicum loco sabbati, esse iuris divini[1]); alii econtra docent iure ecclesiastico non solum sabbato suffectum esse diem dominicum, sed eodem iure etiam unum in hebdomada diem sanctificandum esse[2]); alii tandem docent unum cuiusque hebdomadae diem sanctificandum esse iure divino, diem vero dominicum ad hunc finem destinatum esse iure ecclesiastico seu potius apostolico[3]). Et sane, ipse Deus divisionem temporis in hebdomadas instituit et septimum cuiusque hebdomadae diem cultui divino tribuendum esse praecepit[4]). Hoc praeceptum Christus Dominus non abrogavit, sed pro toto aevo christiano innovatum voluit, concessa apostolis potestate sabbato substituendi diem dominicum et determinandi modum, quo dies ille in laudem creatoris et salvatoris sanctificandus sit.

c. Ex his infertur, quousque se extendat potestas, quae ecclesiae competit in hoc praecepto dispensandi, ipsam scilicet illud mutare atque in eo dispensare posse, quatenus ecclesiasticum est, ipsam autem statuere non posse, ut nullus dies cultui divino deputetur, neque ut temporis divisio in hebdomadas et sanctificatio unius cuiusque hebdomadae diei abrogetur, neque tandem ut licita sint ea opera, quae communi hominum iudicio finem praecepti, religiosam scilicet quietem, destruerent.

261. De ipso praecepto. 1. Praeceptum sanctificandi festa obligat *sub gravi*[5]) omnes fideles *rationis compotes*, ergo post expletum septennium: etenim materia et finis

---

[1]) *Sporer-Bierbaum* tract. 3. n. 484.

[2]) *Suarez*, De religione tract. 2. l. 2. c. 4. n. 5.

[3]) *Fr. Schmid*, Worin gründet die Pflicht der Sonntagsruhe? (Quartalschrift. Linz. 1900) S. 12 ff. — Die Gewalt der Kirche über die Sonntagsruhe (Zeitschrift für kath. Theologie XXV. [1901] S. 436 ff.)

[4]) Gen. 2, 2. 3. coll. Ex. 20, 8—11.

[5]) Cf. prop. 52. ab *Innocentio XI.* damnata: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.*

praecepti gravia sunt; ideo etiam universali usu ecclesiae pro gravi habetur; admittit autem parvitatem materiae.

a. Dies festi, qui sanctificandi sunt, computari debent a media nocte ad mediam noctem, ut fert usus ecclesiae romanae.

b. Festa olim de iure communi servandi ex constitutione *Universa* Urbani VIII.[1]) praeter dies dominicos erant triginta sex[2]); hodie vero complura eorum (in diversis regionibus diverso numero) abrogata sunt, adeo ut e. g. in *Gallia* et in *Belgio* praeter ea, quae diei dominico affixa sunt, non celebrentur nisi *quatuor* et in *America septentrionali* non nisi *sex*.

2. Diebus dominicis et festis ecclesia fideles ad duo obligat: *a. ad audiendum sacrum,* quia Deus tamquam primum rerum omnium principium colendus est per sacrificium: omnia autem sacrificia in nova lege redacta sunt ad sacrificium missae; *b. ad abstinendum ab operibus servilibus*, quia principalis huius praecepti finis est, ut homo rebus divinis vacet; opera autem servilia applicationem ad divina plane impediunt.

a. Hoc praeceptum in iure canonico non intimatur, sed supponitur[3]), constat autem ex universali consuetudine, quam ubique doctrina christiana in catechismis declarat.

b. Sacerdotes per celebrationem praecepto satisfaciunt; qui autem non celebrant, missam audire tenentur.

3. Praeter haec duo per praeceptum ecclesiasticum sanctificandi festa *nihil aliud expresse praecipitur,* nec aliud legitima consuetudine introductum est. Quare

a. Non tenentur fideles *audire contionem* vel *catechesim,* nisi praeceptum naturale eos ad hoc obliget, scilicet si quis non satis instructus est in iis, quae explicite scire et credere debet, et aliud medium illa discendi adhibere aut non vult aut non potest.

Neque ex eo, quod parochi ex praecepto ecclesiae diebus dominicis et festis contionari tenentur[4]), sequitur fideles obligari ad audiendam contionem: parochi enim tenentur occasionem praebere, ut fideles, quibus id necessarium vel utile est, in doctrina christiana erudiri possint,

[1]) Constit. *Universa* Urbani VIII. 13. sept. 1642.

[2]) Cf. *De sacramentis*[8] n. 181.

[3]) C. *Omnes* 62. De consecr. d. 1. C. *Missas* 64. De consec. d. 1.

[4]) *Concilium trid.* sess. 24. c. 4. De reform.

Adeo autem salutaris et proficua est auditio contionis, ut patres concilii tridentini (l. c.) dixerint fideles *teneri*, si commode possunt, ad audiendum verbum Dei.

b. Non tenentur *assistere vesperis* aut devotionibus vespertinis, ne sub levi quidem, nisi per accidens ex omissione scandalum oriatur.

c. Non tenentur Deum colere certis actibus internis ut *actibus fidei, spei et caritatis:* non enim interior, sed externus Dei cultus hoc praecepto nobis iniungitur; insuper sanctificatio animae est finis praecepti, qui non cadit sub praecepto.

Quaestio secunda.

De auditione missae.

Articulus primus.

De modo audiendi missam.

Condiciones requisitae. Quinque requiruntur ad satisfaciendum praecepto audiendi missam: *a.* debita intentio; *b.* debita attentio; *c.* missa integra; *d.* praesentia corporis; *e.* locus debitus.

262. Debita intentio, quae quidem non debet esse intentio obtinendi finem praecepti nec intentio satisfaciendi praecepto, sed ponendi opus ab ecclesia praescriptum i. e. audiendi missam. Quare non satisfacit praecepto, qui se confert ad ecclesiam mere ad audiendam musicam; satisfacit autem, qui eo se confert solum ex metu parentum.

263. Debita attentio. Duplex distinguitur attentio: externa et interna. Haec excludit distractionem internam, illa distractionem externam.

Attentio *externa* negative consistit in remotione actionis externae, quae cum attentione interna simul consistere non potest e. g. dormiendi, confabulandi; positive consistit in attentione quadam confusa, qua advertitur in ara sacrificium offerri (n. 139).

1. Ad satisfaciendum praecepto ecclesiastico certe *requiritur attentio externa,* sine qua assistentia non esset actio humana nec religiosa; ideo non satisfacit, qui tempore missae attente legit libros profanos vel attente considerat picturas, legit inscriptiones etc.

Ex lege naturae seu ex virtute religionis sub levi requiritur attentio interna, quam postulat reverentia Deo debita, dum ipsum colimus.

2. Ex praecepto ecclesiae *non requiritur attentio interna,* sed sufficit externa; quapropter satisfacit praecepto audiendi missam, qui toto tempore missae sive involuntarie sive voluntarie distractus est. Et sane oratio non exigit attentionem internam, ergo a fortiori eam non exigit auditio sacri.

a. Cum ad satisfaciendum praecepto audiendi sacrum non opus sit orare, quia ecclesia nil aliud praecipit nisi actum cultus divini, tota quaestio huc redit, num mente distracta vere praestari possit actus cultus divini. Iam vero sicut oratio, ita etiam quilibet alius actus externi cultus divini quoad substantiam mente distracta exhiberi potest (n. 139).

b. Pro praxi inter utramque sententiam, affirmantem scilicet et negantem requiri attentionem internam, vix est discrimen: siquidem patroni affirmantis sententiae tam exiguam attentionem internam cum *s. Alphonso* (n. 313) postulant, ut ex defectu attentionis tum solum invalida sit auditio sacri, si distractio fuerit totalis et voluntaria, valeat autem, modo habeatur attentio, qua aliquo modo advertatur offerri sacrificium; haec vero attentio adest, modo exclusa sit distractio externa.

c. Ergo non satisfacit praecepto, qui per notabilem missae partem graviter dormit, ita ut non advertat, quae in altari agantur; qui vero solum dormitat, ita tamen ut confuse discernere possit, quae in altari agantur, etsi per notabilem missae partem fiat, praecepto satisfacit. — Satisfacit praecepto, qui interdum cum socio confabulatur, quia hoc non impedit attentionem confusam, quae ad satisfaciendum praecepto sufficit. — Item satisfaciunt pulsantes organa, canentes, colligentes eleemosynam, etsi toto tempore hac re occupentur, quia hae actiones attentionem ad missam non impediunt. Ex eadem ratione satisfaciunt, qui semisopiti vel semiebrii missae sacrificio intersunt.

Num satisfaciat praecepto, qui tempore missae confitetur peccata, sua. — Eatenus non satisfaceret, quatenus confessio impediret attentionem externam; atqui confessio aeque atque auditio confessionis non excludit attentionem externam, id quod complures auctores non improbabiliter tenent[1]).

264. Auditio integrae missae. 1. Non sufficit assistere parti essentiali et integrali sacrificii, sed ex praecepto ecclesiae assistendum est *toti missae* i. e. integrae functioni liturgicae a psalmo *Iudica* usque ad benedictionem sacerdotalem inclusive[2]). Evangelium s. Ioannis non videtur pertinere ad integritatem missae.

2. Qui integrae missae assistere non potest, tenetur assistere saltem *parti essentiali et integrali* i. e. consecrationi et communioni, si potest; qui ne his quidem partibus assistere potest, non tenetur assistere partibus accidentalibus, quia praeceptum ne quoad substantiam quidem implere amplius potest.

Qui igitur ante consecrationem venit et alteri missae assistere nequit, tenetur partem reliquam audire; qui autem post consecrationem venit, non tenetur reliquam partem audire, quia non assistit essentiae sacrificii, ad quam consecratio certe requiritur. Hinc praecepto in hoc casu quoad substantiam satisfacere nequit; ut solis autem ceremoniis sine sacrificio assistamus, ecclesia non praecipit. Practice ergo in hoc casu non potest urgeri obligatio[3]).

3. Ergo omittere *partem missae* peccatum est, idque grave vel leve, prout pars omissa notabilis est vel exigua. De gravitate autem partis omissae non solum ex diuturnitate, sed maxime ex eius dignitate statuendum est; quare tertia pars missae censetur notabilis, et, si est ex dignioribus, etiam minor partem notabilem constituere potest. Itaque

a. Pars exigua: cuius omissio peccatum leve est: ab initio usque ad Credo inclusive vel ad offertorium exclusive; omnia post communionem; usque ad epistolam exclusive et simul ea, quae communionem sequuntur; solum offertorium; sola praefatio.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 773 ss. *Génicot* I. n. 431.

[2]) C. *Missas* 64. de cons. d. 1.

[3]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 781.

b. Pars notabilis: α. *ratione durationis:* ab initio usque ad offertorium inclusive; omnia ante evangelium et simul ea, quae sequuntur communionem; β. *ratione dignitatis:* a praefatione exclusive usque ad consecrationem; a consecratione usque ad Pater noster; consecratio et communio simul, etsi intermedia audiantur; sola consecratio non tamen (saltem probabiliter) sola communio. — Qui ante consecrationem egreditur ex ecclesia et finita consecratione statim ingreditur, in rigore praecepto non satisfacit. Quia tamen tempus, quo abest, admodum breve est, non est necessario cogendus, ut alteri sacro intersit, dummodo consecratio et communio non simul omittantur[1]).

c. Ad *determinandum peccatum* eorum, qui serius, incepto iam sacro, ad ecclesiam veniunt, non tam ad partem sacri omissam attendendum est, sed praecipue ad maiorem minoremve negligentiam in curanda missae integritate et ad praevisionem periculi, cui voluntariae se exposuerunt non audiendi integram missam[2]). Qui enim existimat se omissurum exiguam tantum partem, nisi citius se expediat, leviter peccat, etsi post offertorium tandem venerit; qui vero dubitat vel existimat se omissurum notabilem partem, nisi citius se expediat, et hoc culpabiliter negligit, graviter peccat, etsi ad Gloria venerit.

Num satisfaciat praecepto, qui duas missas dimidias audit. — Certe non satisfacit, si eas *simul* audit, quia missa natura sua ex partibus successivis constat[3]). Si eas *successive* audit et consecratio et communio habentur in eadem missa, satisfacit, quia unam integram missam audit; si autem consecratio et communio non habentur in eadem missa, non satisfacit, quia partes non constituunt unum et integrum sacrificium; ecclesia autem praecipit assistere uni et integro sacrificio.

4. Ex his colligitur *obligatio supplendi,* ubi fieri potest, defectum in alia missa, si quis partem missae, cuius consecrationi et communioni interfuit, omisit: cum enim quilibet teneatur audire missam integram, qui omisit partem notabilem, sub gravi, qui partem exiguam, sub levi eam supplere tenetur; parum tamen pro nihilo reputatur, et ab obligatione supplendi levem defectum rationabilis causa excusat.

---

[1]) *Suarez,* De eucharistia q. 88. sect. 2. n. 6.

[2]) *Génicot,* I. n. 339.

[3]) Ab *Innocentio XI.* proscripta est haec propositio (53); *Satisfacit praecepto ecclesiae de audiendo sacro, qui duas eius partes immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

265. Praesentia corporalis, quae sit saltem moralis; moraliter autem praesens censetur, qui *a.* cum celebrante moraliter coniungitur, et *b.* sive intra sive extra ecclesiam consistens celebrantem videre vel audire vel saltem ex signis assistentium missam sequi potest. Hinc satisfacit:

a. Qui est intra ecclesiam, etsi stet in choro post altare, vel post parietem aut columnam, vel in aliqua capella, ubi sacerdotem nec videre nec audire potest, modo vel ex sonitu campanulae vel ex signis aliorum, qui missam audiunt, deprehendat, quid a celebrante agatur. Pariter qui in magna ecclesia etiam longissime (ultra triginta passus) distat ab altari, in quo fit sacrum, modo advertere possit, quid agat sacerdos, quia moraliter cum celebrante coniunctus est[1]).

b. Qui est in sacristia vel in alio loco prope altare, ex quo sacerdotem videre possit, vel etsi sacerdotem, ianua clausa, videre non possit, modo audiat, quid in altari agatur. Item qui ab ecclesia ad breve tempus recedunt ad pulsandas campanas vel ab vinum afferendum, quia moraliter non recedunt: nam sacrificio cooperantur et ex intentione cooperandi recedunt.

c. Qui est extra ecclesiam sed prope ianuam, etsi clausam, modo auditu missam sequi possit. Pariter qui est in aliqua distantia ab ecclesia, quae multitudinem fidelium capere non potest, modo iunctus sit multitudini. Tandem etiam ille, qui ex fenestra domus privatae aspicit altare, etsi interiecta sit platea, modo domus ab ecclesia (ut habet *de Lugo)* non ultra triginta passus distet. Sed non satisfacit qui extra ecclesiam in distantia, quae triginta circiter passus superet, constitutus est, etsi missam sequi possit, quia moraliter cum celebrante non amplius coniungitur.

266. Locus debitus. 1. Praecepto audiendi missam fideles satisfacere possunt *in qualibet ecclesia vel in quolibet oratorio publico vel semipublico.*

a. Antiqua lex, qua fideles diebus dominicis et festis tenebantur missam audire in *ecclesia parochiali,* iam diu abrogata est tum per privilegia mendicantibus concessa[2]) tum per contrariam consuetudinem in toto orbe vigentem. Ideo episcopus suis fidelibus praecipere non potest, ut missam audiant in ecclesia parochiali, quia non potest abrogare universalem consuetudinem, quae iam induit naturam iuris communis[3]).

[1]) *S. Alphonsus* n. 312.

[2]) Constit. Pii V. *Etsi mendicantium* 16. maii 1567 § 2. n. 8.

[3]) *Benedictus XIV.* De synodo l. 14. n. 10.

b. Quod ex communi auctorum doctrina iam diu in praxim deductum est, quod nempe ad satisfaciendum praecepto sufficiat missam audire in *oratorio semipublico,* id nuper authentica s. sedis declaratione confirmatum est[1]).

2. Excluso speciali privilegio praecepto plene non satisfacit, qui missam audit in *oratorio privato*[2]): praeceptum enim duplex est, audiendi missam, eamque audiendi in loco debito; primo satisfacit, alteri non satisfacit.

Qui habet indultum oratorii privati, satisfacit praecepto ibi audiendo sacrum. Ut tamen constet, quinam et quando satisfaciant praecepto audientes missam in oratorio privato, consideranda sunt indulta. Ordinarie haec ex indultis colliguntur:

a. Una tantum missa eodem die celebrari potest.

b. Quolibet die una missa celebrari potest exceptis festis sollemnioribus. Festa autem haec sollemniora, quae excipiuntur, sunt: Nativitas Domini, epiphania, feria quinta in coena Domini, resurrectio, ascensio, pentecostes, immaculata conceptio, annuntiatio et assumptio b. Virginis, festum s. Ioseph, ss. ap. Petri et Pauli et omnium sanctorum, festum patroni loci[3]).

c. Quando autem indultum oratorii privati conceditur propter infirmitatem, nullus dies excipitur; quin etiam die nativitatis tres missae celebrari possunt.

d. Ut celebrare liceat in oratorio privato, requiritur, ut missae intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est; indultum vero principaliter concessum intelligitur iis tantum, ad quos breve concessionis dirigitur, illis nimirum personis, quae a tergo eiusdem brevis proprio nomine nuncupantur.

e. Praecepto satisfaciunt: α. illi, quibus indultum principaliter concessum est; β. eorum consanguinei et affines usque ad quartum gradum in eadem domo habitantes; γ. eorum hospites; δ. eorum familiares seu famuli, quorum servitium tempore missae actu est necessarium, sive eo quod missae ipsi inserviant, sive eo quod dominos comitari debeant.

---

[1]) S. C. R. 23. ian. 1899.

[2]) Oratoria, quae cum licentia s. sedis eriguntur in villis religiosorum, sunt oratoria mere privata, quia eiusmodi villae non sunt domus religiosae, sed domus profanae. Ideo in illis praecepto audiendi sacrum ab iis, qui ad religiosos non pertinent, satisfieri nequit, nisi per speciale privilegium id fuerit concessum, prout a *Gregorio XIII.* concessum est societati Iesu.

[3]) S. C. R. 10. apr. 1896. n. 3896.

3. Qui habet *privilegium oratorii privati,* non tenetur uti privilegio ad satisfaciendum praecepto, si ecclesiam adire non potest, etsi sacerdotem commode habere possit. Ad id non tenetur nec vi privilegii, quia nemo tenetur uti privilegio, nec vi praecepti, quod non obligat ad medium extraordinarium adhibendum, ut praeceptum observari possit.

Ex eadem ratione non tenetur sacerdos uti privilegio celebrandi in altari portatili (movibili) vel in oratorio privato ad satisfaciendum praecepto audiendi sacrum die festo.

Articulus secundus.

De causis a missa excusantibus.

267. Causae excusantes. Ab audiendo sacro generatim excusat quaelibet causa *mediocriter gravis* seu quodvis incommodum vel damnum notabile in bonis animae vel corporis proprii vel proximi[1]); cum enim praeceptum hoc non pertineat ad graviora, ab eius observatione excusat quaelibet causa vere gravis. Eiusmodi causae quatuor numerantur: *a.* Impotentia moralis; *b.* caritas; *c.* officium; *d.* consuetudo.

In diiudicandis in concreto causis excusantibus, utrum sint an non sint sufficientes, attendendum est tum *ad condicionem personae,* de qua agitur: quod enim uni grave est, alteri grave non est, tum ad eiusdem *statum conscientiae:* qui enim timoratae conscientiae est, non facile exaggerabit incommoda nec quaeret praetextus ad declinandam obligationem.

1. *Ratione impotentiae moralis,* qualis est quodvis grave incommodum, excusantur:

a. Qui ab ecclesia longe distant. Secundum *s. Alphonsum* omnes etiam sanos excusat iter pedestre unius horae cum quadrante et minor distantia, si tempestas est adversa vel si persona est viribus debilis; qui autem vehi possunt, non excusantur, nisi distantia sit saltem duplo maior.

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 324.

Bene addit *Busenbaum* in hac re habendam esse rationem consuetudinis loci: et sane in montanis nostrae regionis nemo se excusatum habet, eo quod ab ecclesia distat spatio horae cum quadrante, modo non sit affectae valetudinis.

b. Qui iacturam honoris timent, ut qui carent vestibus statui et condicioni convenientibus, puellae ex occulta fornicatione praegnantes, nisi summo mane missam audire possint.

c. Qui iter necessarium facere debent vel inceptum interrumpere nequeunt.

d. Qui iacturam in bonis fortunae timent: damnum emergens vel lucrum cessans. Iam vero damnum, quod quis subire debet, facilius excusat, quam lucrum cessans; notabilis autem iactura lucri certe excusat. Notabile lucrum pro diversitate status et condicionis diversum est.

Ut ergo lucrum cessans excuset, requiritur, ut sit lucrum *extraordinarium* et respectu determinati hominis *notabile,* cuiusmodi censetur lucrum, quod ordinario diei lucro saltem duplo maius est. Maior causa requireretur, si etiam labor servilis subiri deberet, et maior adhuc, si admiratio et scandalum populi timenda essent.

e. Infirmi et convalescentes, qui grave damnum sanitatis aut notabilem moram convalescendi timent.

α. Quando revera tale damnum timendum sit, iudicio prudentum determinari debet, nec est necessario recurrendum ad iudicium medici vel confessarii, sed ipse aegrotus de hac re iudicare potest, modo ad prudens iudicium ferendum capax sit. Generatim dici potest eum excusari, qui timet tale incommodum, propter quod omittere solet alia negotia aequalis laboris e. g. exitum ad negotia tractanda, ad necessaria emenda etc.[1]).

β. Ex medicorum mente *aër corruptus templi* revera incommodum plus minus grave afferre ideoque causa a templi frequentatione excusans esse potest. Illi ergo, qui in ecclesia notabile incommodum experiuntur ut angores vel deliquia, ab auditione sacri excusantur. Id raro hominibus sanis, frequentius his accidit, qui infirmae sunt valetudinis et nervorum irritationes facile patiuntur[2]).

f. Laborantes in officinis, in quibus opus inceptum deserere vel fornacem ardentem exstinguere nequeunt. Si autem necessitas laboris non urget, dominus officinae

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 803.

[2]) Cf. *Capellmann,* Medicina pastor. p. 90 s.

tenetur operariis permittere tempus opportunum, ut missam audire possint.

g. Uxores et filii ob gravem indignationem mariti vel parentum; milites, qui aut ducum vexationi aut commilitonum ludibriis diuturnis et valide molestis obnoxii essent.

2. *Ratione caritatis* i. e. ad subveniendum proximo in necessitate sive corporali sive spirituali excusantur:

a. qui infirmis assistunt;

b. qui proximo opem ferunt in incendio vel alluvione etc.;

c. qui sperant se posse sua praesentia peccatum impedire.

3. *Ratione officii* excusantur:

a. Milites in stationibus; custodes urbium, gregum, etiam singularum domorum, ubi unica tantum missa celebratur; superiores tamen curare tenentur, ut subditi missam audire possint.

b. Matres et nutrices, quae parvulos nec solos relinquere nec secum ferre possunt.

c. Famuli, qui ob necessarium ministerium impediuntur; si tamen sine magna molestia e. g. citius surgendo missam audire possunt, ad hoc tenentur. Quodsi ex domini mala voluntate impediuntur, oboedire possunt, si grave incommodum timent, propter leve autem incommodum non excusantur, sed illud patienter ferre debent. Si frequenter impediuntur, nacta opportuna occasione alium famulatum quaerere debent.

d. Qui cibos parare aut eiusmodi necessaria peragere debent; si tamen plura sacra fiant, curandum est, ut successive sacro intersint.

4. *Ratione consuetudinis* in quibusdam locis, ubi consuetudo viget, excusantur:

a. Puerperae, quae per mensem vel sex hebdomadas post partum e domo non egrediuntur.

b. Viduae, quae post mortem mariti per mensem domi manent.

c. Sponsae praesertim nobiles, quae ad ecclesiam non accedunt, quando earum nuptiae proclamantur.

Quaestio tertia.

De prohibitione operum servilium.

Articulus primus.

De operibus prohibitis.

268. Distinctio operum. 1. Triplex genus operum distinguitur: servilia, liberalia et media seu communia.

Servilia dicuntur, quae ad commoda corporis ordinantur, corporali labore potissimum exercentur et antiquitus a servis fieri solebant ut arare, fodere, serere.

Liberalia dicuntur, quae ad animi utilitates ordinantur, animae viribus potissimum exercentur et a liberis fieri solebant ut legere, docere, studere.

Communia dicuntur, quae partim commodis animae partim corporis inserviunt et tum a liberis tum a servis promiscue exercebantur ut venari, ludere, iter agere.

a. Patet opera servilia et liberalia ex ipso fine operis ab invicem distingui, non autem *ex intentione operantis nec ex mora temporis nec ex corporis defatigatione;* quare opus servile non desinit esse servile et prohibitum, eo quod gratis vel recreationis causa vel ex sancto fine aut brevi tantum tempore fit, et pari ratione opus liberale manet liberale et licitum, etsi propter mercedem et lucrum vel ex pravo fine exerceatur. Hinc e. g. vestes consuere servile est, etsi parvo labore, et iter pedestre facere liberale vel commune est, etsi magno labore peragatur.

b. Quaenam opera sint servilia et quaenam liberalia, in multis quidem ex eorum natura manifestum est; in aliis autem id non ex sola natura operis dependet sed multum deferendum est etiam *con-*

suetudini et aestimationi hominum: quapropter fieri potest, ut opus, quod ex se servile est, ex usu et aestimatione fidelium licitum sit; insuper ut in uno loco licite peragatur, quod in alio diebus festis prohibitum est.

2. His accedunt opera *forensia,* quorum nomine duplex genus actionum designatur: *a.* actiones iudiciales et *b.* actiones civiles seu mercatus; utrumque enim nomine fori significatur: locus, ubi habentur iudicia, et locus, ubi habentur mercatus.

269. Praeceptum abstinendi a certis operibus. 1. Diebus dominicis et festis prohibentur: *a. opera servilia,* et quidem per integram diem a media nocte usque ad mediam noctem, non autem opera *liberalia* nec *communia*[1]*; b. opera forensia:* licet enim haec opera non sint servilia, speciali tamen iure prohibentur[2]), quia propter nimias distractiones, quas afferunt, et propter contentiones et discordias, quas causare solent, religiosam quietem et mentis applicationem ad divina impediunt.

2. Praeceptum abstinendi ab operibus servilibus et forensibus *ex genere suo grave est.* Materiam gravem ex sententia nunc recepta constituit labor duarum circiter horarum, ita ut grave peccatum sit labor (sive continuus sive interruptus), qui duas horas multum excedit (duas cum dimidia) in labore valdè servili, et labor, qui ad tres circiter horas se extendit, si labor minoris sit contentionis corporalis. In operibus autem forensibus gravitas materiae non tam ex mora temporis, quam ex qualitate operis desumitur, ut si causa publice ageretur.

Qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam, graviter per se non peccat, quia opera famulorum, sive simul sive successive laborent, ad materiam gravem efformandam non uniuntur; graviter autem peccaret, qui die festo uni famulo mandaret pluries laborare usque ad materiam gravem[3]).

---

[1]) C. Omnes 1. *De feriis* (II. 9)
[2]) Ibid.
[3]) *S. Alphonsus* n. 206.

270. Opera servilia, liberalia et communia.

a. Certo servilia sunt: *opera ruralia* ut arare, fodere, serere, metere etc.; *artes mechanicae* ut opera artis caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, textoriae, sculptoriae, typographicae etc.; *labores operariorum* in fabricis, fodinis, fusoriis etc.; *leves labores manuales,* etsi exigua corporis fatigatione fiant, ut conficere rosaria, scapularia, flores artificiales etc., item decerpere rosas, decorticare poma etc.

b. Certo liberalia sunt *opera litterarum et artium:* studio litterarum vacare, docere (etiam pro mercede), canere, instrumenta musica pulsare, delineare (Zeichnen), scribere, transcribere, choreas agere etc.

c. Quae certo communia sunt, non prohibentur, etsi cum magna defatigatione corporis fiant: iter facere pedibus, equo, curru, navi; item venari, aucupari, piscari hamo vel arundine vel parvis retibus, non autem magnis retibus cum magno apparatu et magno labore.

Cum *iter agere* quocunque modo diebus festis liceat, licita sunt etiam ea omnia, quae *ad hunc finem obtinendum necessaria sunt,* etsi natura sua (ut remigare) servilia sint. Ergo nostro tempore licite suscipiuntur labores, qui ad viatores sive via ferrea sive navi vaporaria transvehendos necessaria sunt.

d. Plura sunt opera, quorum indoles *dubia* est: in his diiudicandis attendendum est tum ad naturam operis tum praesertim ad consuetudinem sive universalem sive particularem regionis. Itaque

Delineare i. e. delineationes aedificiorum exarare (Entwürfe, Baupläne ausarbeiten) licitum est, cum sit opus liberale, in quo magis mens exercetur quam corpus.

Sculpere ars liberalis et licita est, solum si agitur de ultima operis perfectione: alias ex communi hominum aestimatione ad artes mechanicas pertinet.

Penicillo pingere (malen) videtur esse opus liberale, quia magis ordinatur ad exprimendos conceptus mentis quam ad operandum; ideo diebus festis pingere licet, exceptis iis actionibus, quae multo labore fiunt ut colores miscere, tabulas praeparare, dealbare muros et universim ea, quae artificum laborem diurnum per hebdomadam constituunt.

Acu pingere (sticken) non videtur esse opus servile[1]). Ideo permitti potest, ubi hoc opus casu et per accidens suscipitur; at permitti nequit, ubi laborem diurnum constituit. Alia opera manualia feminarum ut *acu texere* (stricken, häkeln) per se servilia et prohibita sunt.

Photographia videtur esse opus medium excepto apparatu, qui praerequiritur et multum laborem exigit.

Typographia certe ars mechanica est; ideo librorum impressio diebus festis prohibetur, nisi excuset necessitas ut in imprimendis ephemeridibus, quae quotidie apparere debent. Sunt tamen, qui typorum collocationem permittant, nisi in publica officina a multis fiat, quia transscriptione, quae non prohibetur, similis est[2]).

Molere non licet, cum sit opus servile; si tamen mola agitatur vento vel aqua ideoque modicus hominum labor requiritur, accedente consuetudine permitti potest.

271. Actiones iudiciales. Prohibentur actus iudiciales omnes, qui cum strepitu iudiciali fiunt, sive causa est civilis sive criminalis, sive saecularis sive ecclesiastica; actiones autem, quae sine strepitu fiunt, non prohibentur.

a. Strepitus iudicialis requiri dicitur in exercitio iurisdictionis litigiosae, ubi scilicet processus iudicialis instituitur, non autem in exercitio iurisdictionis voluntariae, ut est dispensare, absolvere etc.

b. Actus iudiciales prohibiti, in quibus ipse strepitus iudicialis consistit, sunt: citare partes, examinare testes, exigere iuramentum iudiciale, proferre aut exsequi sententiam. Actiones, quae sine strepitu fiunt, hae sunt: advocatum consulere, iudicem informare, appellationem interponere etc. Actiones iudiciales non solum prohibentur, sed etiam annullantur; mercatus vero solum prohibentur[3]).

272. Actiones civiles seu mercatus. Hoc nomine duo prohibentur: nundinae publicae et actus mercandi i. e. contractus emptionis, venditionis, locationis etc. Hinc de iure non solum mercatus omnes tum annui tum hebdomadarii, sed etiam omnes contractus emendi, vendendi, locandi interdicuntur. Ex hodierna consuetudine autem servanda sunt, quae sequuntur.

a. Nundinae annuae (Jahrmärkte), in quibus res venduntur, quae pridie in locum nundinarum afferuntur, ubi exsistit consuetudo, diebus festis licitae sunt.

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 281.

[2]) *S. Alphonsus* n. 279.

[3]) C. Conquestus 5. *De feriis* (II. 9).

Nundinae hebdomadariae (Wochenmärkte) prohibentur[1]); quare si dies festus in diem nundinarum incidit, hae anticipari aut post diem festum transferri debent; si tamen magistratus aliud statuit, fideles propter necessitatem excusantur.

Publicae venditiones sub hasta non sunt licitae; in quibusdam locis tamen peractis divinis officiis tolerantur ob maiorem concursum emptorum.

Venditiones privatae non solum illarum rerum, quae ad usum quotidianum pertinent, sed etiam aliarum, etsi multum temporis requirant, ex consuetudine licitae sunt; venditiones autem in *officinis publicis* prohibitae sunt; quare mercatores officinas diebus festis claudere debent, nisi alicubi contraria vigeat consuetudo. In plerisque enim locis invaluit consuetudo aperiendi ad tempus officinas, tum ut vendantur, quae ad usum quotidianum requiruntur, tum in gratiam praesertim illorum emptorum, qui aliis diebus ad officinas accedere nequeunt.

b. Contractus sollemnes venditionis, emptionis, locationis etc., qui scilicet fiunt cum instrumentis a notariis confectis et cum auctoritate publica, diebus festis prohibentur, nisi ob contrariam consuetudinem liciti sint.

Privati contractus venditionis etc., qui sine instrumentis publicis privata auctoritate fiunt, ex universali consuetudine permittuntur; sic passim diebus festis conducuntur operarii, emuntur iumenta, venduntur equi, locantur domus etc., immo teste s. *Alphonso* (n. 286) fert consuetudo, ut contractus celebrentur etiam per instrumenta ut sponsalia, venditiones, testamenta etc.

Ex his iam colligitur, quid de *actibus notariorum* dicendum sit. Scilicet contractus venditionis, locationis etc. diebus festis per se sub nomine mercatus prohibentur; paulatim ex consuetudine factum est, ut eiusmodi contractus sine instrumentis et sine auctoritate publica notarii licite inirentur; tandem consuetudo effecit, ut contractus celebrari possent etiam cum instrumentis a notariis confectis, modo ne requiratur strepitus iudicialis.

[1]) Constit. *Ab eo tempore* Benedicti XIV. 5. nov. 1745 n. 26.

Articulus secundus.

De causis a labore excusantibus.

273. Causa ab hac lege excusans universim gravis esse debet, et quo diutius labor protrahitur, eo gravior causa requiritur. Ipsum ius canonicum duplicem causam excusantem commemorat, *pietatem* ac *necessitatem*[1]) (propriam, alienam, communem), quibus addenda est *consuetudo*.

Quamvis exsistente causa sufficienter gravi fideles per se a lege excusati sint, propter periculum hallucinationis tamen monendi sunt, ut nihilo minus parochum interrogent, num in his adiunctis laborare liceat, vel potius ut dispensationem petant. Quod quidem tum potissimum fieri debent, cum de laboribus publicis agitur, ut hac ratione periculum scandali praecaveatur.

Ratione pietatis liciti sunt labores, qui necessarii sunt ad cultum divinum hic et nunc exercendum. Itaque

a. Permittuntur opera servilia, quae *proxime* ad cultum divinum ordinantur ut pulsare campanas, gestare crucem aut vexillum in processionibus etc.

b. Prohibentur autem ea, quae *remote* tantum ad cultum divinum concurrunt, ut parietes dealbare, templum aedificare, lapides et ligna vehere ad aedificium templi, ornamenta ecclesiae conficere; attamen ut paramenta et ornamenta (casulae et alia paramenta, flores, purificatoria, corporalia, tapeta etc.) pro aliqua ecclesia paupere conficiantur, permitti potest.

c. Actiones mediae inter eas, quae proxime, et eas, quae remote ad cultum divinum ordinantur, ut verrere templa, coquere hostias, ornare altaria et ecclesiam, tabulata erigere ad festivitatem necessaria etc. ex universali consuetudine nunc vigente pridie diei festi peragendae sunt; quodsi haec absque iusta ratione in ipsum diem festum differantur, veniale peccatum committitur, quamvis *s. Alphonsus* (n. 292) ex consuetudine tunc vigente id a peccato etiam veniali excuset, exsistente vero iusta ratione ipso die festo sine peccato fieri possunt.

274. *Ratione necessitatis propriae* excusantur:

a. Famuli, qui ab hero laborare coguntur nec facile aut brevi alium herum invenire possunt, nisi in contemptum religionis laborare cogantur.

---

[1]) C. Liceat 3. et C. Conquestus 5. *De feriis* (II. 9).

b. Pauperes, qui alias se suosque sustentare non possunt. *Matresfamilias,* quae vestes proprias vel filiorum reficiunt, si id aliis diebus facere non possunt. *Ancillae,* quibus per hebdomadam tempus non conceditur, ut vestes suas resarcire et lavare possint. *Operarii,* qui proprium hortum colunt, si per totam hebdomadam extra domum laborare debeant. Quae quidem ad vitandum scandalum occulte fieri debent.

c. Agricolae, qui ob praeteritam vel imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt, fructus decerpunt etc.

d. Rustici, qui in urbe ad victum vel vestitum sibi necessaria emunt, si solum diebus festis in urbem migrare possunt.

Num excuset ratio vitandi otii. — Sola ratio vitandi otii ab hoc praecepto non excusat: aliis enim occupationibus iisque licitis otium abigendum est. Quodsi quis aliis rebus sine difficultate occupari non posset, et praesertim si subsisteret periculum damni spiritualis seu peccati ex ludis vel conversationibus periculosis, ratio sufficiens adesset permittendi leves labores per aliquod tempus *domi* peragendos (quo nempe scandalum praecaveatur).

Sic *operario,* qui, nisi aliquo labore occupetur, solet adire cauponas et inebriari, potest permitti aliquis labor domesticus. Piis mulieribus, quae de otio dierum festorum conqueruntur, nec tamen in tentationibus ad peccatum causam excusantem laboris habent, potest consuli, ut ornamenta pro ecclesiis aut vestes pro pauperibus conficiant[1]).

275. *Ratione necessitatis alienae* excusantur:

a. Sartores (sutores), qui conficiunt vestes necessarias ad funera vel nuptias, quas pridie perficere non poterant; ex hac ratione autem, quod vestes promiserant, non licet ipsis laborare, nisi alias grave damnum passuri essent: curare enim debent, quantum sine gravi damno possunt, ne assumendo laborem, quem ante diem festum perficere non possunt, in hanc necessitatem se coniiciant.

[1]) *Génicot* I. n. 337.

In praxi confessarius severum se exhibeat erga eos, qui *consuetudinem* diebus festis laborandi contraxerunt, facilem cum iis, qui *interdum* id faciunt: hi enim, non illi iure excusari solent[1]).

b. Qui opera misericordiae quamvis servilia in subsidium pauperum exercent ut vestes conficere, ligna advehere etc., quando ratione necessitatis propriae ipsi pauperes pro se laborare possent.

α. Non solum pro determinato paupere, sed etiam *pro pauperibus* in genere in communi necessitate exsistentibus licitum est vestes et alia, quae pauperum usibus deserviunt, conficere; at non licet laborare ad lucrandam pecuniam postea inter eiusmodi pauperes distribuendam, nisi in gravi vel extrema necessitate versentur, quia ipsis pauperibus in his adiunctis id liceret.

β. Ratione necessitatis alienae licita sunt etiam exercitia, quae diebus festis instituuntur *a societatibus exstinguendis incendiis destinatis* (Feuerwehr), cum illa exercitia diebus ferialibus ab hominibus aliis laboribus impeditis fieri non possint. At vero cavendum est, ne a functionibus ecclesiasticis retrahantur, nec qui exercitia peragunt, nec qui ad ea spectanda concurrunt.

c. Fabri, qui instrumenta reparant, quibus agricolae vel opifices sequenti die indigent.

d. Qui in necessitate extraordinaria et urgenti ut incendio, inundatione vel alio infortunio viam reparant, pontem reficiunt vel alio modo succurrunt.

276. *Ratione necessitatis (utilitatis) communis* excusantur:

a. Pistores, qui panem et placentas conficiunt, tum ratione consuetudinis tum ratione necessitatis; aliis autem non licet panem conficere nec pistoribus alios cibos, quibus eo die nec ipsi nec alii indigent.

b. Laniones, qui animalia occidunt et excoriant, ubi pridie id fieri non potuerit, ut in magnis civitatibus; non autem in oppidulis, nisi occurrant plura festa.

c. Qui in publica sollemnitate profana e. g. ob adventum principis, ob victoriam praeparant et conficiunt ea, quae necessaria sunt ut arcus triumphales, ignes artificiales, vestes, ornatus etc.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 765.

Haec quidem per se antea praeparari debent, ne dies festus laboribus servilibus profanari debeat; attamen si sive culpabiliter sive absque culpa parata nun fuerant, non est necesse, ut sollemnitas propterea omittatur, sed die festo licite fieri possunt: sollemnitatem enim omittere reipublicae grave incommodum est, ad quod subeundum praeceptum ecclesiae non obligat. Qui tamen eiusmodi labores de industria sine causa sufficienti in diem festum differunt, per se graviter peccant.

277. *Ratione consuetudinis: a.* Licet *cibos parare*, etsi ad lautiora prandia maiore labore indigeant. Ea, quae servilia sunt ut animalia minora occidere et excoriare, pridie peragi debent, si commode fieri potest; quodsi pridie, etsi culpabiliter, factum non sit, die festo sine peccato fieri potest. Licet *lectos sternere* et *vestes* scopulis *mundare*.

b. Barbitonsores licite barbam radunt et capillos tondent.

c. Licet *currus vel navigia onusta ducere* non solum quando iter continuatur, sed etiam quando die festo inchoatur, et perfici possunt labores in hunc finem necessarii.

d. Labores leves ut conficere rosaria, scapularia, flores artificiales etc. per se quidem serviles sunt et proinde illiciti, praesertim si exerceantur, ut per hebdomadam fieri solet a mulieribus in unum collectis; si tamen privatim fiant, ex consuetudine liciti esse possunt[1]).

[1]) Cf. *Gury-Ballerini* I. n. 356. 2.

Liber quartus.

De quarto decalogi praecepto[1]).

„Honora patrem tuum et matrem tuam."
Ex. 20, 12.

Hoc praeceptum quatenus *affirmativum* est, directe praecipit, ut debitus cultus exhibeatur parentibus; indirecte autem praecipit etiam ea, ad quae parentes tenentur erga filios suos; et quatenus *negativum* est, prohibet, ne iidem parentes irreverentia vel iniuria afficiantur. Nomine *parentum* veniunt non solum parentes carnales, qui proprie ita vocantur, sed etiam omnes alii superiores tum spirituales tum saeculares, qui improprie parentes dicuntur, quia paternae dignitatis et auctoritatis aliquo modo sunt participes.

Quartum praeceptum, quod relationem ordinat atque determinat erga alios homines, eosque superiores, qui nobis sunt principium vitae et gubernationis, obligationes sociales praescribit, quae homini competunt prout est membrum duplicis societatis, familiae scilicet et civitatis. Has obligationes adimplens potissimum exercet virtutem *pietatis*. Quae virtus, cum exhibeat cultum iis, qui nobis sunt principium vitae, nacta est promissionem vitae: *Honora patrem tuum et matrem tuam. . , ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram*[2]).

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 101—105. *S. Alphonsus* l. 2. n. 333—355. *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 46. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moralis decalog. I. tract. 3. n. 612—690. *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor.[3] II. n. 815—847. *Génicot,* Theologiae moralis instit.[4] I. n. 345—359.

[2]) Ex. 20, 12; Ephes. 6, 2 s.

Quaestio prima.

De pietate, observantia et oboedientia.

278. De pietate. 1. Pietas definitur virtus moralis, qua parentibus et patriae debitus cultus tribuitur.

a. Pietas triplici sensu accipitur: α. pro *religione* seu cultu divino, quo sensu in s. scriptura dicitur: *pietas ad omnia utilis est*[1]); β. pro *misericordia* seu pro affectu benignitatis, quo sensu Deus dicitur pius et misericors[2]); γ. pro *speciali virtute*, qua parentes et patriam colimus tamquam ortus nostri principium.

b. Deus, qui est supremum principium vitae et gubernationis, per creaturas, tamquam principia secundaria, aliis communicat vitam eosque gubernat. Quemadmodum ergo Deo tamquam supremo principio vitae et gubernationis debetur cultus, qui exercetur per virtutem *religionis*, ita parentibus et patriae debetur cultus, qui exercetur per virtutem *pietatis*[3]).

c. Virtus pietatis non solum a liberis erga parentes, sed etiam a coniuge erga coniugem et a parentibus erga filios exercetur; quare officia, quae a parentibus debentur filiis et quae a coniuge debentur coniugi, *officia pietatis* dicuntur.

2. Pietatis *obiectum materiale* constituunt illi actus, quibus parentes coluntur, scilicet amor, reverentia et oboedientia; obiectum *formale* est naturalis honestas, quae in hoc cultu deprehenditur: naturalis enim ratio intelligit propter specialem relationem superioritatis, qua parentes tamquam vitae et educationis principium referuntur ad liberos, eis honorem et cultum deberi.

Pietas erga parentes differt *a caritate proximi*, quia pietas parentes colit, praecise quatenus sunt auctores vitae et educationis; et pietas erga patriam differt *a iustitia legali*, quia huius motivum est bonum communitatis, cuius aliquis est pars, per legum observantiam potissimum procurandum; illius autem motivum est bonum, quod patria confert ad originem et educationem nostram tam corporalem quam spiritualem. Hinc est, quod patriae pietatem etiam is exhibere

---

[1]) 1. Tim. 4, 8.
[2]) Eccli. 2, 13.
[3]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 101. a. 1.

debeat, qui paternum solum reliquit; iustitiam legalem autem solum is exercere tenetur, qui actu est pars communitatis, etsi in ea nec natus nec educatus sit.

Nota. *Peccata contra pietatem. a.* Peccata *contra parentes* commissa specificam malitiam laesae pietatis induunt, si malum, quod eis infertur, immediate laedit eorum personam vel bonum personale (vitam, incolumitatem, honorem, famam); ideo peccata odii, vulnerationis, detractionis etc. sunt contra pietatem; minime vero peccata furti. Simile quid dicendum est de peccatis, quae a parentibus contra filios committuntur.

b. Peccata *contra fratres vel sorores* commissa, etsi eorum bona personalia laedant, gravem malitiam laesae pietatis non induunt, nisi malum gravissimum ut vulneris valde gravis, occisionis, notabilis diffamationis eis inferatur. Coniunctio enim cum fratribus non est tanta, quanta cum parentibus, ideo malum, quod parentibus irrogatum sufficit ad constituendam aliam speciem peccati, fratribus irrogatum non sufficit, sed maius requiritur. — Peccata *contra consanguineos* in remotioribus gradibus commissa specialem malitiam contra pietatem non inducunt[1]).

279. De observantia. 1. Observantia (Hochachtung) definitur virtus moralis, qua superioribus et personis in dignitate constitutis debitus cultus exhibetur.

Id, quod haec virtus in personis in dignitate constitutis potissimum respicit, est *gubernatio;* nihilominus hac virtute non solos superiores colimus, sed omnes, qui aliqua excellentia praediti sunt: illos quidem, quia actu nos gubernant, hos vero, quia propter suam excellentiam idonei sunt, qui nos gubernent[2]).

2. Prout diversa est haec dignitas personae, diversa distinguitur observantia: *a. civilis,* si dignitas est humana ut in regibus, heris, praeceptoribus; *religiosa,* si dignitas est cum religione coniuncta ut in papa, episcopis, sacerdotibus. *b.* Religiosa vel est *naturalis* vel *supernaturalis,* prout religio naturalis vel supernaturalis est; ad hanc refertur etiam cultus, quem deferimus sanctis et *duliam* vocamus.

3. Eius *obiectum materiale* est honor et cultus exhibendus superioribus aliisque personis in dignitate con-

[1]) Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 16. n. 299. 307.
[2]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 102. a. 1.

stitutis; obiectum *formale* est honestas, quae in hoc cultu deprehenditur: ratio enim intelligit honorem et submissionem deberi iis, qui post Deum superiores nostri sunt et ad debitum finem nos gubernant.

Observantia a pietate ex motivo distinguitur: pietas enim parentibus debetur, quia sunt auctores vitae nostrae; observantia superioribus debetur, quia nos gubernant. Quatenus parentes liberos suos sub paterna potestate adhuc constitutos gubernant, eis a liberis debetur observantia; verum haec virtus in liberis a pietate non distinguitur, quippe quae „altiore et eminentiore modo etiam id contineat, quod est observantiae honestas“ [1]).

280. De oboedientia. 1. Oboedientia definitur virtus moralis, qua voluntati superioris obtemperamus.

a. Eius *obiectum materiale* est id, quod vult superior sive voluntate praecepti sive voluntate consilii aut beneplaciti; obiectum *formale* est naturalis honestas, quae in eo est, quod homo se conformet voluntati superioris, sive is praecipit sive non, modo potestatem praecipiendi habeat, cum superioris voluntas sit quaedam regula subditi.

b. Utrum *oboedientia proprie dicta* exigat verum praeceptum superioris, an vero ad eam sufficiat manifestatio voluntatis citra praeceptum, disputant. *Lessius* quidem censet (n. 27) oboedientiam exigere verum praeceptum; *Lehmkuhl* autem censet (n. 779) actum verae oboedientiae praestare eum, qui exsequitur voluntatem superioris etiam non praecipientis, quia se subiicit voluntati eius, qui ius et potestatem praecipiendi habet.

2. Ad satisfaciendum praecepto oboedientiae necesse non est, ut opus iniunctum ex motivo oboedientiae fiat, sed satis est, ut opus praeceptum ex honesto fine ponatur; quod si fiat ideo, quia praeceptum est, erit *actus specialis virtutis oboedientiae.*

3. Speciale *peccatum inoboedientiae* tum solum committitur, cum quis non oboedit ex contemptu praecepti vel praecipientis seu cum quis non oboedit, quia praeceptum est.

a. In omnibus quidem peccatis reperitur materialis seu generalis aliqua inoboedientia, non autem formale seu speciale peccatum inoboedientiae, nisi accedat contemptus. Omissio operis praecepti est peccatum contra eam virtutem, ad quam pertinet ipsum opus praeceptum, si superior potestate legislativa pollet eaque praecipiendo usus est.

[1]) *Lehmkuhl* I. n. 778.

alias est peccatum contra eam virtutem (religionem, pietatem etc.), ex qua oboedientia debetur.

b. Quoniam formale peccatum inoboedientiae involvit contemptum legis aut legislatoris seu auctoritatis ipsius, patet peccatum inoboedientiae semper esse *grave peccatum.*

Quaestio secunda.

De obligationibus in societate domestica.

281. Ex dispositione divina homo suapte natura socialis in societate vitam agere debet, ut finem suum tum immediatum huius tum ultimum alterius vitae assequi possit. Ex hac naturali hominis socialitate factum est, ut homo semper et ubique in duplici societate vixerit ac porro vivat, in societate domestica et civili. Prima societas aliarumque societatum, civilis et ecclesiasticae, fundamentum et condicio essentialis est *societas domestica*, quae ex triplici elemento sociali componitur: ex *societate coniugali,* quae in coniunctione viri et uxoris consistit; ex *societate parentali*, quae parentes inter et liberos oritur; ex *societate herili,* quae inter dominum et famulos exsurgit. Ex hisce tribus societatibus *familia* complete constituitur. Ergo triplicis generis obligationes intra familiam habentur: obligationes coniugum, obligationes parentum et filiorum, obligationes dominorum et famulorum; et propter analogiam hinc quidem parentum et filiorum cum magistris et discipulis, inde vero dominorum et famulorum cum heris et operariis, hoc loco etiam de obligationibus magistrorum et discipulorum et de obligationibus herorum et operariorum agendum erit.

Articulus primus.

De obligationibus coniugum.

Radix obligationum, quae coniugibus incumbunt, est matrimonium, quo societas domestica constituitur. Obli-

gationes autem, quae ex hac radice promanant, sunt triplicis generis: aliae nempe ad *personas*, aliae ad *bona*, aliae ad *corpus* coniugum referuntur. Solum obligationes primi generis ad hoc praeceptum pertinent, quarum aliae quidem mutuae, aliae vero alterutri coniugum propriae sunt.

282. Obligationes mutuae. Cum matrimonium christianum, in quo obligationes istae fundantur, sit imago unionis Christi et ecclesiae, cui Christus se totus communicavit, inter coniuges vigere debet perfectissima unio atque communio tum animorum tum corporum.

1. Tenentur ergo coniuges ad *mutuum amorem:* Viris praecipitur, *ut uxores suas diligant,* uxoribus *ut viros suos ament*[1]). Tam intima esse debet haec unio amoris, ut coniux coniugem in amore effectivo seu in ferendo auxilio vel ipsis parentibus et liberis praeferre debeat, nisi hi sint in extrema necessitate.

Ideo contra pietatem peccant coniuges, qui se odio prosequuntur, rixis et conviciis se offendunt, calumnias spargunt, zelotipia, duritie, neglectu officiorum alteri parti vitam valde molestam reddunt.

2. Tenentur *ad mutuum adiutorium* sibi ferendum tum quoad corpus tum quoad animam[2]).

Coniuges non solum se complent, quatenus sunt principium generationis, sed etiam in actionibus et necessitatibus vitae humanae. In opere salutis se promovent, eo quod pro se invicem orant, nec non verbo et exemplo se iuvant, praesertim vero eo quod defectus ex fragilitate humana commissos patienter ferunt.

3. Tenentur ad *debitum coniugale* sibi mutuo reddendum nec non ad *fidem coniugalem* servandam[3]); unde fit, ut omne peccatum sive internum sive externum cum alia persona vel circa aliam personam contra castitatem commissum, rationem *adulterii* habeat.

4. Cum his obligationibus aliter satisfacere non possint, tenentur coniuges ad *communem habitationem,* quin etiam ad *communem mensam et torum*[4]).

[1]) Cf. Eph. 5, 25; Col. 3. 18; Tit. 2, 4; 1. Tim. 2, 15.
[2]) Gen. 2, 18.
[3]) 1. Cor. 7, 4.
[4]) Cf. Matth 19, 5.

a. Haec tamen obligatio non eodem modo afficit maritum et uxorem. Electio enim domicilii ad maritum pertinet, ad domicilium vero electum uxor maritum sequi debet, etsi sine iusta causa domicilium mutet. Maritus autem non tenetur sequi uxorem alio migrantem, nisi migratio fiat ex causa necessaria.

b. Possunt coniuges ex mutuo consensu se invicem separare etiam ad longius tempus, nisi adsit periculum incontinentiae vel educatio liberorum inde detrimentum patiatur; nequit autem sine gravi culpa unus coniugum ad longum tempus altero invito discedere, nisi adsit gravis causa. Et quamvis vir ad breve tempus per se etiam inscia et invita uxore abesse possit, attamen attenta relatione amoris inter coniuges non decet, ut vir inscia uxore ne ad diem quidem absit.

283. Obligationes et iura mariti. 1. Marito ex legitimo matrimonio competit *potestas maritalis,* vi cuius est caput uxoris, quae in gubernatione rei domesticae et familiae ei vere subiicitur; ipse vero uxorem protegere et tamquam coniugem ac sociam tractare debet.

Etsi in potestate maritali potestas coërcitiva non contineatur, maritus tamen ius habet exigendi ab uxore non solum reverentiam et oboedientiam, sed etiam statui et condicioni convenientem laborem.

2. Tenetur uxorem alere, victum, vestitum, habitationem et alia ad vitam necessaria praestando, ut secundum condicionem suam domi et foris vivere possit.

Peccat, si uxorem pro ratione status de necessariis ad victum et vestitum providere renuit aut negligit, etsi eam sine dote duxerit; si gubernationem domus et rem familiarem non curat; eam dure ad instar ancillae tractat; si ab ea exigit, quae mulieres eiusdem dignitatis et condicionis praestare non solent.

3. Marito competit *potestas patria* in liberos, vi cuius non solum res et actiones, sed etiam personas eorum in bonum familiae ordinare potest.

Hanc potestatem ultra iustos limites extendebant non solum antiqui populi pagani, qui contra ius naturae potestatem sibi vindicarunt liberos suos occidendi et vendendi, sed etiam mediae aetatis populi christiani, qui pro liberis suis sponsalia et matrimonia contrahebant vel eos monasteriis offerebant.

284. Obligationes et iura uxoris. 1. Quamvis uxor marito sit *subiecta,* ipsa tamen mariti coniux est, non concubina, mariti socia non ancilla, et tamquam mater ius habet educandi prolem, utique dependenter a patre.

Ex modo, quo Deus primos parentes condidit, patet dominatum competere viro: non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro[1]); insuper Deus eandem quidem naturam dedit mulieri, hanc tamen in adiutorium addidit viro: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*[2]*); Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*[3]). *S. Paulus* tum expresse virum caput mulieris appellat[4]), tum implicite, eo quod unionem viri et mulieris comparat coniunctioni Christi et ecclesiae, cuius Christus est caput[5]). Unde infert: *sicut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus*[6]). Quod ex revelatione discimus, docet etiam rei natura: societas enim domestica, ut quaevis societas, indiget auctoritate; auctoritas autem domestica ex institutione naturae in viro est.

2. Ius habet accipiendi a marito *congruam sustentationem;* item ius et obligationem curandi rem familiarem cum debita tamen dependentia a marito[7]).

Peccat, si ex bonis familiae expensas facit absque consensu mariti et contra consuetudinem mulierum eiusdem condicionis; si imperium vel administrationem domus sibi arroget, excepto casu, quo vir eam negligat vel ad eam ineptus sit; si curam familiae vel negotia domestica omittat.

3. Ordinarie sequi tenetur domicilium, quod maritus tamquam caput familiae elegerit.

De emancipatione feminarum[8]).

285. Status quaestionis. 1. Theoriae supra expositae de viro capite familiae, cui subiecta esse debet mulier, vehementer adversantur omnes, qui feminas aequandas

[1]) 1. Cor. 11, 8.
[2]) Gen. 2, 18.
[3]) 1. Cor. 11, 9.
[4]) 1. Cor. 11, 3.
[5]) Eph. 5, 23.
[6]) Eph. 5, 24.
[7]) Col. 3, 18; 1. Petr. 3, 1.
[8]) *Rösler,* Die Frauenfrage[2] (Freiburg Herder. 1907); *Cathrein,* Die Frauenfrage (Freiburg Herder. 1901); *Mausbach,* Die Stellung der Frau im Menschheitsleben (M. Gladbach. Zentralstelle. 1906); *Gnauck-Kühne,* Die deutsche Frau um die Jahrhundertwende (Berlin. Liebmann. 1907); *Gnauck-Kühne,* Die soziale Lage der Frau (Berlin. Liebmann. 1895); *Molsberger,* Ratschläge zur Berufsfrage der Frau (Köln. Bachem); *Bebel,* Die Frau und der Sozialismus [43] (Stuttgart. Dietz).

esse contendunt viris, adeo ut iisdem iuribus fruantur eodemque loco habeantur viri ac feminae. Quandoquidem triplex ordo distinguitur, in quo feminis tribui possunt iura cum viris aequalia, ordo *domesticus*, ordo *socialis* (oeconomicus), ordo *politicus,* aequalitas inter virum et feminam potest esse plus minusque perfecta, prout ad omnes ordines, vel ad unum alterumve tantum extenditur.

2. Cum nunc inter virum et mulierem non vigeat aequalitas, sed in societate domestica mulier subiiciatur viro, in aliis vero vitae ordinibus deterioris sit condicionis, studium introducendi aequalitatem vocatur *feminarum emancipatio,* quae magis vel minus perfecta est, prout solum politica et oeconomica, vel etiam domestica emancipatio intenditur.

3. Diversae sunt in hac quaestione auctorum studia atque sententiae. Alii perfectam exigunt aequalitatem viri et mulieris in vita domestica, oeconomica et politica, adeo ut mulier non solum ius suffragii acquirat, sed etiam ad gerenda officia publica admittatur, easdem artes et negotia exercere possit, quae a viris exercentur, domi tandem non sit subiecta viro *(emancipatio radicalis).* Alii aequalitatem feminarum in ordine politico atque oeconomico potissimum exigunt. Alii tandem aequalitatem feminarum ad ordinem oeconomicum et socialem restringunt *(emancipatio moderata).* Omnes pariter aliam eamque perfectiorem feminarum educationem atque institutionem postulant. A moderata feminarum emancipatione, praesertim in ordine oeconomico et sociali, consideratis adiunctis nostri temporis, ne theologi quidem abhorrent.

286. Principia in hac quaestione tenenda haec sunt:

a. Uterque (vir et mulier) eandem possidet naturam eandemque personalitatem quoad substantialia aeque perfectam (persona humana), utrique eadem destinatio competit ad gratiam et gloriam (filius Dei, heres vitae aeternae), uterque suam salutem operari et perfectionem christianam adipisci potest et debet independenter ab altero, ideoque

ex hac parte eadem sunt utriusque officia et iura: *in Christo enim non est masculus neque femina*[1]).

b. Sed natura et persona humana, quae substantialiter eadem est, alio eoque diverso modo exprimitur, evolvitur et operatur in viro et in femina: magnae enim et manifestae sunt differentiae inter naturam femininam et masculinam, prout in concreto exsistit, tum quoad corpus tum quoad animam, et quoad animam tum in ordine intellectuali tum in ordine morali.

Proprietates naturae utrimque diversae ostendunt virum a natura destinatum esse, qui imperet et regat, feminam econtra, quae subiecta sit, adiuvet virum ab eoque gubernetur. Natura ergo confirmat condicionem mulieris supra expositam (n. 284), eandem confirmat etiam historia omnium temporum omniumque populorum.

c. In ordine sociali et politico femina excludenda est ab iis artibus et negotiis, ad quae, considerata eius natura, minus apta est quam vir et quae sine detrimento naturalis destinationis i. e. officii matrisfamilias exercere non potest: nihil autem obstat, quominus admittatur ad artes et negotia, ad quae vel aeque apta vel aptior est viro et quae sine dispendio officii matrisfamilias subire potest.

Articulus secundus.

De obligationibus filiorum et parentum.

§ 1. De obligationibus filiorum.

287. De obligationibus in genere. 1. Filii tenentur *ex pietate* parentibus exhibere *amorem, reverentiam* et *oboedientiam.* Fundatur haec obligatio in triplici peculiari relatione, qua filii ad parentes referuntur ratione *originis*, quam filii a parentibus trahunt, ratione *dignitatis*, qua parentes ipsis excellunt, et ratione *potestatis,* qua iidem filios educare et dirigere possunt et debent.

a. Filii alii sunt *legitimi,* qui in legitimo matrimonio ex marito eiusque uxore nascuntur, alii sunt *illegitimi,* qui extra legitimum ma-

[1]) Gal. 3, 28.

trimonium generantur. Illegitimi alii sunt *naturales*, qui nati sunt ex viro et muliere, inter quos tunc matrimonium iniri potuisset, quare inito matrimonio filii eo ipso legitimantur; alii sunt *spurii*, qui nati sunt ex viro et muliere, inter quos matrimonium iniri non potuisset, ut sunt nati ex adulterio, ex incestu, ex fornicatione sacrilega, quare spurii legitimari non possunt. Ad filios legitimos numerantur etiam filii naturales *legitimati* et filii *adoptivi*.

b. Inter patrem et filium tum debitum pietatis tum debitum iustitiae intercedit; unde fit, ut laesiones iustitiae quandoque duo peccata constituant. Si filius iniuste laedit patrem in bonis vitae, famae et honoris, duplex peccatum committit, contra iustitiam et pietatem, quia pater, ut *homo* est, ius habet in vitam, famam et honorem suum etiam relate ad filium et uxorem; et pater, ut *pater* est, peculiare ius habet exigendi reverentiam et oboedientiam a filiis suis (n. 279). Idem dicendum est, si e converso pater laedit filium in iisdem bonis, quia filius retinet ius suum etiam respectu patris. Sed si filius iniuste laedit patrem in bonis fortunae, non peccat contra pietatem sed solum contra iustitiam (n. 278), idque, minus quam per furtum adversus extraneos commissum; nam coniunctio naturalis inter patrem et filium efficit, ut bona patris sint aliquo modo etiam bona filii[1]).

2. Haec obligatio *ex genere suo gravis est*, adeo ut graviter peccet, qui in re notabili, et leviter, qui in re parva amorem, reverentiam et oboedientiam parentibus debitam laedit; facilius autem grave peccatum est, si erga parentes, quam si erga alios superiores haec officia laeduntur.

288. De obligatione amoris. 1. *Amor* filiorum erga parentes debet esse *internus*, quo eis bene velle, et *externus*, quo eis benevolentiam significare, eis benefacere et in necessitate sive corporali sive spirituali constitutis opem praestare tenentur.

a. Ideo contra pietatem graviter peccant filii, qui deliberate et in materia notabili indignatione, odio in parentes feruntur, eis malum exoptant, eos aspere tractant, habitualiter torvis oculis aspiciunt, amaris verbis colloquuntur, male de eis loquuntur, eos graviter contristant e. g. eo quod ludos frequentant, studium vel artem negligunt, sero domum se recipiunt etc.

b. Item graviter peccant, qui parentibus in gravi necessitate corporali vel spirituali non subveniunt, ut qui egentibus alimenta non

[1]) *Ballerini-Palmieri* III. n. 4.

suppeditant, non curant, ut in periculo mortis sacramenta suscipere possint, ut defunctis exsequiae eorum condicioni et loci consuetudini convenientes habeantur, eorum testamenta non exsequuntur, eorum debita sive sacra sive non sacra iuxta vires hereditatis non solvunt.

2. Cum obligatio a natura imposita praecedat omnem obligationem propria voluntate adscitam vel actionem, quae meri consilii est ut status religiosus, *non licet filio, parentibus in extrema vel gravi necessitate constitutis, religionem ingredi,* etiamsi voto ingressum promiserit, modo in saeculo manens parentibus succurrere possit. Et si invitis parentibus intrasset, sub gravi egredi tenetur, si parentum necessitas sit extrema, modo extra religionem efficacius eis succurrere possit. Quodsi parentum necessitas solum gravis est et tempore ingressus iam exstitit, pariter licentiam egrediendi petere tenetur; at si necessitas gravis tempore ingressus nondum exstitit, non tenetur quidem egredi, sed licentiam iuste petere et obtinere potest.

a. Ratio discriminis est, quia in primo casu tempore professionis filius iure naturae tenebatur succurrere parentibus; iam vero haec obligatio veluti anterior et naturalis praeferenda est obligationi voti, quae posterior et voluntarie assumpta est. In secundo casu vero obligatio post mutationem status supervenit; supervenienti autem obligationi non tenetur satisfacere, nisi in quantum salvo statu fieri potest[1]).

b. Frater fratri vel sorori in extrema et gravi necessitate subvenire tenetur ex pietate; haec tamen obligatio non est tanta atque ea, quae inter parentes et liberos exsistit. Ideo qui in religione professus est, tenetur quidem egredi, ut succurrat parentibus, at non tenetur egredi, ut succurrat fratri vel sorori in extrema vel gravi necessitate exsistentibus.

Num filius teneatur de suis bonis solvere debita patris, qui filio nihil reliquit. — Filius, cui pater bona reliquit, tenetur patris debita solvere, cumprimum commode potest, tum ex obligatione amoris, ne defuncti fama patiatur, tum ex iure successionis, quia succedens in bona, succedit etiam in onera. Quodsi pater filio nihil reliquit, non tenetur, quia obligatio solvendi debita in hoc casu est personalis.

Ergo filius non tenetur reddere pecuniam, quam pater mutuo acceperat, ne quidem si eam accepisset ad solvendas expensas pro edu-

[1]) *Lessius*, De iustitia l. 2. c. 41. n. 34.

catione filii, quia filius a natura ius habet accipiendi educationem, et proinde eius expensae a patre non a filio exigendae sunt.

289. De obligatione oboedientiae. 1. Filii tenentur *per se sub gravi oboedire parentibus* in omnibus, quae honesta et licita sunt et ad eorum *curam* pertinent, quamdiu sub eorum *potestate* versantur, modo expresse et serio praecipiant: *filii oboedite parentibus per omnia* (quae ad eorum curam pertinent): *hoc enim placitum est in Domino*[1]). Et sane, parentes tenentur filios instruere et educare; ergo vicissim filii parentes audire tenentur.

a. Obligatio oboedientiae tamdiu durat, quamdiu filii *sub paterna potestate sunt;* cessat vero, quando e potestate paterna emancipantur aut maiores fiunt; econtra obligatio amoris et reverentiae nunquam cessat.

α. *Maior* seu *maiorennis* filiusfamilias constituitur tempore a lege civili determinato. Leges modernae fere omnes filios utriusque sexus maiores declarant anno aetatis 21. completo[2]). Si filius maior in domo paterna manet, non cessat obligatio oboedientiae erga caput familiae in iis, quae ad ordinem domesticum necessaria sunt.

β. *Emancipatus* dicitur filius, qui ex paterna potestate dimissus est. Emancipationem lex civilis regit, ita ut secundum alia iura filius eo ipso emancipetur, quod legitimam aetatem adeptus sit, secundum alia vero solum ipso volente emancipatur.

b. Obligationem hanc *per se gravem esse* s. scriptura passim indicat[3]); ut tamen grave peccatum inoboedientiae committatur, requiritur, ut parentes *serio praecipiant*, non solum monendo, hortando, dirigendo suam voluntatem ostendant, et ut praecipiant *in re gravi* ad eorum curam pertinenti.

α. Quaenam *materia* censenda sit *gravis*, prudenti iudicio est definiendum, ratione habita finis, quem parentum potestas habet, qui est bonum ipsius filii et bonum familiae. Unde generatim ea gravis erit, qua omissa grave detrimentum patientur parentes, domesticus

---

[1]) Col. 3, 20.

[2]) C. Germ. § 2. C. Austr. § 21 filiosfamilias *maiores* renuntiat anno 24. demum completo. Ex iuro canonico filius *maior* est, qui 25. aetatis annum explevit.

[3]) Eccli. 3, 9 ss. Deut. 27, 16; Rom. 1, 30; 2. Tim. 3, 2.

ordo, bonum temporale vel spirituale ipsius filii ut vitare prava consortia, ludos aleatorios, domus suspectas etc.[1])

β. In praxi inoboedientia filiorum, etiam in re gravi, non raro a peccato mortali excusabitur tum ob defectum rigorosi praecepti ex parte parentum, tum ob defectum advertentiae ad gravitatem malitiae ex parte filiorum.

γ. Ubi agitur de praecepto, quod ad plures actus successivos refertur e. g. ne ad cauponam accedant, ne tardius domum redeant etc., grave peccatum (excluso contemptu) non committitur, nisi praeceptum saepius violetur[2]).

c. Obiectum, circa quod parentes iuste praecipere possunt, comprehendit ea omnia, quae ad eorum curam pertinent: haec autem ad tria se porrigit: α. ad animae salutem, β. ad bonos mores, γ. ad gubernationem familiae tam in temporalibus quam in spiritualibus.

Hinc graviter contra oboedientiam parentibus debitam peccare possunt filii: α. si contra expressum praeceptum parentum missae diebus festis non assistunt, per notabile tempus sacramenta non suscipiunt; β. si cauponam vel theatra frequentant, perniciosis ludis se dedunt, nocte exeunt, periculosas conversationes non vitant; γ. si studiis vacare vel artem addiscere negligunt, si opus magni momenti ipsis iniunctum non exsequuntur.

290. 2. In aliis autem, praesertim *in eligendo vitae statu* sive matrimoniali sive clericali vel religioso, filii iure naturae liberi sunt. Tenentur quidem ordinarie sub gravi parentes tum de *ineundo matrimonio* tum *de eligenda certa persona consulere;* at eorum consilium sequi per se non tenentur. Hinc consilium iustum et prudens repudiare veniale non excedit, nisi agatur de fine magni momenti obtinendo e. g. de odiis exstinguendis, de necessitate parentum sublevanda.

De vocatione autem *clericali* aut *religiosa* tum praestabit consilium parentum non petere, cum eis necessaria harum rerum cognitio deesse videatur; sed facta demum electione eorum consensum petere sufficit, quem si negent, magis oboediendum est Deo vocanti quam parentibus ob-

[1]) *Génicot* I. n. 348.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 821. *Elbel-Bierbaum* I. pr. 3. n. 555.

sistentibus. Immo si praevideatur parentes iniuste rem impedituros esse, filii insciis parentibus statum amplecti possunt.

Ideo graviter peccant parentes, si filios religionem ingredi vel sine iusta ratione matrimonium inire compellunt; et pari modo graviter peccant, si filios sine iusta causa ab ingressu in religionem vel a contrahendo matrimonio impediunt: nam gravis iniuria est aliquem privare libertate, quam auctor naturae unicuique dedit circa vitae statum. Gravitas peccati crescit, si parentes filium a contrahendo matrimonio vel omnino vel ad tempus impediunt, eo quod matrimonium etiam in remedium concupiscentiae institutum est: nam hac agendi ratione parentes possunt esse occasio multorum peccatorum, quae a filiis committuntur. Si tamen parentes in gravi necessitate sint, iure exigunt, ut a filiis iuventur, quamdiu necessitas durat.

291. De obligatione reverentiae. *Reverentia,* quam filii parentibus debent, exigit, ut interius eorum dignitatem agnoscant et exterius verbis, signis et factis eam profiteantur.

a. Hinc filii graviter contra reverentiam parentibus debitam peccare possunt *verbis*, si eos nominibus contumeliosis appellant vel serio eis maledicunt; *signis,* si eos despiciunt, irrident, de iis ita erubescunt, ut simulent, se eos non cognoscere; *factis*, si eos percutiunt, etsi leviter tantum vel si solum manum extollunt in signum eos percutiendi, si eos in iudicio accusant, etsi de vero crimine excepta causa boni publici. Filii percutiendo parentes non solum contra pietatem, sed etiam contra iustitiam peccant; et licet facta leviter tantum adversentur iustitiae, graviter tamen laedunt reverentiam.

b. Notat *s. Alphonsus* (n. 334) a mortali excusari filium, qui ob iustam causam et sine interno contemptu fingit, se parentes suos non cognoscere vel si eos apud se habere renuit, e. g. quia sunt infami crimine notati vel quia ipse grave damnum inde passurus esset, dummodo necessaria eis suppeditet, quia in tali casu ipsi parentes non censentur graviter aut rationabiliter inviti. Et pari modo saltem a gravi peccato excusantur filii, qui parentes usu rationis carentes ob senium, ebrietatem etc. sine contemptu vel malitia verbis aut factis cohibent.

c. Filii, qui contra reverentiam parentibus debitam peccarunt, proprie et stricte laesum honorem *per veniae petitionem restituere* debent; si tamen id factum non sit ante confessionem, suaderi quidem potest et debet, ut postea fiat, at nunquam stricte vel pro poenitentia iniungendum est, ne filii, qui aegre id faciunt, exponantur periculo iterum peccandi; merito enim praesumi potest parentes filiis remittere hanc obligationem, praecise ne iterum peccent.

292. De filiis illegitimis. 1. Parentes non fruuntur potestate paterna in filios illegitimos, nec filii illegitimi fruuntur iisdem iuribus ac filii legitimi, nisi fuerint legitimati, cum per nefas (iniuriam) in societatem humanam illati sint.

2. Filii illegitimi non ad familiam patris, sed potius ad familiam matris pertinent, cuius et nomen accipiunt, nec tamen iuribus filiorum familias gaudent. Ideo ex lege civili eis constituendus est *tutor* (Vormund).

3. Obligationes parentum extenduntur etiam ad filios illegitimos; et pari modo filii illegitimi tenentur exhibere parentibus amorem atque oboedientiam, quam finis educationis exigit, quia idem est in utrisque obligationis fundamentum, naturalis nempe generatio.

a. Ex iure naturali *ambo parentes* aequali modo ad alendam prolem illegitimam tenentur; codices tamen recentes obligationem sustentationis primario patri et solum hoc deficiente matri iniungunt (excepto codice gallico, qui hoc onus soli matri imponit). Huic iuris dispositioni post sententiam iudicis in conscientia parendum est.

b. Ex codicibus civilibus tenentur parentes (pater) providere filiis illegitimis de educatione parentum (matris) condicioni consentanea, quamvis ex iure naturae obligationi suae satisfacere videantur, si eis procurent educationem homini necessariam et convenientem[1]).

§ 2. De obligationibus parentum.

293. De obligationibus in genere. Parentes et in eorum defectu ascendentes *ex pietate* tenentur exhibere filiis *amorem, educationem corporalem* et *educationem spiritualem.* Et obligatio amoris quidem nunquam cessat, obligatio autem educationis cessante fine ipsa cessat.

a. Ius educandi prolem primo loco ad parentes spectat; quare in ipsam naturam offendunt, qui ius educandi auctoritati civili vindicant[2]).

b. Obligatio educationis ex iure naturae oritur et ex genere suo gravis est.

c. In defectu parentum ascendentes, scilicet avus et avia, liberos educare tenentur, et quidem avus paternus, quia succedit patri, ante maternum. Nunc vero defectum parentum lex civilis supplere solet constituendo tutorem vel curatorem. Haec obligatio etiam *ad filios illegitimos* et spurios extenditur (n. 292).

---

[1]) C. Austr. § 165—171. C. Germ. 1705—1718.

[2]) Cf. *Th. Meyer,* Institutiones iuris natur. II. n. 108 ss.

294. Obligatio amoris. Obligatio *amoris* tria complectitur: debent filiis bene velle, benefacere et malum sive corporale sive spirituale ab eis avertere.

a. Peccant ergo parentes contra pietatem et pro ratione materiae etiam graviter, si odio prosequuntur filios, eis serio mala imprecantur, uni ex filiis sine iusta causa prae aliis favent, alios (e. g. prioris matrimonii) aliis postponunt, mala eis inferunt vel ab eis non avertunt, cum possint.

b. Si eorum occultos defectus extraneis manifestant, si eos nimis dure tractant, ut eis e. g. per mutilationem grave malum inferant, non solum contra pietatem, sed etiam contra iustitiam delinquunt.

295. Obligatio educationis corporalis. *Educatio corporalis* pariter tria requirit: ut filiis procurent *vitam, alimentum* et *statum.*

Cum finis primarius matrimonii, qui est procreatio prolis, obtineri nequeat, nisi ad generationem accedat conservatio et conveniens educatio prolis susceptae, nupturientes cum obligatione praestandi debitum coniugale contrahunt etiam obligationem conservandi et educandi prolem suscipiendam.

a. Tenentur ergo parentes ab ipso prolis conceptu usque ad tempus, quo haec sibi sufficienter providere potest, ei subministrare, quae ad *vitam et sanitatem* conservandam necessaria sunt, et pariter omnia avertere, quae vitae vel sanitati nocent. Itaque cura matris circa vitam prolis iam statim a conceptione incipit; cavere ergo debet tum periculum abortus tum qualecunque foetus detrimentum[1]).

Mater curare debet, ut proles mente et corpore sana nascatur. Ideo abstineat a cibo et potu (alcoolico), qui corpori nocet et irritat nervos; cavere debet, quantum fieri potest vehementiores excitationes et motus cordis, illicita desideria, praesertim vero ea omnia, quae castitatem laedunt (lectiones pravas, spectacula obscoena). Cum enim quivis animae motus, quaevis passio, universim omnes internae cogitationes et appetitiones in foetum influxum exerceant, tota vita interna sit pacata, casta, religiosa et pia, ut proles potius ad virtutem et bonos mores quam ad vitia dispositiones hereditarias nanciscatur[2]).

---

[1]) Cf. *Capellmann*, Medicina pastoralis[9] (Aquisgrani. Barth. 1893) p. 155 ss.

[2]) Cf. *Ernst*, Elternpflicht Kapitel 2. (Kevelaer, Butzon-Bercker).

b. Tenentur parentes filiis subministrare *alimentum* i. e. cibum, vestitum, habitationem et educationem usque ad illud tempus, quo ipsi pro ratione status sui sibi necessaria providere possunt, immo etiam toto tempore vitae, si in extrema vel gravi necessitate reperiantur. Neque ab officio alendi filios excusantur ob eorum perversitatem.

α. Pater ab obligatione alendi filium (alimento ad vitam necessario) non est immunis, si hic partem sibi prius datam dissipavit. Pari modo si filius debita ad victum sibi comparandum contraxit, pater ea solvere tenetur, quia filium alere tenetur; debita vero ex alio titulo contracta solvere non tenetur.

β. Ergo graviter peccant parentes, qui sine iusta causa prolem exponunt (in hospitali vel in limine domus parochialis etc.), non solum quia officio suo desunt, sed etiam quia proli nocent, quippe quam inducunt in suspicionem originis spuriae. Et si prolem exponunt in loco deserto, ut ideo periculum vitae ipsa subeat, non solum contra pietatem, sed etiam contra iustitiam peccant. Si tamen exponendi prolem iustam causam haberent, qualis esset periculum amittendi vitam vel famam, impossibilitas alendi prolem a peccato saltem gravi eos excusaret.

γ. Quodsi pater dives exponat prolem in hospitali (Findelhaus) ex piorum largitione ad alendos infantes expositos erecto, iuxta sententiam probabilem non tenetur restituere expensas pro alenda prole. Haec enim hospitalia erecta sunt ad tuendam vitam parvulorum, qui perimi solent a pauperibus, ne eos alere debeant, et a divitibus, ne infamentur. Ex his alii inferunt, divites expensas pro alenda prole solvere debere, quia ad evitandam infamiam necesse non est, ut a solvendis expensis excusentur; alii vero ab hoc onere eos *probabiliter* deobligant, quia parentum famae et saluti parvulorum satis provisum non esset, si divites expensas sustentationis solvere deberent[1]). Ubi vero infantes expositi cura communitatis civilis sive in domibus privatis sive in hospitali ex tributis vel ex bonis pauperibus destinatis aluntur, parentes divites expensas compensare tenentur[2]).

c. Parentes tenentur filiis procurare *statum* suae condicioni convenientem, ut postea secundum statum suum honeste vivere possint. Ideo α. curare debent, ut vel artem vel litteras addiscant; β. aliquam saltem mediocrem diligentiam adhibere debent, ut filiis hereditatem statui convenientem relinquant[3]). Quare graviter peccare possunt

[1]) *S. Alphonsus* n. 656.

[2]) Cf. *Marres,* De iustitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1889) l. 2. n. 310 ss.

[3]) Cf. 2. Cor. 12, 14.

parentes, non solum si bona sua dilapident, ita ut filios egenos relinquant, sed etiam si nullam curam adhibeant acquirendi bona, ex quibus filii secundum statum suum alantur et hereditatem accipiant.

Tenentur quidem parentes liberis, qui honestum statum amplectuuntur, convenientem dotem praebere; si tamen eorum matrimonio iuste dissentiant, solum alimenta necessaria, si eis indigeant, praebere tenentur.

296. *Num matres teneantur filios proprio lacte nutrire.*

Mater per se tenetur filios proprio lacte nutrire; haec tamen obligatio gravis dici vix potest; quare mater graviter peccare non videtur, etsi sine iusta causa infantem nutrici tradat alendum, modo parvulus apte et sufficienter nutriatur. Paulo severius theologis physiologi de hac obligatione iudicant. Etenim lac maternum, ita illi, est pro infante cibus maxime naturalis, immo est alimentum ipsi unice aptum; quare mater assumens nutricem, praesertim vero prolem vel ex toto vel ex parte lacte vaccino alens deest officio ab ipsa natura sibi imposito; insuper propriam sanitatem variis periculis exponit. Accedit ratio boni communis: ex consuetudine enim passim sine iusta causa adhibendi nutrices sequitur, quod nutrices propriam prolem negligant, quod fornicentur, ne munus nutricis amittant etc.[1]). Verum ex his sequitur quidem enixe hortandas esse matres, ut prolem suam ipsae alant, quin tamen sub gravi ad id obligari debeant.

Tres causae enumerari solent, ob quas matres filios aliis nutriendos tradere sine peccato possint: α. *necessitas*, ut si mater sit nimis debilis, infirma, si lac desit etc.; β. notabilis *utilitas*, ut si mater filium lactare nequeat, quin laborem deserat, quo sibi victum comparare solet; γ. *consuetudo* apud familias nobiles vigens. Verum consuetudo contra legem naturae bonam fidem gignere potest, at legem ipsam auferre non potest; quare nec feminae nobili absque legitima causa licet prolem alienae nutrici tradere. Tenentur autem in hoc casu sub gravi adhibere nutricem, quae sanitati infantis nullo modo noceat: experientia enim constat quibusdam morbis lactantis facile etiam infantem infici posse. Qualitates morales nutricis efficaciter in infantem influere *Capellmann* et *Antonelli* recte affirmant, quamvis alii id negent[2]).

---

[1]) *Capellmann*, Medicina pastoralis[9] n. 47 s.

[2]) Cf. *Antonelli*, Medicina pastor.[2] I. 489 ss. *Olfers*, Pastoralmedicin[2]. (Freiburg. Herder. 1893) S. 32 ff.

297. Obligatio educationis spiritualis[1]). *Educatio spiritualis* potissimum est institutio et recta gubernatio in iis, quae ad salutem consequendam necessaria sunt, ideoque quatuor comprehendit: *instructionem, exemplum, correptionem* et *vigilantiam.*

a. Parentes α. filios *instruere* debent vel per se vel per alios in omnibus, quae ad salutem sive necessitate medii sive praecepti necessaria sunt, et in exercitiis vitae christianae, quae omnibus fidelibus communia sunt. β. *Curare* debent, ut bonis moribus imbuantur, praecepta Dei et ecclesiae observent, sacramenta frequentent et a peccatis abstineant.

Consideratis adiunctis socialibus et oeconomicis, quae nunc temporis fere ubique occurrunt, tenentur parentes liberos ad scholam mittere, non solum ut in religione christiana, sed etiam ut in litteris apte instituantur. Etsi institutio elementaris non dicitur absolute necessaria ad vitae subsidia sibi comparanda, attamen multis difficultatibus atque incommodis ii premuntur, qui institutione carent, qua ceteri fruuntur; ab eiusmodi autem incommodis parentes liberos suos praeservare tenentur, cum facile possint. Accedit quod ii, quorum mens convenienter evoluta atque exculta est, multo facilius propulsare possint pericula, quae hodie et moribus ubique imminent.

b. Filiis bonum *exemplum* praebere debent; quare graviter contra pietatem peccant, si eis in re gravi sint occasio peccandi e. g. coram eis blasphemando, turpia contra bonos mores, impia contra fidem loquendo.

c. Vitia filiorum serio quidem, sed prudenter et discrete *emendare* tenentur. Hanc obligationem s. scriptura saepius inculcat[2]), adeo ut graviter peccare possint parentes, si defectus et peccata filiorum corrigere notabiliter negligant.

Peccant parentes, quandoque etiam graviter, si filios sine legitima causa ex solo odio verberant, item si iustos limites excedunt gravius punientes quam filii meruerunt.

d. Vigilantia, qua parentes filios custodire tenentur, postulat, ut omnia removeant, quae filiis damno esse pos-

[1]) De educationis fine, obiecto, mediis *institutiones paedagogicae* ex professo agunt.

[2]) Prov. 13, 24; 23, 13.

sint; ne ergo permittant, ut cum pravis sociis conversentur, pravos libros legant, pravas officinas vel scholas vel theatra frequentent, nisi necessitas eos cogat.

Parentes invigilare etiam debent, ne filii aliis noceant, et iis quidem, qui usum rationis nondum habent, continuo et ex iustitia; iis vero, qui sufficientem discretionem habent, invigilare debent ex pietate et eatenus, quatenus eos ab inferendis malis prohibent, quantum moraliter possunt.

De filiis mittendis ad scholas acatholicas[1]).

298. *Declarationes.* 1. Scholae acatholicae diversi generis sunt: *a. positive acatholicae,* in quibus aperte docetur haeresis vel impietas; *b. neutrales,* quae in institutione atque educatione a positiva religione omnino praescindunt. Hae etiam scholae *mixtae* vocantur, quia discipulos ad quamcumque sectam pertinentes admittunt.

2. Eiusmodi scholarum discipuli *proximo perversionis periculo* tum quoad fidem tum quoad mores exponuntur, quod periculum ex triplici potissimum causa dimanat: ex *magistris,* ex *libris* et ex *condiscipulis.* Nec scholae neutrales hoc periculo carent: eo ipso enim, quod discipuli nec in fide instruantur nec ad christiane vivendum educentur, indifferentismus fovetur et via paratur atheismo. Insuper vix fieri potest, ut institutio a religione omnino praescindat; quod autem in eiusmodi scholis de religione dicitur, id religioni catholicae adversum esse solet.

3. Quod hic de scholis acatholicis dicitur, non solum de scholis elementaribus et mediis sed etiam de superioribus valet: in omnibus enim, etiam supremis, quae vere catholicae non sint, discipulis gravia in fide et moribus imminent pericula.

299. *Asserta.* 1. Nunquam, ne ad gravissimum quidem damnum vitandum, licet parentibus filios mittere ad scholas acatholicas, in quibus proximum perversionis periculum

[1]) Instructio s. Officii 24, nov. 1875 ad episcopos Americae septentrion. Cf. *I. Aertnys,* Fasciculus theol. moral.[4] (Tornaci. Castermann. 1888) tract. 1. n. 38 ss. *Génicot* I. n. 352.

removeri nullatenus potest; nec ipsis filiis licet unquam eiusmodi scholas frequentare, etsi parentes eos ad id cogant, quia nunquam licet proximo peccandi periculo se exponere, quod removeri nequit.

Eiusmodi scholae sunt, in quibus ea docentur aut aguntur, quae sine gravi detrimento spirtuali nec audiri nec peragi possunt, ut si aperte pravae doctrinae proponantur, si discipuli cogantur preces haereticas recitare, falsis ritibus interesse, si condiscipuli tam pravi sint, ut vix ullus a contagio praeservari possit.

2. Etsi per se semper illicitum est filios ad scholas acatholicas mittere, ex iusta tamen causa licet eos ad illas mittere, in quibus proximum perversionis periculum fieri potest remotum. Ratio *primi* est, quia parentes obligationi suae non satisfaciunt, si filiis procurent educationem, quae solum verae religioni aperte non adversetur, nisi etiam sit vere christiana et catholica. Ratio *secundi* est, quia ex iusta causa licet se exponere remoto perversionis periculo.

a. Causa sufficiens, ob quam schola acatholica adiri possit adest, si nulla habetur schola catholica vel si ea, quae praesto est, condicioni filiorum non sufficiat, parentes autem opibus careant, quibus filios in aliam regionem ad scholam catholicam mittere possint. Ceterum causa excusans eo maior esse debet, quo maius est perversionis periculum. Iudicium autem tum de qualitate scholae tum de sufficientia causae ad ordinarium pertinet.

b. Media, quibus periculum proximum removeri debeat, haec sunt: α. filios extra scholam rite instituere et educare in iis, quae ad christiane credendum et vivendum necessaria sunt; β. eos apte docere et confirmare in iis, quae in eiusmodi scholis potissimum impugnari solent; γ. diligenter invigilare, ne filii vel ex pravis libris vel ex malis sociis in fide et moribus damnum patiantur.

c. Ipsa s. sedes declaravit iam tolerari posse, quod antea prohibitum fuerat, ut iuvenes catholici universitates Oxoniensem et Cantabrigensem, deficiente in Anglia catholica universitate, adirent et simul determinavit, quae cautiones adhibendae essent ad removenda pericula inde oritura[1]).

Nota. Ex his iam sequentia *pro praxi* inferuntur: *a.* Parentes absolvi non posse: α. si ideo filios ad scholas acatholicas mittunt, quia

[1]) *S. Officium* 26. mart. 1895. *S. C. de prop. fide* 17. apr. 1895 ad archiep. Westmonast.

earum principia approbant easque scholis catholicis praeferunt; β. si filios scholis positive acatholicis instituendos committunt; γ. si filios scholae acatholicae tradunt, nec periculum perversionis removendum curant.

b. Parentibus, qui filios sine sufficienti causa ad scholam acatholicam mittunt, pericula autem perversionis bona filiorum educatione removenda curant, absolutio negari nequit, nisi ratione scandali aut cooperationis ad pravas scholas promovendas graviter peccent, quia eos non exponunt proximo perversionis periculo, remotum autem sub gravi cavere non tenentur.

c. Ut sacerdotes in scholis mixtis tradant doctrinam christianam et catholici viri in iisdem scholis alias disciplinas doceant, s. sedes non solum permittit, sed plurimum commendat; simul tamen vult monendum esse populum id fieri, ut mala, quae ex eiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest, avertantur, neque ideo excusari parentes, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus fides eorum ac mores nullo modo periclitentur[1]).

Articulus tertius.

De obligationibus famulorum et dominorum.

§ 1. De obligationibus famulorum.

300. De obligationibus in genere. *Famuli* appellantur, qui ad servitia praestanda in aliqua familia mercede conducuntur. Famuli per contractum famulatus de familia domini fiunt, ideoque familiares et domestici vocantur.

a. A famulis distinguuntur *operarii* seu opifices, qui operas suas ad certum tempus alicui domino locant. Hi non recipiuntur in familiam domini nec proprie eius gubernationi subsunt: domini enim non fiunt eorum superiores.

b. Dominorum et famulorum praecipuae obligationes ex contractu famulatus oriuntur, et ideo obligationes iustitiae sunt; sed ex eodem contractu oritur etiam relatio superioritatis, et subiectionis, quapropter famuli domini *gubernationi* subsunt. Si ergo graviter contra honorem vel oboedientiam hero debitam delinquunt, contra virtutem *observantiae* peccant et circumstantiam famulatus in confessione indicare debent ad peccati infimam speciem declarandam.

c. In plerisque regionibus cultis hodie iura atque officia dominus inter et famulos lege civili (ordo famulorum — Dienstboten-Ordnung)

[1]) *S. Officium* 26. mart. 1866 ad episcopos Helvetiae.

in specie determinantur[1]). Cum contrahentes iuxta vigentes leges contractus ineant, harum legum dispositiones in contractu famulatus continentur, quibus speciales conventiones adiungi possunt.

301. De obligationibus in specie. Famuli tenentur praestare dominis suis: *a.* reverentiam; *b.* obsequium.

1. *Reverentiam:* propria enim eorum condicio famulis iniungit observantiam, quae natura sua reverentiam exigit: *Dominos suos omni honore dignos arbitrentur*[2]).

Tenentur ergo dominorum molestias, asperitatem, morositatem aequo animo ferre nec propterea ab officio desistere. Hinc pro ratione materiae etiam graviter peccare possunt famuli, si heros aspernantur, irrident, si verbis contumeliosis in eos utuntur, si proterve et insolenter se gerunt.

2. *Obsequium* et *oboedientiam* dominis debent in iis, quae ad famulatum et ad bonos mores pertinent: ratio *primi* est, quia vi contractus ad ea se obligarunt: ratio *secundi* est, quia superioribus ratione officii convenit gubernatio, cui in subditis respondet obligatio oboediendi.

a. Hinc pro ratione materiae etiam graviter peccare possunt famuli: α. si strenue non laborant aut tempus otio terunt; β. si ex culpabili incuria rebus domesticis detrimentum afferunt; si tamen absque culpa et praeter intentionem e. g. aliquid frangendo domino damnum causant, illud per se (absque speciali conventione) reparare non tenentur; γ. si familiae secreta aliis revelant, praesertim ubi ex eorum revelatione damnum sequatur.

b. Peccant, si absque iusta causa ante constitutum tempus servitium deserunt. Famulus, qui sine causa ante constitutum tempus discedit, *per se* ius habet ad pactam mercedem pro tempore, quo famulatum reipsa exhibuit, etsi ea (secundum quantitatem prudenti iudicio determinandam) paulo diminui possit: nam servitium exhibitum meretur mercedem suam; eam autem dominus minuere potest, quia famulus non stetit contractui. Si tamen dominus ob discessum famuli grave detrimentum patitur, parte mercedis detracta se indemnem servare potest[3]). Leges autem positivae quandoque aliud statuunt[4]).

302. *Num famuli ex iustitia teneantur res familiae custodire ideoque impedire damna, quae domino inferuntur.* — *a.* Famuli,

[1]) Cf. Cod. Austr. § 1172. Cod. Germ. § 617 ss.

[2]) 1. Tim. 6, 1.

[3]) *S. Alphonsus* n. 345.

[4]) Cod. Austr. § 1172. Cod. Germ. § 617.

qui conducuntur ad rem familiarem custodiendam et defendendam, ut sunt custodes, administratores etc. certe ex iustitia commutativa impedire tenentur, ne ullum damnum domino inferatur. *b.* Famuli autem, qui solum ad laborem et operam suam praestandam conducuntur, ex caritate quidem ad res familiae custodiendas et ad damna impedienda tenentur, at eos ex iustitia ad id obligari certo demonstrari nequit, nisi cura et custodia alicuius rei speciali ratione ipsis commissa sit: ex eo enim, quod ad res domesticas custodiendas speciales famuli conducuntur, qui etiam peculiari nomine appellantur, inferri posse videtur ceteros solum ad laborem suum familiae praestandum conduci. Quia ergo de obligatione certo non constat, eis non est imponenda, nisi lex civilis eam famulis iniungat.

Sunt, qui contendant *(Diana, Pontius)* famulos ex iustitia teneri ad impedienda damna, sive haec ab extraneis sive ab aliis famulis hero inferuntur. Eorum ratio est, quia famulis ratione ipsius famulatus res domesticae custodiendae committuntur. Alii econtra docent *(Salmanticenses, Tamburini)* famulos ad impedienda ea damna obligari, quae ab extraneis, non autem ea, quae a domesticis inferuntur: eo enim, quod in familiam admittuntur, censentur quidem obligationem suscipere res familiae contra extraneos defendendi, non vero etiam contra alios familiares. Horum tamen auctorum sententiae probabilitatem non excedunt[1]).

§ 3. De obligationibus dominorum.

303. Domini tenentur famulos suos: *a.* benigne tractare; *b.* dirigere; *c.* iustum pretium eis solvere.

1. *Benigne tractare* i. e. humane alloqui, sufficientia alimenta praebere, nimiis laboribus non gravare, infirmos convenienter curare: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta*[2]).

Hinc peccant domini contra caritatem, si famulos verbis asperis et contumeliosis alloquendo offendunt, si nimio labore eos onerant, si debitam curam corporalem infirmis non impendunt. Ad expensas autem

---

[1]) Cf. *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 13. n. 75. *Lugo* De iustitia disp. 19. n. 105 ss.

[2]) Eccli. 33, 31. Cf. Eph. 6, 9.

in eorum curatione faciendas (pro medicis scilicet et remediis) non tenentur.

2. *Dirigere* et, si opus fuerit, corripere i. e. debitam curam spiritualem eis adhibere: dominus enim est caput totius familiae, ad quam etiam famuli pertinent; capitis autem est subditos dirigere: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*[1]).

Tenentur ergo *a.* famulis tempus concedere, ut obligationes religiosas implere possint e. g. missam audire, contioni interesse, sacramenta frequentare; immo curare debent, ut famuli id faciant. *b.* Tenentur eos monere et corrigere, praesertim si blasphemiis vel turpiloquiis peccant et scandalum praebent, illicitas familiaritates eis prohibere, occasionem peccandi impedire. *c.* Tenentur famulos impios, qui aliis scandalo sunt et moniti non se emendant, dimittere, ubi alios idoneos invenire possunt; a fortiori tenentur eiusmodi famulos non conducere. *d.* Maxime autem cavere debent, ne pravo exemplo, scandalo, sollicitatione ipsi famulos ad peccatum inducant; peccatum scandali vel inductionis tamen specificam malitiam ex relatione domini ad famulum non induit, nisi dominus specialem curam spiritualem loco parentum assumpserit.

3. *Iustum pretium solvere*, idque ex iustitia: ad id enim contractu inito se obligarunt. Defraudatio mercedis debitae inter peccata in coelum clamantia recensetur[2]).

a. Hinc peccant contra iustitiam, si de mercede promissa absque iusta causa aliquid subtrahunt vel solutionem cum damno famulorum diu differunt. Si famulus, qui saltem ad annum conductus est, ad breve tempus (e. g. ad hebdomadam) aegrotat, ei debetur integrum stipendium; si autem ad notabile tempus aegrotat, integrum stipendium ei non debetur: mercedem enim exigere nequit, nisi pro servitio exhibito[3]).

b. Peccant etiam, si labores exigunt, ad quos famuli vi contractus non tenentur, nec eis stipendium augent; si famulos absque iusta causa dimittunt ante constitutum tempus, nec eos indemnes servant. Si igitur famulus iniuste dimissus alium famulatum reperire nequit, dominus ei totam mercedem solvere debet; si alium quidem reperit, sed non aeque bonum aut non statim, defectum supplere debet; quodsi statim alium aeque bonum reperit, in conscientia ante sententiam iudicis ad nihil tenetur, quia ei damnum non intulit.

---

[1]) Tim. 5, 8.

[2]) Deut. 24, 14 s. Iac. 5, 4.

[3]) Cf. *s. Alphonsus* n. 346.

c. Si famulus ex culpa domini ante constitutum tempus discedit, quia e. g. dure ab eo tractatur, non habet quidem ius ad integram mercedem, at ius habet, ut damna sibi reparentur, ad quae reparanda quandoque integrum salarium non sufficit.

Articulus quartus.

De obligationibus herorum et operariorum[1]).

304. Obligationes herorum. 1. Tenentur cavere ea, quae operariis in *bonis corporis* nocent.

a. Peccant, si eos laborare cogunt in officinis sanitati nocivis, vel in adiunctis, in quibus periculo expositi sunt amittendi vitam vel membrorum integritatem, si eos cogunt ad labores, qui sanitati plurimum nocent, si res veneficas diu tractare debent.

b. Opera, in quibus pericula vitae et sanitatis satis excludi nequeunt, tum solum licite assumi possunt, si ratio boni communis eiusmodi opera exigit.

2. Tenentur removere, quae *animae saluti* operariorum nocent.

Peccant, si admittunt vel non dimittunt operarios, qui aliis scandalo sunt vel eos seducunt et corrumpunt, si promiscue utriusque sexus personas vel adolescentes simul cum adultis sine debitis cautelis laborare cogunt.

3. Tenentur rationem habere *christianae religionis,* adeo ut operariis tempus opportunum concedant implendi officia religionis christianae.

Peccant, si operarios laborare cogunt diebus dominicis et festis; si vero necessitas vel qualitas operis etiam illis diebus laborem exigat, saltem curare debent, quantum fieri potest, ut omnes missae sacrificio interesse possint.

4. Tenentur operariis *iustam laboris mercedem* solvere.

a. Peccant, si operariis mercedem debito tempore non solvunt, aut mercedem iusta minorem solvunt; item si pro pecunia merces tradunt, nisi antea de hoc modo solvendi cum operariis convenerint. De iusta laboris mercede infra sermo erit. Ceterum, qui mercedem vulgarem solvit, ordinarie iustitiae commutativae satisfecisse censetur.

---

[1]) Cf. *Ios. Biederlack,* Die soziale Frage[7]) (Innsbruck. Rauch. 1908) n. 140 ff. *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2]) (Brugis. Beyaert. 1904) n. 455 ss.

b. Mercedem, eamque integram ordinarie etiam tum operariis solvere debent, cum ex infelici successu operis seu commercii detrimenta passi sunt.

5. Tenentur eos ab opera non prohibere (aussperren), ubi aut iustitia aut caritas id prohibet.

6. Tenentur *succurrere operariis* in necessitate positis.

Herus speciali vinculo cum operariis suis connectitur, quia specialem societatem cum eis iniit et ex eorum opera insuper emolumentum percipit; ideo caritatis officia prae aliis pauperibus erga operarios suos pauperes exercere debet.

305. Obligationes operariorum. 1. Tenentur servare condiciones *iusti contractus libere* initi.

a. Qui egestate coactus in mercedem iusta minorem consensit, non tenetur servare contractum, quia *libere* non consensit, nisi herus solum ex misericordia operarium petentem admisit, quo alias non indiguisset. — Qui sive sponte sive coacte in labores diebus dominicis et festis peragendos consensit, laborare non tenetur, nisi dominus rationem sufficientem habeat laborem illis diebus exigendi, quia contractus *iniustus* est.

b. Peccant, qui tempore, quo vi contractus laborare debent, aut remisse et oscitanter laborant, aut prorsus otio indulgent. Quare si ne infimum quidem gradum ordinariae diligentiae adhibent, partem mercedis per se remittere vel iam perceptam restituere debent. Modus restituendi aptior in eo consistit, quod aliis diebus ultra debitum laborent.

2. Tenentur abstinere ab iis, quae hero damno inferunt.

Peccant, si opera sibi commissa male perficiunt; si res domini aut instrumenta artis non custodiunt aut perdunt.

3. Tenentur abstinere a vi et seditionibus, praesertim vero *ab iniusta cessatione ab opera ex condicto.*

De operistitiis seu de *cessatione ab opera ex condicto (Strikes)*[1]) duo declaranda sunt: *a.* num *iusta; b.* num *licita* sit.

306. De iustitia cessationis. Duplex condicio requiritur, ut cessatio ab opera possit dici *iusta: a.* ne lae-

[1]) *Lehmkuhl,* Arbeitsvertrag und Strike[4]) (Freiburg. Herder. 1904). In: die soziale Frage. 2. Heft. *A. Vermeersch* l. c. n. 470 ss.

datur contractus conductionis; *b.* ne exigantur condiciones iniustae.

1. Si contractus conductionis iniustus est, operarii non laedunt iustitiam, si tempore contractus nondum finito ab opera ex condicto cessant, donec iustas contractus condiciones obtinuerint.

Contractus conductionis iniustus esse potest, aut quia operarii iustam mercedem non accipiunt, aut quia sine necessitate etiam diebus festis et dominicis laborare coguntur, aut quia pericula vitae vel sanitatis non satis praecaventur etc.

2. Si contractus conductionis iustus est, manifesto iustitiam laedunt, ubi a laboribus cessant tempore conductionis nondum finito; at vero non agunt contra iustitiam, si tempore conductionis finito ab opera cessant, donec meliores condiciones obtineant, modo ne exigant nisi condiciones iustas ut mercedem maiorem (non supra summam), tempus laboris non excessivum etc.

a. Condiciones iustae, quas exigunt operarii, quandoque eiusmodi sunt, ut ab heris sine iniustitia negari non possint ut iusta merces, tempus laboris non excessivum, quandoque autem condiciones, licet iustae sint, sine iniustitia negari possunt, ut merces summa, labor diurnus octo horarum etc.

b. Si mercedem iustam infimam quidem accipiunt, sed maiorem exigunt, cessantes ab opera aliis operariis libertatem concedere debent pro infima, si velint, laborandi. Quodsi iustam infimam non accipiunt, iniuste non agunt, si alios moraliter ad cessationem cogant, dummodo mediis licitis id fiat e. g. eos excludendo a societatibus in bonum operariorum libere initis[1]).

3. Operarii a laboribus cessantes, qui alios operarios suasionibus inducunt, ut et ipsi ab opera cessent (supposita iusta cessatione), non laedunt iustitiam; qui autem vi, minis, fraude vel mendaciis id faciant, dupliciter iustitiam laedunt, tum erga operarios, qui a mercede sibi lucranda, tum erga heros, qui a lucro sibi comparando iniuste impediuntur.

Hinc operarii, qui alios ad cessandum ab opera suasionibus inducunt, ubi cessatio est iniusta, tamquam consulentes simul cum aliis ad restitutionem erga dominos laesos tenentur; erga operarios autem

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* Theolog. mor. I. n. 1119.

ad nihil tenentur, quia volenti non fit iniuria; qui vero mediis iniustis alios ad cessandum inducunt, damnum tum dominis tum aliis operariis illatum ipsi reparare tenentur.

Nota. Frequenter operarii associationes (pro infirmis, pro suis viduis etc. iuvandis) inter se ineunt, in quas ea tantum condicione recipiuntur, ut ab opera cessent, quoties cessatio a moderatoribus decernitur. Iam vero eiusmodi associationibus tum solum se adiungere licet, cum constat moderatores cessationem non decernere, quae iustitiae adversatur.

307. De liceitate cessationis. Duplex condicio requiritur ad *liceitatem* cessationis: *a.* ut finis sit honestus; *b.* ut adsit causa proportionate gravis.

1. Negari nequit operarios non raro iure merito conqueri de mercede iusto minore, de labore aut nimis gravi aut nimis diuturno, de condicionibus laboris homine christiano, quin et rationali indignis. Ad obviandum hisce malis atque ad obtinendas meliores laboris condiciones, quas heri concedere recusant, operarii quandoque licite usurpant medium iustae cessationis ab opera.

Alii insuper, iique diversi sunt fines, ex quibus cessationes ab opera quandoque instituuntur, e. g. ad perturbandum ordinem socialem, ad explorandam vim et copiam operariorum communi foedere sociatorum, ad extorquendas iniustas laboris condiciones etc. Patet finem supradictum esse unicum, ex quo licita fieri possunt operistitia.

2. Cessatio ab opera magna damna infert tum ipsis operariis tum heris tum prosperitati communi tum denique tranquillitati publicae. Ad evitanda haec mala operarii ex *praecepto caritatis* prius alia media tentare debent, quibus iusta eorum desideria impleantur, et solum ubi non suppetit alia via obtinendi iustum finem intentum vere gravem, licet eis usurpare medium in se iustum, ex quo tot et tanta mala sequuntur.

Articulus quintus.

De obligationibus discipulorum et magistrorum.

308. Nomine *magistrorum* hinc intelliguntur illi, qui in scholis inferioribus ad pueros et iuvenes instruendos et

educandos ex officio constituuntur. Obligationes magistrorum et discipulorum desumuntur ex mutua relatione, quae inter ipsos intercedit; mutua autem haec relatio oritur ex contractu, quem parentes cum magistris sive sponte sive a potestate civili coacti ineunt. Quoniam vero parentes vi huius contractus magistros in instruendis et educandis filiis sibi substituunt suamque auctoritatem eis communicant, obligationes discipulorum et magistrorum fere eaedem sunt, quae filiis et parentibus incumbunt.

De mutuis obligationibus. 1. *Discipuli* magistris exhibere debent amorem, reverentiam et oboedientiam in iis, quae ad studia et bonos mores pertinent.

Hinc discipuli pro ratione materiae etiam graviter aut contra caritatem aut contra observantiam peccare possunt: *a.* si magistros irrident, irreverenter de iis loquuntur, insolenter se gerunt et alios ad irreverentiam et insolentiam provocant, molestiis eos afficiunt atque ad iram provocant; *b.* si magistris serio praecipientibus in iis, quae ad studia, ad bonos mores et ad scholae disciplinam pertinent, non obtemperant; a mortali autem discipuli plerumque excusantur ob levitatem et inadvertentiam; *c.* si tempore lectionis non attendunt et tempus studii inutiliter transigunt. Ad diiudicandam peccati huius gravitatem tum ad quantitatem temporis, quod inattente et inutiliter teritur, tum ad obiectum instructionis et studii, tum ad condicionem personarum attendendum est: grave enim peccatum non erit, nisi in assequendis iis, quae eorum statui et condicioni necessaria sunt, notabiliter impediantur.

2. *Magistri* debent discipulis instructionem et educationem, idque ex pietate, quia loco parentum hanc obligationem in se suscipiunt, et ex iustitia, quia tum ratione officii tum ratione stipendii accepti eam praestare debent.

Hinc peccare possunt magistri: *a.* si ipsi se in litteris, quoad opus est, non perficiunt, si debitam diligentiam non adhibent, ut discipuli bene instruantur, si eos falsa et inepta docent; *b.* si eorum malos mores non corrigunt, pueros malis moribus imbutos a scholis suis non excludunt, ubi possunt, aut saltem alios ab his non avertunt; *c.* si iniuste vel indiscrete eos puniunt; *d.* si malo exemplo eorum moribus nocent.

Nota. *a.* Soluta relatione inter discipulum et magistrum peccata, quae contra magistrum committuntur, specie non dif-

ferunt a peccatis, quae contra alium proximum committuntur[1]).

b. In adolescentes, qui in convictibus instruuntur et educantur, stricte soli superiores loco parentum auctoritate et potestate praecipiendi pollent; hinc si alumni praefectis suis ex quodam contemptu non oboediunt, facilius a mortali excusantur, quia ilis deest auctoritas, qua praecipere possint quaeque ab alumnis contemnatur.

c. Si magister discipulum, cuius curam loco parentum in se suscepit, ad peccatum seducit e. g. ad furtum, non solum contra iustitiam, sed etiam contra pietatem delinquit, ideoque duplex peccatum committit.

Quaestio tertia.

De obligationibus in societate civili.

309. 1. Sicut ex pluribus individuis familia, ita e multis familiis oritur *societas civilis,* quae generatim in plurium familiarum coetu organice sociato consistit. Eius igitur elementa sunt *populus* organice coniunctus (cives); *potestas suprema*, quae populum ad finem socialem obtinendum aptis mediis gubernat et proinde instructa est iuribus, quae ad id efficiendum necessaria sunt; *finis socialis,* qui in eo est, ut tum singuli tum communitates suis iuribus secure frui possint et prosperitatem temporalem assequantur.

2. Obligationes hoc loco declarandae inter principes et subditos intercedunt, cum obligationes, quae inter ipsos cives habentur, ad praeceptum septimum referantur.

Principes dicimus, qui suprema potestate in aliqua societate civili potiuntur, quaecunque sit forma regiminis in ea republica, quam gubernant. Et quoniam nunc potestas, quae antiquitus tota in principe residebat, pro recenti forma regiminis in plures divisa est, accedunt, qui principi in gubernanda societate cooperantur et *deputati.*

[1]) *Lehmkuhl* I. n. 880.

Nomine *subditorum* intelligimus cives, qui in republica legitimae potestati civili subiiciuntur. Eorum obligationes sunt potissimum hae quatuor: *a.* subiectio, *b.* obligatio solvendi tributa, *c.* sequendi militiam et *d.* eligendi deputatos ad comitia.

3. Obligationes *iustitiae* hae sunt, et quidem illae, quae potestati civili competunt, iustitiae *legalis et distributivae,* illae vero, quae civibus subditis insunt, iustitiae *legalis*[1]).

Articulus primus.

De principe.

310. Eius obligationes. 1. Principes tenentur procurare bonum commune salva singulorum libertate, ideo imprimis cognoscere debent, in quo verum societatis bonum, felicitas nempe temporalis, quam promovere debent, consistat.

2. Tenentur mala et pericula temporalia, quantum fieri potest, avertere, cuiusmodi sunt bella sive cum extraneis sive civilia, sectae, quae fundamenta societatis subvertunt ut socialismus et massonismus etc., crimina, quae vergunt in damnum commune etc.

3. Tenentur officia publica viris dignis et aptis committere, malos autem et ineptos ab eis removere.

4. Tenentur iustitiam administrare sine acceptione personarum.

5. Tenentur debitam ad ecclesiam relationem servare, eius iura tueri eamque iuvare, ut facilius et cumulatius finem suum obtineat.

Ceterum satius erit nonnulla opuscula indicare, quae hanc rem egregie pertractant:

a. S. Thomas, De regimine principum ad regem Cypri. Opusc. XVI.

b. Card. Bellarminus, De officio principis christiani ad serenissimum principem Wladislaum, Sigismundi III. regis filium.

---

[1]) Cf. *De principiis*[8] n. 269 ss.

c. De Ponte-Brandis, Der Weg zur Vollkommenheit für die höheren und höchsten Stände in der Gesellschaft (Regensburg. Manz. 1860).

d. W. E. Ketteler, Die Pflichten des Adels (Mainz. Kirchheim. 1868.) Est versio opusculi *s. Thomae* vel potius *Guil. Peraldi,* De eruditione principum.

e. Ioannes Mariana, De rege et regis institutione libri tres. Ad Philippum III. Hispaniae regem catholicum. Opus ceteroquin egregium, nisi illud doctrina de tyrannicidio foedasset.

f. SS. D. N. Leonis P. XIII. Litterae encyclicae *Immortale Dei* 1. nov. 1885 et *Libertas* 20. iun. 1888.

Articulus secundus.

De deputatis.

311. Deputati eligi possunt ad comitia regni vel provinciae vel municipii; de omnibus quidem servata proportione haec valent, sed potissimum de deputatis ad comitia regni, quibus potestas ferendi leges convenit. Pari modo nihil refert, utrum gubernium sit liberale an catholicum, modo sit legitimum.

Eorum obligationes. 1. Deputati legitime electi tenentur ex iustitia legali hoc munus acceptare, nisi propter grave incommodum excusentur, modo idonei sint.

a. Qui ergo ob defectum scientiae vel prudentiae vel probitatis ad hoc munus inepti sunt, munus deputati nec ambire nec acceptare sine peccato possunt, quia se exponunt periculo inferendi grave damnum reipublicae.

b. Idonei sine iusta causa munus non acceptantes peccant contra iustitiam legalem: etsi enim damna, quae munus acceptando impedire poterant, sed non impediverunt, eis imputari possint, non tamen rei sunt laesae iustitiae commutativae sed iustitiae legalis.

2. Tenentur sufficientem scientiam habere, ut munere suo rite fungi possint, scilicet sine periculo damnum inferendi reipublicae vel iniquas leges et decisiones approbandi.

a. Ideo scire debent, in quonam consistat finis et verum bonum reipublicae, quae sint iura ecclesiae catholicae, quae relatio inter ecclesiam et societatem civilem et quaenam obligationes societatis civilis erga ecclesiam.

b. Ante muneris exercitium in singulis sessionibus tenentur studio et capto consilio se habiles reddere ad tractanda negotia, quae in comitiis proponenda erunt, vel saltem quaerere aptum ducem, quem tuta conscientia sequi possint.

3. Tenentur per se interesse sessionibus et suffragium ferre in bonum commune.

a. Excusantur: α. si ex eorum absentia notabile damnum timendum non est; β. si accedendo grave incommodum subire deberent; γ si praevident ipsorum praesentiam et suffragium nullius utilitatis fore.

b. Ideo cavere debent: α. ne vano respectu erga regni ministros ducti aut privata commoda sectantes suffragium iniquum ferant; β. ne commoda nationis praeferant bono communi.

c. Cum ex officio damna reipublicae impedire teneantur, laedunt iustitiam commutativam, si suffragio positive malo causa sunt, ob quam damnum sequatur.

4. Si lex certo iniqua vel iniusta proponitur, aut a suffragio ferendo abstinere, aut, si spes fructus adest, pro parte contraria suffragium ferre debent. Cum enim in modernis regni comitiis deputati habeantur ut veri legislatores, leges ipsis tribuuntur tamquam veris earum causis: lex enim prodit ex suffragiis tamquam totidem causis particularibus.

Si ergo iniquam legem ferunt, non solum peccant consentiendo in rem malam, sed ubi per legem aliis damnum infertur, etiam ad restitutionem tenentur, modo suffragium ad effectum legis fuerit certo efficax.

Articulus tertius.

De obligatione subiectionis.

312. Obligationes civium. Subditi cives regibus et principibus exhibere debent *reverentiam, oboedientiam* et *fidelitatem,* quas obligationes s. scriptura commemorat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo*[1]).

1. *Reverentia* principibus debita exigit, ut in eis agnoscatur suprema auctoritas a Deo eis collata et ideo ob supe-

[1]) Cf. Rom. 14, 1—7.

rioritatem, qua excellunt, debitus honor eis praestetur. Et quod de principe dicitur, id servata proportione etiam de magistratibus inferioribus valet.

Hinc subditi cives etiam graviter peccare possunt tum interno contemptu tum externa irreverentia, si vel ipsi principi vel eius imagini publice expositae contumeliam irrogent; si ex contemptu auctoritatis debita honoris signa negent, quando ea principi publice exhiberi debent; si publice ore vel scripto verba contumeliosa in eum proferant.

2. *Oboedientia.* Iuri imperandi, quod competit capiti societatis, in eius membris correspondet officium oboediendi; ideo dicit Apostolus: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*[1]). Duplex autem condicio requiritur, ut lex civilis in conscientia obliget: *a.* ut sit iusta; *b.* ut sit praeceptiva, non mere poenalis aut mere irritans.

De oboedientia usurpatori debita. Usurpator dicitur, qui per vim legitimum principem eiicit et potestatem publicam iniuste sibi arrogat. Iam vero

a. Usurpatori, qui est in quieta possessione arrogata potestatis, cives obtemperare tenentur in legibus, quae ad servandum ordinem publicum conduntur, non quidem ex iure condendi leges, quod in usurpatore nullum est, sed ob bonum commune, quod a civibus quidem exigit, ut oboedientiam praestent, ne respublica perturbetur, a legitimo principe autem, ut civium oboedientiae consentiat, quia non potest velle, ut potius respublica pereat, quam ut cives usurpatori se subiiciant.

b. Cives abstinere debent a quovis actu, quo usurpator agnoscitur tamquam legitimus princeps vel quo eius usurpata potestas confirmatur et consolidatur[2]).

3. *Fidelitas:* nunquam enim licitum est rebellare, etsi princeps sua potestate abutatur; et pari modo nunquam licitum est principem interficere, etsi eius regimen sit excessive tyrannicum; ideo ecclesia rebellionem et tyrannicidium nunquam non improbavit[3]).

---

[1]) Rom. 13, 5.

[2]) Quae in hac re licita vel illicita sunt, discimus ex compluribus responsis *s. Poententiariae* occasione recentis invasionis romanae datis 6. oct. 1859; 10. dec. 1860; 1. dec. 1866. Cf. *Villada,* Casus conscientiae[2] I. p. 197 ss.; *Pruner,* Kath. Moraltheol[1]. S. 355.

[3]) Doctrinam christianam de hac re continent litterae encyclicae Gregorii XVI. *Mirari* 15. aug. 1832 et Leonis XIII. *Diuturnum* 29. iun. 1881.

313. De fidelitate tyranno praestanda. Tyrannus dicitur legitimus princeps, qui potestate sua abutitur ad populum vi opprimendum. Quaeritur, num et quomodo populus contra gubernium manifesto tyrannicum legitime se defendere possit.

a. Nunquam licita est *rebellio.* Nomine rebellionis intelligitur violentia legitimo principi a subditis illata ad eum deponendum. Rebellio igitur proprie dicta non defensionis, sed aggressionis rationem habet; atqui subditi ius quidem habent se defendendi, non autem bellum inferendi tyranno, cum verus dominus sit. Ideo Apostolus ait: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*[1]*);* et *Pius IX.* hanc propositionem proscribit: *Legitimis principibus oboedientiam detrectare, immo et rebellare licet*[2]*).* Ergo lege naturae et christiana illicitum est *tyrannicidium* i. e. illicita est occisio legitimi principis sive ab homine privato sive a multitudine fiat.

b. Non solum licita sed quandoque etiam praecepta est *resistentia passiva,* qua populus oppressus contra iniuriam gubernii tyrannici se defendat et tueatur.

Resistentia passiva in eo consistit, quod subditi iniustis tyranni legibus oboedientiam constanter denegent. Hanc *licitam* esse patet, quia obligatio oboediendi in subditis non potest latius patere, quam ius imperandi in principe. Eadem *praecepta* est, quoties exigantur ea, quae legi naturali vel divinae contraria sunt.

In hoc casu *oportet Deo magis oboedire quam hominibus*[3]*);* et poenae, quae propterea infligantur, patienter ferendae sunt. Ad passivam resistentiam in hoc casu imprimis obligantur reipublicae officiales, quibus iniustas tyranni leges superiori legi contrarias nec promulgare nec exsecutioni mandare licet.

Nota. Fieri potest, ut etiam gubernium, quod nequit dici tyrannicum, iniustas leges condat. Etiam in hoc casu passivam resistentiam eis opponere licet. Et legibus quidem, quae sine peccato observari nequeunt, quia directe adversantur iuribus Dei vel ecclesiae, nunquam obtemperare licet, etsi propterea sustinenda essent gravissima mala temporalia; legibus autem, quae sine peccato observari possunt, quia directe solum adversantur iuribus subditorum, quibus ipsi renuntiare possunt, obtemperare licet et quandoque eis obtemperari debet, ubi nempe propter non observantiam maiora mala sequerentur. Ceterum hodierna forma regiminis civibus quaedam media suppeditat, quorum usu abolitionem legum iniustarum impetrare possunt, ut folia publica,

---

[1]) Rom. 13, 2.
[2]) *Syllabus* n. 63.
[3]) Act. 5, 29.

quae leges iniquas esse ostendunt, electio deputatorum, qui iura civium tueantur, ius petitionis, ius associationis et ius cogendi conventus.

Articulus quartus.

De obligatione solvendi tributa.

314. Declarationes. 1. *Tributum* in genere est omne id, quod reipublicae solvitur ad communes sumptus faciendos.

Tributum sic descriptum complures species tributorum comprehendit, quae omnes ad duo genera revocantur, ad tributa directa et indirecta. Tributum directum est *tributum stricte acceptum*, quod definitur pensio, quae civibus solvenda imponitur pro communibus necessitatibus vel utilitatibus.

2. Tributa alia sunt directa, alia indirecta:

a. Directa vocantur, quae immediate imponuntur personis sive ratione bonorum tum mobilium tum immobilium, sive ratione artis aut negotii. Huc pertinent tributa *personalia* (Personalsteuer), quae a singulis personis vel familiis secundum divitias mobiles exiguntur, tributa *realia*, quae ob bona immobilia (agros, domus) imponuntur (Grund-Haussteuer), et *concessiones*, quae subditis fiunt ad exercendam artem vel ad exercendum negotium (Gewerbe-Erwerbsteuer).

b. Indirecta vocantur, quae immediate imponuntur certis rebus occasione *mutationis iurium* per contractum vel successionem (Steuer vom Vermögensverkehr, Erbschaftssteuer), occasione *fabricationis*, venditionis vel usus certarum rerum (Branntwein- Brau- Tabaksteuer etc.) occasione *transvectionis* mercium in aliam regionem (Zölle — vectigalia).

α. *Tributum hereditatis* (Erbschaftssteuer) ab aliis ad tributa directa refertur, quia immediate afficiat heredem ratione hereditatis.

β. A tributis distingui debent ea, quae fisco solvuntur vi contractus privatim cum eo initi ut pretium pro transvehendis personis, mercibus, litteris: haec enim ex iustitia commutativa debentur.

315. De lege tributorum. 1. Auctoritas politica condere potest *leges tributarias* subditos in conscientia obli-

gantes, modo sint *iustae:* eo ipso enim, quod ius et officium habet dirigendi societatem ad finem ipsius proprium, etiam ius habet exigendi media, quae ad gubernandam societatem necessaria vel utilia sunt, et subditis incumbit obligatio conferendi ea, quae in hunc finem exiguntur[1]).

Ergo obligatio solvendi tributa ex ipso facto oritur, quo quis civis i. e. pars societatis civilis est: sicut enim in praesenti ordine unusquisque naturali necessitate in proprium bonum concurrit ad constituendam societatem, ita eadem necessitate conferre debet id, quod ad eandem societatem conservandam requiritur. Tributum recte non concipiunt, qui affirmant illud esse retributionem a civibus communitati exhibitam pro bonis atque emolumentis, quae singuli ex convictu sociali percipiunt. In determinanda quantitate tributi singulis imponenda ratio haberi poterit etiam emolumenti ex societate percepti, at fundamentum obligationis emolumentum perceptum dici nequit.

2. Ut tributorum impositio *iusta sit*, praeter legitimam potestatem ea imponendi tria requiruntur: *a. iusta causa,* quae adesse censetur, si tributum vel immediate vel mediate cedit in bonum commune, ad quod referenda est etiam sustentatio principis eius dignitati conveniens; *b. iustus modus,* i. e. tributum non debet esse nimium sed moderatum, quod scilicet exigentiam publicae necessitatis vel utilitatis non excedat; *c. iusta proportio* cum facultatibus subditorum, adeo ut divites plus solvere debeant, quam pauperes. Si una harum condicionum deest, lex tributorum dicenda est iniusta, quae non inducit obligationem tributa solvendi nisi ad maius malum vitandum.

In dubio de iustitia tributi ex mente *s. Alphonsi* (n. 615) licitum est praesumere illud esse iniustum. Generatim quidem in dubio praesumendum est pro iustitia legis et pro obligatione oboediendi; si tamen adiuncta peculiaria contrarium suadeant, in dubio licet eam habere iniustam. Adiuncta autem peculiaria in nostro casu haec sunt: Ob condiciones, quae ad iustitiam tributorum requiruntur, reipsa non observatas pluries leges iniustae conditae sunt, quam ob rem praesumptio his legibus potius contraria est. Insuper lege tributorum non

---

[1]) De hac re ex instituto agunt scriptores ethices et iuris naturae. Cf. *Theod. Meyer,* Institutiones iuris naturae (Friburgi. Herder. 1900). II. n. 628. ss. *Vict. Cathrein,* Moralphilosophie[4]) (Freiburg Herder. 1899) II. S. 625. *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert. 1904) n. 97—128.

solum subditis valde onerosae sunt, sed eos etiam propriis bonis privant; atqui in dubio de iustitia talis legis subditi ad oboedientiam non tenentur[1]).

316. De obligatione legum tributorum. 1. Leges tributorum iustae, si quae praeceptivae sint, obligant *ex iustitia legali:* leges enim tributorum nihil speciale habent, sed ad normam aliarum legum diiudicandae sunt[2]); aliae autem leges civiles per se ex iustitia legali obligant. Et sane ex iustitia legali subditi ea suppeditare tenentur, quae ad bonum commune requiruntur, si lege ab eis exigantur. Etsi nunc tributa per deputatos a populo electos imponantur, vim obligandi tamen leges tributariae non sortiuntur a consensu populi, sed a voluntate deputatorum atque ipsius principis ideoque rationem verae legis habent, aeque atque aliae.

a. Plerique inter auctores antiquiores iique optimae notae huius erant sententiae leges tributorum, saltem aliquas, obligare *ex iustitia commutativa.* Quam obligationem ipsi deducebant ex quasi-contractu inter principem et subditos tacite inito, quo ille quidem se obligat ad bonam et rectam gubernationem, subditi vero se obligant ad subministrandum *stipendium,* quo princeps onera publica sustinere possit[3]). Verum (si a iure feudali priorum temporum praescindimus) nullus intercedit tacitus eiusmodi contractus, sed princeps sine contractu naturali ordinatione ex iustitia legali tenetur apte gubernare rempublicam, et subditi ex eadem iustitia legali tenentur subministrare media ad bonam gubernationem necessaria.

b. Obligatio legis tributorum ita intelligi potest, ut subditi tributa solvere non teneantur, nisi quoad quantitatem determinata *ab eis exigantur:* nam ad superiorem communitatis spectat onera communia inter subditos dividere, qui proinde ad determinatum onus praestandum ante distributionem non tenentur.

[1]) Cf. *Lugo,* De iustitia et iure disp. 36. n. 86.

[2]) Cf. *Suarez,* De legibus l. 5. c. 13. n. 6.

[3]) Cf. *Lugo,* l. c. disp. 36. n. 38; *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 33. n. 57. *Sporer-Bierbaum* II. tract. 5. n. 926. et plures alii, quibus ex recentibus ex simili ratione accedit *Marres,* De iustitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1889). l. 2. n. 196; *Scavini,* Theologia moralis[14] (Medolani. Oliva 1890) II. n. 604; *E. Müller,* Theologia moralis[7] (Vindobonae. Mayr. 1894) II. p. 466; *Amberg,* Die Steuer in der Rechtsphilosophie der Scholastiker (Berlin u. Leipzig. Rothschild. 1909).

2. Leges, quae respiciunt *tributa indirecta,* sunt leges mere *poenales.*

a. Sane communis est inter homines etiam timoratos persuasio se teneri solvere haec tributa, ne incurrant poenam non solventibus iniunctam. Insuper poenae in defraudantes haec tributa inflictae sunt extraordinario modo graves; poenae autem gravissimae et exorbitantes in transgressores legis inflictae ordinarie signum sunt legis poenalis. Tandem potestas publica non solum possidet media sufficientia, quibus exigat solutionem tributorum, sed haec media physica eaque sola reipsa etiam adhibet; ex hac autem agendi ratione colligitur ipsam non urgere obligationem conscientiae.

b. Ergo non peccant neque ad restitutionem tenentur, qui important et vendunt merces prohibitas; qui tamen de industria ac veluti ex proprio negotio *defraudandis vectigalibus* occupantur (Schmuggler), a peccato gravi excusari non possunt, tum quia gravi periculo se exponunt non solum incurrendi gravissimam poenam, sed etiam damnum vitae subeundi, tum quia animo ita dispositi sunt, ut contra publicos custodes et exactores vectigalium etiam vi illata se defendant.

3. Leges tributariae, quae respiciunt *tributa directa,* dummodo sint iustae, in nostris Austriae et Germaniae regionibus videntur esse *praeceptivae ex iustitia legali:* per se enim ex iustitia legali obligant; pro his autem tributis valere non videntur rationes, quae ad negandam vim praeceptivam quoad tributa indirecta adducuntur. Accedit loquendi ratio s. scripturae, ex qua tributa in genere in conscientia obligant: *Reddite, quae sunt caesaris caesari*[1]). *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim et tributa praestatis; reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*[2]).

Non desunt auctores, qui ex iisdem fere rationibus, quae de tributis indirectis adduci possunt, opinantur etiam tributa directa per modum legis poenalis imponi. His concedi debet communem esse fidelium etiam timoratorum persuasionem inter tot et tanta tributa, quae exiguntur, nonnulla esse iniusta aut saltem excessiva et proinde se non agere contra conscientiam, si non *omnia* tributa solvant, sed ad bonum commune, in quantum tenentur, satis se conferre, eo quod partem tributorum solvant. Hinc est, quod existiment se non teneri

---

[1]) Matth. 22, 21.

[2]) Rom. 13, 5—7.

ad bona accurate indicanda, propter quae tributa exigantur. Insuper hi auctores rationem habent condicionum suae regionis, ubi forte legislator obligationem conscientiae parvipendit et subditi has leges ut poenales habent[1]).

317. De indicandis bonis, pro quibus tributa imponuntur. *a.* Si nulla exsistit obligatio conscientiae solvendi ipsa tributa, neque exsistit obligatio indicandi bona, pro quibus ea imponuntur. Quamobrem indicari non debent actiones vel merces, propter quas tributa indirecta vel directa iniusta exiguntur. Possunt ergo licite celari merces, quae invehuntur, a mendaciis autem et fraudibus abstineri debet.

b. Ubi exsistit stricta obligatio solvendi tributa directa, bona eorumque valor iustus ex iustitia legali indicanda sunt: lege enim a principe lata praecipitur, ut res suas tributo subiectas cives ipsi declarent, cui legi per se ex iustitia legali oboedire tenentur.

c. Qui tamen partem quartam vel tertiam bonorum celare conatur, reus iniustitiae non est habendus ex duplici causa: α. quia aliqua tributa haberi possunt iniusta, adeo ut quisque detracta illa parte adhuc censeri possit satisfecisse suae obligationi ad bonum commune pro sua parte conferendi; β. quia eiusmodi agendi ratio communiter etiam ab aliis servatur, unde fit, ut nec alii ideo cogantur plus solvere, nec gubernium careat necessariis subsidiis, quippe quod ex hac ipsa ratione augere soleat tributa.

Notarii, qui in conficiendis instrumentis venditionis vel eiusmodi minorem rerum, quae tributo obnoxiae sunt, valorem declarant, non agunt contra iustitiam commutativam, cum ex munere sibi commisso non utilitatem gubernii curare, sed documenta authentica iuxta normam legis conficere debeant. Quin etiam a mendacio tum notarii tum privati, pro quibus eiusmodi instrumenta conficiuntur, excusari possunt, sicubi usus communiter invaluit minorem rerum valorem decla-

[1]) Leges tributorum saltem in *Belgio* probabilius esse leges mere poenales affirmat *Génicot* (I. n. 474); idem universim docent *Berardi* (Prax. conf. II. n. 413) et *Bucceroni* (de leg. n. 81). *Ballerini-Palmieri* (I. n. 327) solas leges, quae respiciunt tributa indirecta, affirmat esse poenales.

randi: instrumenta enim in hoc casu solum affirmant hunc esse valorem, qui ex recepta consuetudine tributo subest.

d. Iuramentum, quo quandoque confirmari debet omnia rite declarata esse, efficit, ut peccatum contra religionem committatur, si quidquam celatum vel si pretium rerum, quae tributis sunt obnoxiae, infra infimum depressum fuerit. Ubi tamen constat tributum sive totum sive ex parte iniustum esse, licet uti restrictione mentali, adeo ut emisso iuramento non laedatur religio, etsi id, quod iniuste exigitur, celatum fuerit.

Declaratio habet rationem medii necessarii, sine quo lex tributorum exsecutioni mandari non potest. Eodem iure ergo eademque obligatione, qua ipsa tributa exiguntur, imponitur etiam rerum, quae tributis obnoxiae sunt, declaratio. Patet eodem iure eademque obligatione exigi etiam *iuramentum* de declaratione rite facta. Qui iuste et licite partem rerum tributo obnoxiarum occultat, licite etiam iuramentum emittere potest de declaratione rite facta, ea nempe, quae iuste exigitur.

318. Obligationes exactorum. *a.* Tenentur tributa et vectigalia, ad quorum exactionem constituti sunt, convenienti diligentia exigere, et quidem singula, nisi constet ea esse iniusta, ita tamen, ut benignius tractent pauperes et eos, qui in solvendis tributis diligentes sunt, idque ex voluntate principis rationabiliter praesumpta. Si tributa et vectigalia diligenter non exigunt, vel si absque iusta causa indulgentius agunt, ut vel totum vel magna pars defraudari possit, contra iustitiam commutativam peccant, quia ex contractu et ex stipendio recepto ad exigenda tributa constituti sunt.

b. Exactores tributorum aut vectigalium, qui pecunia corrumpi aut aliis mediis iniustis induci se sinunt, ut aut nulla aut minora tributa et vectigalia exigant, aut inquirere in res tributo obnoxias omittant, contra iustitiam commutativam peccant; contra eandem iustitiam agunt etiam ii, qui exactores corrumpunt, quia eos ad peccatum iniustitiae inducunt et fiscum iniusto medio impediunt, quominus iustum tributum obtineat.

Articulus quintus.

De obligatione praestandi militiam[1]).

319. De legibus militaribus. 1. Auctoritati politicae competit ius providendi media, quae ad conservandam et defendendam rempublicam necessaria sunt. Huic iuri in civibus respondet obligatio ex iustitia legali conferendi ea, quae ad rempublicam ab internis et externis hostibus defendendam necessaria sunt. Cum finis iste conservandae et defendendae reipublicae absque vi militari obtineri nequeat, auctoritas politica iure condere potest *leges militares*, quibus cives per se ex iustitia legali obtemperare debent, dummodo iustae sint.

2. Modus, quo potestas politica de necessaria vi militari sibi provideat, a condicionibus temporum et populorum dependet, et reipsa diversis temporibus diversus erat. Cum hodie fere omnes magnae respublicae *exercitus stabiles* (stehende Heere) sustineant, triplex potissimum diversus modus comparandi milites distingui potest: milites enim vel sunt *conducti* (voluntarii), qui pacta mercede ad definitum tempus assumuntur, vel sunt *conscripti,* idque vel lege *conscriptionis universalis,* qua omnes iuvenes idonei militiam sequi debent, vel lege *conscriptionis particularis,* qua ex idoneis aliqui, plerumque sorte electi, ad militiam assumuntur.

3. Ut *iustae* sint leges militares, duplex potissimum condicio requiritur: *a. quoad numerum* militum, ut non plures ad militiam assumantur, quam ad securitatem reipublicae vere necessarii sint: etenim si plures militiam praestare iubentur, frustra prodigitur civium pecunia in alendo maiore, quam par est, exercitu, et sine necessitate milites in contuberniis exponuntur magnis periculis mora-

[1]) *Theod. Mayer,* Institutiones iuris naturae II. n. 615 ss. *Vict. Cathrein,* Moralphilosophie[4] II. 628. *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia n. 129 ss.

libus. *b. Quoad modum* cogendi exercitum, ne milites coacti conscribantur, ubi voluntarii haberi possunt et simul necessitatibus reipublicae sufficiunt: alias enim sine necessitate cives privantur libertate sua providendi rebus domesticis et amplectendi statum, quam maluerint.

Patet iustitiam legis militaris id imprimis exigere, ut ab obligatione praestandi militiam ii eximantur, qui vel lege ecclesiastica (divina) exempti sunt ut clerici et religiosi vel lege naturali ut filii, qui familiae alendae necessarii sunt: etenim lex superior praevalet legi inferiori.

320. De obligatione legis militaris. Non videtur improbabilis sententia affirmans in plerisque regionibus leges militares, praesertim ubi viget conscriptio universalis esse leges mere poenales: etenim commune iudicium etiam prudentum ac timoratorum vim earum in hunc modum interpretatur; accedunt poenae extraordinarie graves, quibus harum legum transgressores puniuntur. Quodsi leges militares alicubi sint leges praeceptivae, *ex iustitia legali* eis parendum est.

a. Sunt, qui leges militares, quae conscriptionem universalem praecipiant, *certo iniustas* dicant et *probabiliter iniustas* eas, quae conscriptionem particularem exigant[1]). Ex supradictis patet eas iniustas esse, si tot milites ad tuendam patriae securitatem necessarii non sint, vel si numerus militum necessarius per milites mercede conductos comparari possit. Cum ad aequum iudicium in hac re valde difficili ferendum quamplurimae cognitiones sociales et politicae requirantur, a confessario exigi nequit, ut ipse quaestionem definiat, sed prudenter legem iustam habere potest, si illi, ad quos spectat, consideratis omnibus circumstantiis affirment in determinata republica tantum exercitum, et quidem conscriptione coactum, necessarium esse.

b. Quod additur, legem nempe militiae, quae omnes aptos ad servitium armorum vocat, iustitiae distributivae adversari, eo quod solae familiae, quae filios militiae idoneos habent, hoc onus subire cogantur, verum est, nisi cura adhibeatur, ut divitum familiis, qui filios ad militiam aptos non habent, aliud onus imponatur. Ex illa ratione vero, quod lex militaris iuvenes per plures annos ad coelibatum cogat, ea non demonstratur iniusta: supposita enim tanti exercitus

[1]) *I. Aertnys*, Theologia moralis[5] (Paderbornae. Schöningh. 1898) I. n. 380.

necessitate ratio boni communis iure ab eis exigit, ut matrimonium per aliquod tempus differant.

321. Obligationes militum. Cum tripliciter diversus sit modus comparandi exercitus, iuvat obligationes militum pro diversis hisce condicionibus, supposita harum legum vera obligatione, accuratius determinare.

1. Milites *conducti* ex iustitia commutativa militiam sequi et condiciones promissas servare tenentur: hi enim inito contractu et pacta mercede ad servitium militare praestandum se obligarunt, ideo ad servandas condiciones contractus militaris ex iustitia tenentur. Si ergo ea non praestant, quae ex pacto stipendio praestare debent, ad restitutionem stipendii tenentur excepto casu, quo respublica, quae eos conduxit, condiciones contractus ipsa non servat.

2. Milites *conscripti* conscriptione *particulari: a.* tenentur sortis periculum subire; si sortitioni se subducunt, contra iustitiam legalem offendunt. *b.* Sorte designati militiam sequi tenentur, cui si se subducunt, laedunt iustitiam legalem, non autem commutativam neque quoad eos, qui in eorum locum ad militiam assumuntur, neque quoad rempublicam.

Non quoad eos etc., tum quia non sunt causa, sed occasio damni, quod illi patiuntur (causa efficax damni est lex militaris), tum quia hoc damnum ex iustitia impedire non tenentur, cum nemo eorum ius habeat, ut a servitio militari sit immunis. *Non quoad rempublicam,* quia respublica solum ex iustitia legali eos obligat ad praestandam militiam.

3. Milites *conscripti* conscriptione *universali* militiam sequi tenentur ex iustitia legali. Qui ergo se subtrahit servitio militari, ubi omnes idonei ad militiam assumuntur, certe non laedit iustitiam commutativam, quod iam ex eo patet, quod ex sua agendi ratione nullus alius damnum patitur, cum omnes apti assumantur.

322. Resolutiones. 1. Cum *clerici* a sequenda militia immunes sint, licite se ei subtrahere et iam conscripti licite aufugere possunt, etsi sacramentum militare dixerint: legi enim iniustae oboedire non tenentur. Idem per se valet etiam de iis, qui familiae

alendae necessarii sunt, quippe qui iure naturae a sequenda militia sint immunes.

2. Qui artificia adhibent ad se eximendos a militia e. g. oculos debilitando vel defectum sibi procurando, nec contra iustitiam nec contra aliam virtutem peccant, dummodo medium, quo utuntur, licitum sit: nulla enim lege prohibentur, quominus se eximant ab onere sibi quam maxime gravi.

3. Qui occasione militiae in fide vel in moribus grave periculum subeunt, quod praecavere nequeunt, militiae se subtrahere vel eam licite deserere possunt, etsi sacramentum dixerint, modo aufugiendo non se exponant gravioribus periculis. Idem dicendum est de iis, qui merito timent, ne occasione militiae a vocatione clericali vel religiosa deficiant.

4. Qui sine iusta causa militiam deserunt, graviter peccant tum contra iustitiam tum contra religionem et per se redire tenentur, et quidem tum ex iuramento tum ex iustitia commutativa, si mercede conducti sunt, vel ex iustitia legali, si conscripti sunt; ab hac obligatione autem plerumque excusantur tum propter gravissimam poenam, quae redeuntes manet, tum propter magna pericula moralia, quae militibus in contuberniis imminent; ab obligatione iuramenti per dispensationem liberari possunt.

Articulus sextus.

De obligatione eligendi deputatos[1]).

Deputati eligendi sunt vel ad comitia regni vel ad comitia provinciae et municipii; obligationes autem, quae ad electores referuntur, servata proportione utrobique eaedem sunt. Pariter nihil refert, utrum gubernium sit catholicum an vero acatholicum aut liberale, modo facultate eligendi uti liceat. Obligatio eorum, qui ius eligendi habent, duplex est, *concurrendi* ad electionem et *eligendi idoneum* deputatum.

---

[1]) *Vict. Cathrein,* Moralphilosophie[4] II. S. 674 ff. *Lehmkuhl,* I. n. 799 s. *Villada,* Casus conscientiae[2] (Bruxellis. Vromant. 1885) I. p. 139 ss. *Génicot* l. n. 359. *Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert. 1904) n. 85—96. *Waffelaert,* De virtutibus cardinalibus (Brugis. Beyaert. 1886) III. n. 406—413. *Leonis XIII.* encycl. *Sapientiae christianae* 10. ian. 1890.

323. De obligatione eligendi. Singuli cives *ex iustitia legali tenentur uti facultate eligendi,* ubi usus huius facultatis ad promovendam bonam vel impediendam malam electionem necessarius vel utilis est, nisi legitime excusentur: quilibet enim tenetur, quantum in se est, bonum communitatis necessarium vel utile promovere et damna reipublicae praecavere.

a. Ius eligendi civibus non convenit vi muneris vel officii; qui ergo non utitur suo iure, ubi illo uti tenetur, non agit contra iustitiam commutativam, proinde nec tenetur per se reparare damna, quae ex illo neglectu orta sunt. Ius eligendi potius considerari debet tamquam privilegium a principe iis concessum, pro quibus certae condiciones verificantur. Ergo ex facultate eligendi civibus concessa nondum oritur eo ipso etiam obligatio concurrendi ad electionem, cum per se nemo teneatur uti privilegio. Haec obligatio oritur vel ex obligatione conferendi ad bonum commune vel ex lege civili, sicubi cives ad electiones concurrere iubeantur; sed haec obligatio est obligatio *iustitiae legalis.* Exercentes itaque ius eligendi ex iustitia legali conferunt ad bonum commune; atqui nulla exsistit obligatio conferendi ad bonum commune, nisi necessitas vel utilitas id postulet.

b. Admitti debet *legitima excusatio* ab obligatione concurrendi ad electionem, si concursus magnum incommodum affert, quia leges affirmativae non obligant cum tanto incommodo; tale autem incommodum non est iactura temporis vel labor ad id necessarius nec irrisio vel convicium malevolorum; sed solum aut grave damnum aut magnus sumptus aut notabilis vexatio et eiusmodi.

c. Obligatio eligendi, praesertim si *lege praecipitur,* dicenda erit *gravis vel levis* pro ratione boni, quod promoveri, aut mali, quod a communitate averti potest. Iam vero omnes consentiunt nostro tempore bonum tum ecclesiae tum reipublicae ab electionibus multum pendere; quare obligatio gravis concurrendi ad electiones exsistere potest. In specie vero notandum est: α. si eligendi sunt duo candidati, quorum alter bonus, alter malus, aut alter magis, alter minus malus est, exsistit obligatio concurrendi, quamdiu prudenter sperari potest, fore ut bonus vel minus malus eligatur; β. si quis prudenter sperare potest, fore ut suo concursu ad electionem plures alii pertrahantur ad eligendum et sic electio mala impediatur, pro ipso exsistit gravis obligatio eligendi.

Nota. Vir catholicus et probus in certis adiunctis sub gravi teneri potest, ut tamquam candidatus muneris publici se offerat et

electionem in magistratum vel in deputatum sive provinciae sive regni *acceptet,* scilicet: *a.* si eius electio certa est; *b.* si gravia damna communia impedire potest; *c.* si munus publicum absque incommodo vere gravi gerere potest; *d.* si non adsit alius, qui bono communi aeque prosit.

324. De obligatione eligendi dignum. Nulla quidem exsistit obligatio eligendi digniorem; quilibet autem *sub gravi tenetur idoneum eligere,* si ex electione indigni grave damnum praevideri potest. Ratio *primi* est, quia nullibi praecipitur, ut superiores sint optimi, sed ut sint apti et idonei. Ratio *secundi* est: *a.* quia electores per se approbare censentur principia et actiones eorum, quos eligunt; *b.* quia scienter eligentes ineptum cooperantur ad omnia mala, quae electus infert reipublicae vel ecclesiae; *c.* quia aliis scandalo sunt.

α. Candidatus dici debet ineptus, tum si ex defectu scientiae, prudentiae vel experientiae impar est officio suo, tum praesertim si est infensus religioni catholicae. Quare ut vere idoneus haberi possit, vir catholicus esse debet, qui non solum ingenii et prudentiae laude claret, sed etiam secundum principia catholica munere suo fungitur.

β. Graviter peccant, qui scienter eligunt candidatum principiis catholicis infensum, ut sunt liberales et socialistae, eumque iuvare intendunt, ut pravos suos fines assequatur, etsi alias peritiam praeseferat: formaliter enim cooperantur ad malum.

γ. Hoc valet etiam de electionibus ad comitia provincialia, quin et municipalia. Falluntur ergo, qui putant homines non plane catholicos in magistratus electos civitatibus non nocere, dummodo rebus gerendis idonei sint: etenim magistratus, qui ecclesiae infensi sunt, civitati plurimum nocere possunt, eo quod in educatione iuventutis falsa et impia principia sectantur, scandala et crimina non impediunt etc.

325. De electione indigni. Quandoque licitum est indignum eligere. Casus, in quibus accidere potest, ut licite eligatur malus, hi sunt:

a. Si absque gravissimo incommodo e. g. amissione officii eligi non potest nisi malus.

Ab electione in hoc casu elector abstinere potest etiam in illis adiunctis, in quibus electio pro aliis sub gravi praecepta sit: cum tanto enim incommodo lex affirmativa non obligat. Quodsi nec abstinere potest, quin magna mala incurrat, nec suffragium bonum ferre, quin

detegatur, ipsi indignum candidatum eligere licet, quia cooperatio ad malam electionem solum est materialis. Nam actione sua efficere, ut quis accipiat munus deputati, non est malum, etsi constet eum esse hoc munere abusurum ad inferenda mala; nec electio necessario involvit approbationem principiorum et actionum mali deputati.

b. Si eligendus est malus ad impediendam electionem peioris.

Si accidat, ut electoribus solum optio detur inter duos candidatos, qui ambo mali sunt, quorum unus tamen minus, alter magis indignus est, per se ab electione abstinere debent; si tamen suffragia ferentes efficere possunt, ut reiecto magis indigno minus malus eligatur, concurrere licet; cooperari enim licet actione indifferenti ad minus malum, ut maius malum impediatur. Electores in hoc casu concurrere etiam debere, aliis affirmantibus alii negant.

c. Si iure merito sperari potest, ut ex electione mali magna utilitas (civitati, provinciae, reipublicae) proveniat.

d. Si nulla spes est, fore ut eligatur elenchus constitutus bonorum, nisi eligantur etiam mali, qui in eodem elencho continentur.

Liber quintus.

De quinto decalogi praecepto[1]).

„Non occides". Ex. 20, 13.

Hoc praeceptum *formaliter* negativum est prohibens homicidium; sed quoniam mors tum sibi tum aliis etiam omissione curae necessariae inferri potest, idem *virtualiter* etiam positivum est. Quatenus *positivum* est, praecipit vitae conservationem; quatenus autem negativum est, prohibet primario quidem iniustam occisionem tum sui tum aliorum, secundario autem omnem iniustam laesionem (vulnerationem et mutilationem) vitae sive propriae sive alienae; quae quidem laesiones omnes ad homicidium, praecipuam humanae vitae laesionem, reducuntur. Quare agendum est *a.* de conservatione vitae; *b.* de occisione et mutilatione sui; *c.* de occisione malefactoris; *d.* de occisione iniusti aggressoris; *e.* de occisione innocentis; *f.* de occisione in duello; *g.* de occisione in bello.

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 64. 65. *S. Alphonsus* l. 3. n. 363—411. *Lugo,* De iustitia et iure disp. 10. *Lessius,* De iustitia et iure l. 2. c. 9. *Reuter,* Theologia moralis III. n. 366—386. *Sporer-Bierbaum,* Theologia moralis decalog. II. tract. 5. n. 150—549. *Ballerini-Palmieri,* Opus theolog. morale[3]) II. n. 848—958. *Lehmkuhl,* Theologia moralis[10] I. n. 831—859.

Quaestio prima.

De obligatione conservandi vitam.

326. De ipsa obligatione. 1. Unusquisque tenetur *propriam vitam, sanitatem et membrorum integritatem conservare;* quod quidem praeceptum per se grave est, sed quoad sanitatem et membrorum integritatem parvitatem materiae admittit.

a. Idem praeceptum, quod prohibet sui occisionem, eo ipso praecipit etiam propriae vitae conservationem, cum virtualiter idem sit vitam non conservare et vitam sibi adimere.

b. Inter bona naturalia a Deo nobis concredita vita corporalis primum locum occupat, cum sit fundamentum et condicio omnium aliorum bonorum; sed bonum a Deo nobis tamquam custodibus commissum sedulo tueri debemus, donec ipse illud repetat.

c. Ex revelatione novimus vitam temporalem esse tempus praeparationis, quo vitam aeternam mereamur; *tempus sementis pro die messis*[1]*), tempus operandi in vinea Domini*[2]*); tempus colligendi usuras ex talentis nobis a Deo commissis*[3]*); tempus thesaurizandi thesauros in coelo*[4]*); tempus currendi in stadio ad accipiendum bravium et contendendi in agone ad accipiendam coronam incorruptibilem*[5]*).* Hoc tempus ex dispositione divina cum morte finem sortitur. Ex his elucet summum totius vitae et cuiusvis particulae eius momentum.

2. Ideo tenetur unusquisque sibi procurare ea, quae ad vitam et sanitatem servandam necessaria sunt: *cibum, indumentum, habitationem,* et arcere ea, quae vitae et sanitati nocent, affectam vero valetudinem aptis mediis (medicus et medicamenta) restaurare.

Peccant, qui *cibos, indumenta et habitationem* ad vitae conservationem atque ad alios fines necessaria sibi voluntarie non procurant, etsi hoc durum laborem postulet (66, 2).

---

[1]) Matth. 13, 24 ss.
[2]) Matth. 20, 1.
[3]) Matth. 25, 14 ss.
[4]) Matth. 6, 20.
[5]) 1. Cor. 9, 24. 25.

3. Tenemur quidem vitam et sanitatem conservare *mediis ordinariis,* non autem mediis *extraordinariis:* qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media ordinaria, quae ad illum obtinendum requiruntur, non autem per se etiam extraordinaria. Media ergo ordinaria non adhibere perinde esset ac mortem sibi inferre; media autem extraordinaria non adhibere idem est ac mortem permittere, quod quandoque licitum est. Quaenam media censeantur extraordinaria, communi hominum aestimatione diiudicandum est.

a. Peccant infirmi, qui *in gravi infirmitate,* ubi spes affulget convalescendi, nolunt advocare medicum et adhibere remedia sibi praescripta[1]), quae ratione condicionis facile comparari et adhiberi possunt. At non peccant, qui in morbo periculoso nolunt abhibere remedium ratione status et condicionis valde sumptuosum, vel remedium propter magnos dolores valde difficile. Ideo nemo, ne ditissimus quidem, tenetur per se advocare medicos peritissimos ad gravem morbum depellendum, nec tenetur per se quisquam relinquere domicilium et alibi salubriorem aërem quaerere, quia haec omnia extraordinaria sunt.

b. Ex hac eadem ratione dicendum est non exsistere obligationem subeundi gravem *operationem chirurgicam* vel notabilem amputationem: etsi enim hodie dolores multarum operationum propter sopitos sensus non sint acerbi, obligatio tamen non est imponenda, tum quia plerique eam magnopere horrent, tum quia successus, praesertim stabilis, ordinarie est incertus, tum denique quia grave incommodum est vitam ducere corpore mutilato[2]). Neminem *per se* obligari ad subeundam gravem operationem chirurgicam, quam vehementer horret, quia hic ipse horror difficultas est extraordinaria, apte ex eo confirmatur, quod *s. Alphonsus* (n. 372) sequens complures auctores censet, virginem non teneri operationem pati per manus chirurgi, etiamsi vita aliter servari non possit, quando hanc contrectationem ob verecundiam magis horret quam ipsam mortem. *Per accidens* tamen aliquis obligari potest ad subeundam operationem vel amputationem, ubi nempe agatur de persona familiae vel bono publico valde necessaria et successus sit moraliter certus.

c. Non peccant, qui *contra levem infirmitatem* ex rationabili causa remedium adhibere nolunt, quia levis cura in recuperanda sanitate ex

---

[1]) Cf. Eccl. 38, 1. 4.

[2]) Cf. *Capellmann,* Medicina pastor. p. 23 s.

iusta causa negligi potest, sicut levis vitae abbreviatio ex rationabili causa admissa licita est.

d. Monachus perpetuae abstinentiae a carnibus ex regula addictus non peccat, si in gravi infirmitate renuit carnes comedere, quibus posset vitam servare: etenim ad magnum bonum obtinendum licet vitae conservationem omittere; ad magnum autem bonum commune ordinis conducit, ut regula abstinentiae etiam cum periculo vitae stricte observetur[1]).

Num superior gravem operationem chirurgicam praecipere possit. Si infirmus bono aliorum necessarius et successus operationis moraliter certus est, pater vel superior obligare potest filium vel subditum ad subeundam operationem, cuius dolores non sunt valde acerbi. Verum deficiente aliqua ex his condicionibus non videtur superior rem tam arduam praecipere posse[2]).

Nota. De *ebrietate* deque influxu *ebriositatis* in sanitatem et vitam corporis cf. *De principiis* n. 344.

Quaestio secunda.

De occisione et mutilatione sui ipsius.

327. De occisione sui. 1. Nunquam licet *propria auctoritate se ipsum directe occidere,* etsi vita nobis facta sit dura aliisque inutilis.

Nam destructio rei est actus dominii; homo autem non habet dominium in vitam suam; laeditur ergo occisione sui supremum et exclusivum Dei dominium in hominis vitam[3]). Insuper laeditur caritas, qua homo se ipsum diligere tenetur, cum maximum malum sibi inferat. Tandem vita, etsi acerba vel aliis inutilis, semper retinet principale suum momentum promerendi vitam aeternam. Quare sui occisio est contra iustitiam erga Deum et contra sui ipsius dilectionem. Etiam *in sacra scriptura* sui ipsius occisio saepius prohibetur[4]), et ecclesia sui occisionem privatione sepulturae ecclesiasticae punit.

---

[1]) Cf. *Sanchez,* Consilia mor. l. 5, c. 1. dub. 34. n. 6. *Lugo,* De iustitia disp. 10. n. 33. *S. Alphonsus* n. 370.

[2]) *Lugo* disp. 10. n. 21.

[3]) *S. Thomas* II. II. q. 64. a. 5.

[4]) Ex. 20, 13. Gen. 9, 6. Deut. 32, 39. Sap. 16. 13 ss. Rom 14, 7—9.

a. Directe se vel alium occidit, qui actionem occisivam ponit cum intentione sibi vel alteri mortem inferendi; *indirecte* se vel alium occidit, qui sui vel alterius occisionem non intendit, sed scienter aliquid facit, ex quo praevidet sui vel alterius mortem secuturam. Ut quis directe se ipsum vel alium occidere dicatur, requiritur, ut actio et intentio sit immediate et directe occisiva. Intentio autem necessario directe occisiva est, ubi actio immediate unum tantum effectum eumque occisivum habet. Quodsi nec actio nec intentio immediate et directe occisiva est, aut sola actio, non autem intentio, non censetur aliquis se vel alium directe occidere, ut ex facto Samsonis patet[1]).

b. Ergo sui occisio non permittitur ne ad gravissimum quidem malum e. g. miserias praesentis vitae, vehementem pudorem propter admissum scelus, metum poenae, ignominiae timorem effugiendum: mala enim temporalia quantumvis magna bono vitae inferiora sunt; sed eligere maius malum ad effugiendum minus contra rationem et contra ordinatum sui amorem est. Ideo nec virgini licet se ipsam occidere ad effugiendam violentam corruptionem seu ad bonum integritatis servandum.

c. Non licet cum certa iactura vitae in flumen se proiicere vel in medias flammas insilire ad baptizandum puerum: haec enim esset directa sui occisio, quia actio posita immediate tendit in sui occisionem et solum hac actione posita puer baptizari potest. Ut hoc licite fieri possit, adesse debet aliqua saltem spes ex undis flammisve evadendi.

2. Licet se ipsum directe occidere *auctoritate divina:* tunc enim homo vitam deserit cum licentia ipsius vitae supremi domini; idem probabiliter etiam licet *auctoritate publica:* ubi enim aliquis iuste ad mortem damnatus est, potest iudex ex iure naturae sententiae exsecutionem cuilibet, etiam reo, committere; potest ergo reus, qui morte mulctandus est, permittente iudice, ipse se licite interimere seu poenam mortis in se ipse exsequi[2]).

Facta, quae in vitis sanctorum leguntur, aliquos nempe seipsos occidisse sive ex desiderio martyrii sive ad servandam castitatem, ab aliis per *inspirationem divinam,* qua Deus eis licentiam concessit seipsos interimendi, ab aliis potius per *ignorantiam invincibilem explicantur,* quae quidem eo facilius supponi potest, quia ex obvia rei considera-

---

[1]) Iud. 16, 30.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 369. *Ballerini-Palmieri,* II. n. 861 s. ubi etiam rationes utriusque sententiae examini subiiciuntur.

tione non statim evidens est sui occisionem ad magnum bonum servandam illicitam esse[1]).

3. Ex causa proportionate gravi licet *indirecte se occidere*. Quamvis etiam indirecta sui occisio *per se* prohibita sit, licet tamen ponere actionem ex se indifferentem, ex qua sequitur propria mors, si saltem aeque immediate sequitur effectus bonus, et si adest gravis causa boni communis vel privati illam actionem ponendi. In hunc modum explicatur factum Eleazari occidentis elephantem, quo ipse oppressus est[2]).

a. Licet e fenestra desilire cum certo mortis periculo ad fugiendam mortem duriorem e. g. in flammis iamiam subeundam. Licet ex alta turri se praecipitare cum certo mortis periculo ad fugiendam mortem atrocem, quam actu illaturus est tyrannus. At idem non licet, si tyrannus alias mortem atrocem illaturus id exigat: etenim si mors nondum actu infertur, praecipitatio non est actio, ex qua immediate uterque effectus consequitur, propria mors et fuga mortis atrocioris, sed est sui occisio, quae eligitur tamquam medium ad maius malum effugiendum.

b. Licet virgini ex praealta rupe cum certa vitae iactura se praecipitare, ut e manibus impuri violatoris se eripiat et sic virginitatem servet, etsi rationabiliter speret se non esse consensuram. Hoc tamen non licet, nisi (moraliter) actu vis inferatur; etenim si vis nondum infertur, eligitur sui occisio ad grave malum evitandum, quod illicitum est.

c. Licet incendere navim vel turrim ad submergendos vel delendos hostes, etsi propria mors inde certo sequatur.

d. Licet in naufragio alteri cedere tabulam, quam quis iam arripuerat, etsi ille, qui cedens tabulam se demittit in mare, certo sit periturus. Et hanc quidem actionem cedendi tabulam et tradendi se morti propter amicum *s. Thomas* actum perfectissimae virtutis nuncupat[3]).

e. Licet se sistere tyranno, a quo quis certo novit se interfectum iri, ad alios roborandos in fide vel ad alios a morte salvandos etc. Exsistente enim causa proportionate gravi cessat tum obligatio conservandi propriam vitam tum obligatio impediendi alienum peccatum.

---

[1]) *Lessius*, De iustitia l. 2. c. 9 n. 23.

[2]) 1. Mach. 6, 43 ss. Cf. *Lessius*, De iustit. l. 2. c. 9. n. 32; *Lugo*, De iustit. disp. 10. n. 55.

[3]) In 3. dist. 29. a. 15. ad 3.

Nota. Duo principia, quae sequuntur, iam continentur quidem in praecedenti, iuvat tamen ea claritatis causa explicite proponere.

4. Ex iusta causa licet *vitam etiam pluribus annis indirecte abbreviare.* Cum praeceptum servandi vitam affirmativum sit, quod non obligat semper et in omni casu, ex gravi causa licet aliquid facere vel omittere, ex quo vitae abbreviatio seu mortis acceleratio sequatur. Immo vitae humanae condiciones eiusmodi sunt, ut quandoque etiam notabilior vitae abbreviatio admittenda sit[1]). — *Iusta causa* sive vitam abbreviandi sive vitam periculo exponendi est *moralis necessitas* et *virtutis exercitium.*

a. Non peccant fabri ferrarii, qui quotidie ignem versantes vitam sibi abbreviant, neque alii operarii ut vitrum conflantes, metalla inaurantes etc., quorum labores non modicam vitae abbreviationem afferunt.

b. Qui laboribus, poenitentiis, ieiuniis et eiusmodi austeritatibus in honorem Dei susceptis mortem aliquamdiu accelerat, non peccat, modo prudentiae et discretionis regulis in illis suscipiendis regatur.

c. Qui medico auctore ad aliquod tempus vitam prolongare potest, eo quod abstinet a vino moderate sumendo, non tenetur sub gravi abstinere. — Item qui medico auctore vitam protrahere potest, eo quod vinum bibat vel carnes comedat, quibus uti non solebat, sub gravi non tenetur, quia in utroque casu abbreviatio levis est; immo ex motivo virtutis in ultimo casu licite abstinere potest.

d. Qui excessivo potu vel cibo vitam aliquo tempore abbreviant, graviter contra quintum praeceptum non peccant, dummodo non adducant proximum periculum mortis vel gravis morbi, vel notabilem vitae abbreviationem.

5. Ex iusta causa licet *vitae periculo se exponere;* remoto quidem ex levi, proximo vero solum ex gravi causa. Qui sine causa remoto vitae periculo se exponit, leviter, qui sine causa proximo vitae periculo se exponit, graviter peccat. Quo maius est mortis periculum, quod ex actione inducitur, eo maior debet esse ratio, ob quam illud inducere liceat.

Proximo vitae periculo se exponere dicitur, qui valde probabili periculo mortis sive proxime sive post aliquod tempus subeundae se exponit; *remoto* vitae periculo se exponere dicitur, qui periculo solum aliquo modo probabili mortis sive proxime sive post aliquod tempus

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 866 ss.

subeundae se exponit. Ut quis proximo *vitae periculo* se exponere censeatur, aliquam saltem spem evadendi habere debet, qui nullam spem evadendi habet, vitam non periculo exponere, sed perimere dicitur. Periculum aliquo modo probabile dicitur, ubi mors ex aliqua actione raro vel non adeo frequenter sequitur; econtra valde probabile, ubi mors ex aliqua actione frequenter vel plerumque sequitur.

a. Licet peste vel alio morbo contagioso infectis inservire, item sacramenta administrare cum magno periculo contrahendi luem. — Licet reis detentis in carcere ex alto se praecipites dare ad evadendam certam sententiam mortis vel carcerem perpetuum, dummodo adsit aliqua spes servandi vitam, at idem non liceret ad effugiendum carcerem paucorum tantum annorum, nisi vitae periculum, quod se praecipitantes inducunt, esset valde remotum.

b. Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt et variis, ubi opus est, periculis se exponunt.

c. Graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione, ex vana gloria vel unice lucri faciendi causa in proximum vitae periculum se coniiciunt e. g. feras excitando, artem funambuli exercendo, ieiunium diutissime protrahendo etc., nisi experientia constet, abesse probabile vitae periculum, ut contingit in cursibus equorum.

d. Peccat, qui gravi febri laborans absque necessitate iter facit vel magnum laborem suscipit.

328. De sui mutilatione. Sui ipsius *mutilatio* per se graviter illicita est, nisi ad ipsam vitam conservandam sit necessaria. Ratio *primi* est, quia homo sicut vitae, ita etiam membrorum suorum non est dominus, ut pro arbitrio de iis disponere possit. Ratio *secundi* est, quia corporis sui custos et conservator est, et ideo potest ad totum corpus servandum partem seu membrum abscindere: pars enim ordinatur ad totum, ideoque postponi debet bono totius.

a. Licet ergo e. g. manum catena ligatam sibi abscindere ad effugiendum incendium. Et sicut ad vitae conservationem licita est sui mutilatio, ita ex eadem ratione licet in amputationem membri consentire. — In *levi* tamen *materia,* ut si quis sine causa particulam auriculae vel articulum parvi digiti sibi praecidat, grave peccatum non committitur.

b. Mutilationes sui ipsius, quae a sanctis virginibus factae leguntur, aut ex inspiratione divina aut ex bona fide explicari debent, ut supra de sui occisione dictum est. (n. 327, 2).

Resolutiones. Ex alio fine, qui non tendit in conservationem totius, non videtur licita sui mutilatio. 1. Non licet *se castrare pro bono spirituali* scil. ad vitandum peccatum incontinentiae vel ad sedandas tentationes[1]): nam finis iste semper aliis mediis obtineri potest; insuper eiusmodi mutilatio impotentem reddit ad generandum, nec tamen eximit a tentationibus carnalibus.

2. Multo minus licet *se mutilare ad aliquod lucrum vel commodum sibi comparandum;* quare non licet adolescenti se mutilare, ut onus militiae effugiat, nec pauperi, ut maiores eleemosynas obtineat.

3. Nonnulli auctores saltem ut probabilem admittunt opinionem eorum, qui dicunt *castrationem* in pueris licitam esse, ut suaviore voce Dei laudes in ecclesia cantare et honestum sibi victum parare possint, modo habeatur haec duplex condicio: ut moraliter absit periculum vitae, et non fiat pueris invitis[2]); verum si ea illicita est ad notabile bonum spirituale obtinendum, multo magis illicita erit ad bonum temporale consequendum[3]).

Summi pontifices castrationem puerorum nunquam probarunt, nec unquam licitam dixerunt, immo eos, qui culpabiliter se aliosve eunuchos fecissent, irregulares declararunt; eunuchos tamen, qui absque propria culpa tales facti sunt, ad concentus ecclesiasticos admiserunt[4]).

4. Est operatio chirurgica, quae a medicis ab eius inventore, a medico *Porro,* operatio *Porrensis* vocatur. Ea in exstirpatione uteri cum ovariis consistit, qua mulier redditur impotens ad generandum. Certe licita est haec operatio ad vitam conservandam; sed ex alio fine praeter vitae conservationem e. g. ad impediendam futuram conceptionem vel ad praecavendam operationis caesareae necessitatem admitti non potest[5]).

329. *Num liceat mortem sibi optare.* — Licet ex motivo obtinendi bonum, quod vita melius, aut effugiendi malum, quod morte peius est, quia hac ratione nec dominium Dei in vitam hominis nec caritas sibi debita ullatenus violatur[6]).

a. Sane α. aliud est mortem sibi inferre, aliud mortem sibi optare: qui enim mortem sibi infert, laedit ius divinum; qui mortem

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 65. a. 1. ad 3.

[2]) *S. Alphonsus* n. 374.

[3]) Cf. *Lugo,* De iustit. et iure disp. 10 n. 23.

[4]) *Benedictus XIV.*, De synodo l. 11. c. 7. n. 3.

[5]) Cf. *Capellmann,* Medicina pastoralis[9] (Aquisgrani Barth. 1893) p. 26 ss.

[6]) Cf. 3 Reg. 19, 4.

sibi optat, exspectat mortem a Deo sibi inferendam. β. Desiderium mortis utpote rei indifferentis moralitatem accipit ab eiusdem motivo; ideo ex honesto fine mortem sibi optare licitum est, ex pravo fine eam sibi optare per se grave peccatum est; sed nec rationi nec caritati repugnat optare sibi mortem, quae sit initium maiorum bonorum aut finis maiorum malorum; repugnat autem rationi et caritati sibi debitae, velle sibi gravissimum malum ad evitandum aliud leve malum.

b. Ideo licite desiderari potest mors ad fruendum aeterna beatitudine, ad perfectius amandum Deum, ad Deum nunquam amplius offendendum, ad evitanda mala revera gravissima e. g. diutinam infirmitatem, molestas vexationes et insidias etc.; ideo s. scriptura habet: *Melior est mors quam vita amara*[1]). Sed grave peccatum est optare sibi mortem ob ordinarias molestias vitae, nisi in aestu irae vel in quadam animi perturbatione sine sufficienti deliberatione id fiat.

Quaestio tertia.

De occisione malefactoris.

330. Nomine *malefactoris* hic intelligitur is, qui crimen poena mortis dignum patravit.

De iure in malefactores. 1. *Auctoritas publica eaque sola ius habet occidendi malefactores,* quatenus id ad bonum commune necessarium est, id quod ex s. scriptura, ex consensu universali omnium populorum et ex rei natura probatur[2]).

a. Sunt, qui ipsum ius poenam mortis infligendi auctoritati civili omnino negent; alii ius ipsum non negant, sed solum in extremis quibusdam casibus necessitatis concedunt; alii ius quidem illimitate concedunt, eius tamen exercitium nostris temporibus civilitatis et humanitatis abrogandum esse dicunt. Inde factum est, ut poena mortis in

[1]) Eccli. 30, 17.

[2]) Cf. *Vict. Cathrein,* Moralphilosophie[4] (Freiburg. Herder. 1899) II. S. 634 ff. *Theod. Meyer,* Institutiones iuris natur. (Friburgi. Herder. 1900) II. 593 ss.

compluribus regnis abolita sit. Sed post breve tempus, cum crimina invalescerent, ipsi subditi eam restituendam postularunt.

b. Etsi nonnulla antiqui foederis testimonia ad leges iudiciales pro solis Israelitis valituras pertineant[1]), alia tamen universalem valorem habent, ut istud: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*[2]). Etiam *s. Paulus* auctoritati civili qua tali ius infligendi poenas in genere tribuit et in specie ius infligendi poenam mortis: *Dei minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; vindex in iram ei, qui malum agit*[3]).

c. Legislatores omnium temporum poenam capitis infligendam decernunt; illi quoque, qui perversis iuris principiis imbuti eam abolendam putarunt, pro certis casibus tamen retinendam decreverunt. Quam poenam omnes gentes licitam et iustam agnoverunt, id quod nunquam fecissent, nisi eam supremae potestati necessariam esse lumine rationis cognovissent.

d. Auctoritati supremae ius decernendi atque infligendi poenam mortis *necessarium* est. Et sane, ex iure et officio efficaciter defendendi ordinem socialem et stabilem securitatem iurium subditis providendi, decernere atque infligere potest eas poenas, quibus homines a delictis etiam atrocioribus efficaciter absterreantur; atqui experientia teste multi a delictis atrocissimis non satis absterrentur nisi timore poenae capitalis. Eiusmodi malefactores, qui communitati evadunt nocivi, sunt veluti membrum putre in organismo, quod ius ad vitam amisit atque in bonum commune a corpore societatis separari debet.

e. Ratio autem *secundi* est, quia malefactores solum ob bonum commune licite occidi possunt; ergo malefactores punire ad eum pertinet, cui administratio communitatis commissa est, nempe supremo principi. Multo maiora mala obvenirent reipublicae, si quilibet privata auctoritate posset occidere malefactores. Quare nec patri nec domino licet filium vel servum correptionis causa occidere vel mutilare vel universim ei damnum irreparabile inferre, quod solum supremae potestati ob bonum commune licet.

2. Ut criminis reus iuste occidi possit, *tria requiruntur: a.* ut crimen vere *grave* commiserit: etenim poena mortis est gravissima poena, quam societas civilis infligere potest; *b.* ut crimen *certo* commiserit: nam iure in vitam suam certo exspoliari non potest nisi propter crimen cer-

---

[1]) Lev. 24, 17.
[2]) Gen. 9, 6.
[3]) Rom. 13, 4.

tum; ideo si probabiliter tantum de crimine constat, ex iure favendum est reo; *c.* ut de crimine commisso *indicialiter* constet: nam ius naturae postulat, ut reus se defendere possit et non nisi iuridice convictus condemnetur, nisi auctoritas publica in particulari casu ob rationem boni communis potestatem fecerit, occidendi hominem in ipso crimine deprehensum.

Reo ad mortem condemnato concedi debet tempus suscipiendi ultima sacramenta; si tamen confiteri peccata sua nollet, praemissa monitione nihilominus occidi posset: aeternam enim damnationem sibi ipsi tribuere debet.

331. Resolutiones. *a.* Non licet custodibus publici ordinis malefactores aufugientes occidere, etiamsi iam fuerint ad mortem damnati: ad quempiam enim occidendum requiritur potestas publicae auctoritatis. Hinc si quando iidem custodes arma explodunt in malefactores vel resistentes vel fugientes, id facere pos sunt vel defensionis iure vel e speciali potestate ipsis facta in reos iam ad mortem damnatos. Nam quilibet potest per se a iudice constitui exsecutor poenae. Dempta autem licentia publicae auctoritatis nemini licet ne publicos quidem grassatores occidere.

Licite a quolibet occiditur *proscriptus* i. e. publica auctoritate reus mortis declaratus: nam in hoc casu quilibet a publica auctoritate constituitur exsecutor iustae sententiae in proscriptum malefactorem. Quare ipse proscriptus non potest se defendere et occidere aggressorem: nam solum contra iniustum aggressorem licet se defendere.

b. Miles in statione positus in accedentem, quem frustra monuerat, ne progrediatur, sub his condicionibus licite explodere potest: α. ut instructio supremae potestatis id praecipiat; β. ut consistere iussus de poena (explosione sclopeti) moneatur; γ. ut admissa vulneratione caveatur occisio. Etsi enim inoboedientia, qua ille iustae militis iussioni resistit, ratione boni communis in certis adiunctis graviter puniri possit, non est tamen crimen morte dignum. Simile quid dicendum est de confinium *custodibus,* qui in mercium fraudatores explodunt.

c. Nec licet civibus exercere *vindictam,* quam dicunt *popularem* — Lynchjustiz — quia ordo publicus in societate civili iam constituta postulat, ut potestas puniendi reos publicae auctoritati omnino reservetur, alias omnia replerentur caedibus.

Quaestio quarta.

De occisione iniusti aggressoris.

332. De iure in aggressorem vitae. Licet unicuique defendere tum propriam tum aliorum vitam etiam cum occisione iniusti aggressoris, *servato tamen moderamine inculpatae tutelae,* tum quia unusquisque ius habet propriam vitam vitae iniusti aggressoris praeferendi, tum quia secus scelerati cum maximo damno societatis humanae alios iniuriis afficerent. Ideo vim vi repellere, etiamsi ex sui defensione mors aggressoris sequatur, omnes leges omniaque iura positiva permittunt[1]).

a. Aggressor dicitur, qui *actu* iam aggreditur vel actu quaedam agit, ex quibus *moraliter* iam aggredi censetur e. g. iam arma parat: etenim si physica aggressio exspectanda esset, defensio sui saepe impossibilis fieret. Attamen non licet aggressionem praeveniendo eum occidere, qui insidias struit postea certo aggressurus, quamvis impossibile sit evadere periculum[2]). Non licet post aggressionem occidere aggressorem, quod non defensio, sed vindicta esset.

b. Ubi condiciones requisitae adsunt, unusquisque contra *quemlibet iniustum aggressorem* se defendere potest, etiam cum morte aggressoris, sive aggressio sit *formaliter* sive *materialiter iniusta.* Quare etiam filius contra patrem, subditus contra principem (nisi maiora mala ut bella timeantur), laicus contra clericum, clericus contra laicum, unusquisque etiam contra furiosum, amentem, ebrium se defendere potest: licet enim materialem tantum hic committat iniustitiam, ius tamen ad vitam per aggressoris amentiam vel ebriëtatem non amittitur.

c. Unicuique licitum est propriam vitam hoc modo defendere, sed nemo *tenetur* iniustum aggressorem occidere; quare propriam occisionem licite permittere potest: hoc namque medium conservandi vitam durum et crudele est, a quo natura abhorret. In duplici tamen casu propriam occisionem permittere non licet:

---

[1]) C. Si vero 3 *De sententia excom.* (V. 39).

[2]) Cf. propositio 18. ab *Alexandro VII.* damnata.

α. si vita invasi bono communi vel necessaria vel valde utilis est, β. si invasus in statu peccati mortalis est.

d. Non solum propriam, sed *etiam aliorum vitam* sic defendere licet: quod enim aliquis per se licite facit, id etiam per alium facere potest; immo ratione caritatis, pietatis vel officii (ab iis, qui ad tuendam aliorum vitam vel bona conducti sunt) id fieri etiam aliquando deberet. Quoniam autem talis occisio ordinarie magna incommoda secum fert, raro privatus aliquis ad id tenetur, nisi accedat ratio pietatis vel officii.

Ideo si invasus esset persona bono publico necessaria, vel si esset pater aut filius aut uxor, iustitia legalis vel pietas obligaret ad eius vitam defendendam. Et qui ad defensionem aliorum conducti sunt ut milites et custodes, vitam aliorum etiam cum gravi suo incommodo defendere tenentur, quia officium eos ad id obligat.

e. Si invasus sciat aggressorem esse *in statu peccati mortalis* ordinarie se defendere potest etiam occidendo aggressorem. Si enim aggressor est *formaliter* iniustus, libere huic periculo se exponit; cum ergo ipse sibi providere possit, non versatur in extrema necessitate spirituali. Si autem *materialiter* iniustus est ut amens, reipsa versatur in extrema necessitate spirituali eique invasus tantum subvenire potest. Hinc si invasus prudenter iudicaret se esse in statu gratiae, inde vero certo sciret aggressorem esse in statu peccati mortalis, quem statum postea emendaturus sit caritas postularet, ut eius salutem aeternam praeferret vitae suae temporali. Sed cum duplex haec cognitio haberi non possit, haec obligatio vix unquam certo exsistit; obligatio autem incerta nequit alium privare certo iure se defendendi.

333. De iure in aggressorem bonorum. 1. Non solum vitam, sed etiam *alia maioris momenti bona, licet inferioris ordinis,* cum occisione iniusti aggressoris defendere licet, si alia ratione servare nequeunt: caritas enim non obligat, ut quis bona aliena altioris ordinis praeferat suis inferioris ordinis, nisi alter in extrema necessitate versetur; sed iniustus aggressor alieni boni non est in extrema necessitate, cum sponte periculo mortis se exponat[1])

Etiam bona fortunae cum occisione iniusti aggressoris licite defendi posse theologi nunquam non recte intulerunt ex s. scriptura, quae furem nocturnum domum effringentem occidere permittit[2]).

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 383.

[2]) Ex. 22, 2. *S. Thomas* II. II. q. 64. a. 7.

2. *Bona* autem, quae servato moderamine inculpatae tutelae sic defendere licet, sunt:

a. Bonae fortunae magni momenti. Magni momenti haec bona esse debent, quia caritas prohibet, ne propter leve damnum proximo gravissimum damnum inferatur[1]).

α. Bona *magni momenti* non solum ea sunt, quibus ablatis alicui deficeret sustentatio pro se et suis, sed etiam ea, quorum iactura pro qualitate personae damnum notabile esset.

β. Licet occidere furem *rem* magni momenti *auferentem*, si res alia via recuperari nequeat et si monitus eam dimittere nolit; quod si monitio impossibilis aut inutilis sit, ea etiam omitti potest[2]).

γ. Non licet eum occidere, qui aufert *rem parvi momenti;* sed licet eam contra furem tueri et ablatam a fure recuperare, si alia via satis certo recuperari nequeat; quodsi fur vim adhibeat, ubi opus fuerit, etiam occidi potest. Sic enim non occiditur ad rem tuendam vel recuperandam, sed ad propriam personam defendendam[3]).

b. Pudicitia: etenim si invasorem bonorum fortunae occidere licet, a fortiori invasorem pudicitiae, quae est bonum praestantius divitiis. Attamen invasorem castitatis occidere virgo non *tenetur,* sed potest passive se habere, quia contra voluntatem castitas non amittitur.

c. Integritas membrorum: quod enim ad vitam servandam, id etiam ad integritatem corporis defendendam licet.

334. De aggressore honoris. Iuxta legem perfectionis a Christo nobis traditam iniuriae acceptae aequanimiter ferendae atque inimico sine satisfactione condonandae sunt; iuxta ordinem vero iustitiae et aequitatis naturalis haec statui posse videntur[4]):

a. Non licet aggressorem famae vel honoris occidere sive ad impediendam iniuriam imminentem sive ad recuperandum honorem ablatum.

---

[1]) Propositio 31. ab *Innocentio XI.* damnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

[2]) *S. Alphonsus* n. 382. *Bucceroni,* Casus consc.[5] n. 59, 3.

[3]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 890.

[4]) Cf. *Elbel-Bierbaum,* Theol. mor. I. pr. 4. n. 67 ss. *Génicot,* Casus conscient. l. p. 154 s. *Viva,* Theses damnatae. In prop. 30. ab *Innocentio XI.* damnatam n. IX.

Id enim prohibet prima pars propositionis 30. damnatae[1]) et recte quidem, quia raro adsunt condiciones ad cruentam defensionem requisitae (ut grave damnum inferatur, ut non adsit alia via reparandi damnum). Quodsi adsint condiciones requisitae, id tamen non licet quia non servatur moderamen inculpatae tutelae: nam ad recuperandum honorem verbali, quin et reali iniuria ablatum iuxta moralem hominum aestimationem non requiritur aggressoris occisio, sed sufficit iniuriae retorsio etiam, si opus sit, cum percussione calumniatoris, ubi per iudicem honor recuperari non potest.

b. Honorem reali aut verbali iniuria ablatum licet statim pari iniuria irrogata recuperare, si, quod ordinarie contingit, per iudicem sine molestia recuperari non possit.

Licet ergo statim repercutere eum, qui ignominiose aliquem percussit, non quidem vindictae causa, sed ad vitandam infamiam seu ad recuperandum honorem, ubi in morali hominum aestimatione percussus censeatur honore privatus, donec repercusserit, econtra recuperasse honorem, si repercusserit. Sicut ei, qui probroso nomine aliquem appellavit, simile nomen reddere licet. Neque dicatur hanc sententiam esse damnatam: siquidem solum damnatur, quod possit *occidi* percutiens, *si fugiat.* Practice tamen haec sententia duplex periculum involvit, ne repercussio vindictae causa fiat, et ne violetur moderamen inculpatae tutelae. Ceterum si repercussus iterum caedere velit, nihil impedit, quominus repercussio etiam stricto gladio, si opus sit, impediatur.

c. Non licet recuperare honorem reali aut verbali iniuria iam antea ablatum occisione aut percussione auferentis.

Id enim prohibet secunda pars propositionis 30. damnatae, quia occisio non defensio sed vindicta foret. Insuper poena pro delicto commisso a iudice irrogari debet.

Nota. Advertendum est *lege positiva* considerari tamquam homicidam poena mulctandum eum, qui aggressorem honoris, pudicitiae et bonorum fortunae occidat; solum ad stuprum impediendum ex lege civili mulier invasorem occidere potest.

335. De moderamine inculpatae tutelae. Moderamen inculpatae tutelae, quod in sui defensione servandum

---

[1]) *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

est, exigit, ut nihil fiat contra vitam aggressoris, nisi sit necessarium ad propriam vitam tuendam: quod enim necessitas non excusat, est contra iustitiam. Tria igitur exigit: *a.* ne impetatur vita, nisi actu (moraliter) instet aggressio; *b.* ne impetatur vita aggressoris, si alia via (clamando, fugiendo) declinari potest periculum; *c.* ne occidatur aggressor, si ad defensionem sufficit eius vulneratio.

a. Non tenetur fugere, qui sine magno detrimento (quia e. g. incurreret ignominiam hominis timidi et ignavi) fugere nequit; moderamen enim inculpatae tutelae non exigit, ut cum maximo detrimento proprio vitetur periculum aggressoris. Ideo fugere tenentur, si satis secure possunt: α. homines plebei, quia nullam honoris iacturam patiuntur; β. clerici et religiosi, quia ipsis, qui exemplum mansuetudinis praebere debent, fuga non est ignominiosa; γ. omnes, etiam viri nobiles et militares, si aggressor ebrius vel amens est, quia in hoc casu fuga nemini ignominiosa est.

b. Practice iudicium de mediis ad sui defensionem necessariis iudicio eius, cuius vita periclitatur, committendum est; quodsi quis in subito periculo, ubi deficit tempus expendendi omnia adiuncta, arripit medium, quod non fuisset plane necessarium, inculpandus non est.

Quaestio quinta.

De occisione innocentis.

Articulus primus.

De homicidio.

336. Definitio. *Homicidium* late seu etymologice acceptum, prout nempe ab eo praescindit, utrum licitum an illicitum sit, definitur *violenta exanimatio hominis ab homine facta.* Quodsi de *homicidio* simpliciter sermo est, intelligitur homicidium illicitum seu occisio *innocentis,* qui nul-

lum crimen commisit nec commissurus est, propter quod morte dignus sit.

a. Hominis: hoc nomine late accepto intelligitur etiam foetus humanus nondum in lucem editus, modo animatus sit; ideo procurantes abortum per se rei sunt homicidii. Ubi tamen homicidium est casus reservatus, hoc nomen strictius accipitur, nempe pro occisione hominis iam nati. *Ab homine:* etenim si brutum hominem perimat, occisio non dicitur homicidium, sed *pauperies.*

b. Quoniam homicidium proprie est contra iustitiam, stricte loquendo non committit homicidium, qui non liberat a morte, quem liberare posset et *ex caritate* deberet; qui vero a morte non liberat, quem liberare posset et *ex iustitia* deberet, ut si medicus infirmo, cuius curam suscepit, non succurrit, homicidium committit.

337. Divisio. *a.* Distinguitur homicidium *voluntarium* et *involuntarium:* illud intenditur, hoc ex aliqua actione vel omissione praeter omnem intentionem consequitur.

b. Homicidium (voluntarium) aliud est *directum* et aliud *indirectum,* prout in se vel solum in causa intenditur, ex qua saltem probabiliter secuturum praevidetur.

Homicidium *casuale* duplici sensu accipitur: strictius, si est prorsus involuntarium, et latius, si est indirecte seu in causa voluntarium. Illud dicitur *mere* casuale, hoc casuale *mixtum.* Homicidium igitur casuale quandoque etiam in culpam imputari potest, sicut omne indirecte voluntarium sub certis condicionibus in culpam imputatur[1]).

Qui sine iusta causa ponit actionem, etsi illicitam, ex qua *raro* sequitur mors alterius, non est reus homicidii, modo debitam diligentiam adhibuerit, ut si quis, etsi clericus, operam dans venationi et debitam adhibens diligentiam hominem occidit: est enim homicidium mere casuale; qui autem sine iusta causa ponit actionem ex qua *frequenter* sequitur mors alterius, reus est homicidii, etsi debitam diligentiam adhibeat, ut si mater suffocat infantem in lecto, vel si quis tegulas sine debitis cautionibus ex tecto in viam publicam proiicit: est enim homicidium voluntarium in causa. Ideo prior actio non est propter periculum homicidii prohibita, posterior autem propter ipsum hoc periculum prohibita est.

c. Homicidium *simplex,* quod praeter homicidium nullam aliam speciem peccati ex circumstantiis continet, et *qualificatum,* quod aliam insuper peccati speciem ex circumstantiis continet. Huiusmodi sunt: α. *sacrilegium* ra-

[1]) Cf. *De principiis*[3] n. 82 s.

tione personae occisae aut ratione loci, in quo fit occisio; β. *parricidium,* quod est occisio patris vel matris, item occisio ascendentis vel descendentis, *fratricidium* seu occisio fratris vel sororis, *uxoricidium* item et viri occisio; γ. *regicidium* seu occisio principis; δ. *latrocinium*, quod est occisio ex praedandi voluntate patrata.

a. Ad quaestionem, num specie differat parricidium, uxoricidium et fratricidium, item num differant parricidium in primo gradu et in aliis gradibus, cohaerenter ad doctrinam expositam de incestu dici debet: probabile est iniurias illatas parentibus vel uxori vel fratribus et iniurias illatas in primo et in aliis gradibus specie morali invicem non differre, quia omnes adversantur moraliter eodem modo eidem virtuti pietatis. Ergo sufficit, si poenitens in confessione dicat, se occidisse aliquem sibi arcte coniunctum, quin declaret, num fuerit pater vel filius vel frater vel uxor etc[1]). Nova peccati species, quae continetur in *regicidio* seu in crimine laesae maiestatis, ut si quis occideret papam vel regem vel principem, est laesio observantiae, quae illis personis speciali modo debetur. *Latrocinio* accedit nova peccati species ex fine, scilicet ex voluntate praedandi, sicut nova peccati malitia homicidio illius accedit, qui alium interficit ex voluntate fornicandi.

b. Quod de occisione dicitur, id servata proportione etiam de *mutilatione, vulneratione, verberatione* seu violenta *percussione* valet, quae peccata inducere possunt malitiam specie distinctam, si insuper religioni vel pietati opponuntur. Praeterea haec eadem peccata levia esse possunt ex parvitate materiae excepta mutilatione, in qua parvitas materiae vix admittenda est, si pro amputatione membri accipitur. Sic puerorum rixae ob parvitatem materiae plerumque levia peccata sunt.

338. Principia generalia. 1. Nunquam licitum est *directe occidere innocentem,* ne publica quidem auctoritate: nam actio haec est in se mala. Et sane nemo a Deo potestatem habet occidendi innocentem, ne publica quidem auctoritas. Insuper caritas proximo debita et tum ipsius occisi tum suorum et societatis iura irreparabiliter laeduntur. Quapropter lege divina expresse prohibetur; *insontem et iustum non occides*[2]).

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 850. ss.

[2]) Ex. 23, 7.

a. Homicidium sacra scriptura ut *scelus nefandum* depingit, tum quia homicida impie invadit ius Dei supremum, qui est vitae et mortis unicus Dominus[1]), tum quia perimit hominem ad imaginem Dei conditum[2]). Ideo sicut in veteri testamento ita etiam a plerisque codicibus poenalibus modernis durissima poena capitis mulctatur homicidium.

b. Ideo non licet occidere lethaliter *vulneratos* vel alios quoscunque moribundos, ne diutius patiantur; nec *furiosos*, ne aliis noceant, modo aliter a caede cohiberi possint; nec *matrem* in extremis positam, ut infans eius baptizari possit; nec licet in *naufragio* quemquam in mare proiicere, ut ceteri salventur: non enim sunt facienda mala, ut eveniat bonum.

c. Non licet occidere *obsides*, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servassent et obsides ad se missos ipsi iniuste interfecissent, nec licet occidere aliquos filios obsides, ut parentes ad liberandos reliquos filios facilius se dedant: sunt enim innocentes.

d. Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno eius mortem postulanti, etsi subversionem urbis minitet. Attamen posset innocens tradi tyranno ad salvandam patriam[3]), licet eius mors certo praevideatur; et si ipse nollet, posset cogi, ut tyranno se traderet, quia pro bono publico tenetur vitam suam periculo exponere[4]).

2. Ex causa proportionate gravi licitum est *indirecte innocentem occidere* i. e. licet aliquid in se indifferens facere vel omittere, unde praeter intentionem sequitur mors innocentis, quia mors innocentis ex principiis de voluntario in causa in hoc casu agenti imputari nequit.

a. Ideo in iusto bello licitum est tormenta dirigere in urbem obsessam; etsi multi innocentes perituri praevideantur.

b. Si quis hoste persequente non potest liberari a morte nisi conculcando puerum casu in arcta via sedentem, licet fugere et puerum, si opus sit, conculcare: indirecte enim occiditur, quia ex eadem actione uterque effectus aeque immediate procedit, bonus seu fuga ab inimico et malus seu mors infantis.

c. Licet aqua gelida, si alia haberi non posset, parvulum mox moriturum baptizare, etiamsi ex hoc mors infantis acceleranda timeatur[5]).

---

[1]) Deut. 32, 39.
[2]) Gen. 9, 6.
[3]) 1. Machab. 13, 16. ss.
[4]) Cf. *Lugo*, De iustitia disp. 10. n. 113.
[5]) *S. Alphonsus* l. 6. n. 106.

339. De punctione cordis (Herzstich). Accidit, ut medici in cadavere, antequam sepulcro inferatur, punctionem cordis perficiant vel arteriam aperiant, sive quia ipse defunctus testamento id postulavit, sive quia superstites coniuncti id exigunt.

a. Punctio cordis vel arteriae, quae sive testamento sive a consanguineis defuncti ea intentione exigitur, ne vivus defodiatur, qui solum apparenter defunctus sit, certe ob hanc ipsam intentionem illicita est, etsi reipsa defunctus sit, quia non licet cuiuspiam occisionem directe intendere, etsi id fiat ad optimum finem. Quodsi exigatur perficienda, quando iam adsunt certa mortis signa ad animum ex metu mortis apparentis conturbatum tranquillum reddendum, illicita non est.

b. Medico vel chirurgo certe non licet cor aut venam secare, nisi ex indubiis signis certam persuasionem habeat mortis iam secutae. Quodsi ex signis mortis indubiis hanc certam persuasionem sibi comparavit, ei licet cor aut venam pungere ad liberandos a metu et anxietate eos, qui punctionem petunt. Si enim licet hominem tumulo recondere, licet etiam eius cor ictu vulnerare, cum utraque actio ex se apta sit, quae homini reipsa apparenter tantum defuncto inferat mortem.

340. De craniotomia[1]). 1. *Craniotomia,* quae etiam perforatio vel cephalotripsia dicitur, est operatio chirurgica, qua infans in utero matris conciditur et concisus per partes extrahitur. Medici nunc hac operatione utuntur, quando infans maturus ob arctitudinem matris alio modo in lucem edi non potest, ideoque hac operatione omissa mater cum prole peritura sit.

[1]) Cf. *A. Eschbach,* Disputationes physiologico-theologicae[2] (Romae. Desclée, 1901) disp. 4. *I. Pennacchi,* De abortu et embryotomia (Romae. Typogr. s. c. de prop. fide. 1884). *Bergervoort,* Directer Abortus und Kraniotomie (München. Abt 1896). *Capellmann,* De occisione foetus (Aquisgrani. Barth. 1875). *Fr. Sippel,* Über die Berechtigung der Vernichtung des kindlichen Lebens zur Rettung der Mutter (Tübing. Pietzcker. 1902).

2. *Illicita est craniotomia,* i. e. non licet occidere infantem in utero matris, etsi nullum aliud suppetat medium servandi matrem, adeo ut operatione omissa mater et infans perituri sint: est enim directa occisio innocentis, cum mors infantis intendatur tamquam medium ad servandam matrem. Ideo *s. Officium* respondit: „tuto (sine periculo erroris) doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant“[1]).

a. Quibusdam theologis[2]) craniotomia non videbatur illicita, si aliud medium servandi matrem non suppetat, infans autem in utero matris baptizatus est. Hac ratione perit quidem infans, sed salvatur mater; non adhibita autem craniotomia pereunt mater simul et proles, aeternae autem saluti infantis aeque in utroque casu consulitur. Suam sententiam quadruplici ratione potissimum confirmant: α. Hac operatione acceleratur mors infantis alias certo morituri, idque ad servandam matrem alias pariter certo morituram; atqui tam exigua abbreviatio vitae ad tantum finem obtinendum pro nihilo reputanda est. β. Licitum est occidere iniustum aggressorem, qui alteri est causa mortis; atqui infans est innocens quidem, sed obiective iniustus aggressor, quia matri est causa mortis. γ. Si duo iura invicem pugnant, ius validius praevalere debet; atqui in hac pugna iurium inter matrem et foetum ius matris validius est. δ. Qui habet ius ad vitam, illud, si velit, alteri cedere potest; atque foetus ius suum matri cedere censendus est. — Verum licet *s. Officii* responsis doctrina opposita non declaretur simpliciter falsa, tamen ea uti amplius non licet nec theoretice nec practice. Ratio decisionis haec esse videtur. α. Non potest affirmari per craniotomiam exerceri actionem, ex qua aeque immediate duplex procedit effectus, alter bonus, alter malus; sed ipsa potius est actio, quae directe occidit prolem ad servandam matrem; directa autem occisio innocentis semper est illicita, etsi solum sit acceleratio mortis certo secuturae. β. Infans non potest considerari ut aggressor obiective iniustus: ipse enim non ponit actionem obiective iniustam, cum utens iure suo atque ex naturali rerum cursu matri sit causa mortis, ideoque potius comparandus sit homini peste infecto aliosque inficienti, quam iniusto aggressori. γ. Quodsi foetus considerari non potest ut iniustus aggressor, neque in conflictu iurium inter matrem et foetum ius matris validius dici potest. Concedendum est duo iura in hoc casu collidere nempe ius matris et prolis ad vitam servandam; sed negandum est,

---

[1]) *S. Officium* 28. maii 1884, quam resolutionem idem *s. Officium* 19. aug. 1889 extendit ad *quamcunque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis.*

[2]) *Ballerini, Avanzini, Apicella, Viscosi, Pennacchi, Constantini.*

ius matris praevalere. Si quidem nullius unquam ius ad bonum quodcunque (etiam publicum) ita praevalere potest, ut occisio innocentis licita evadat ad bonum illud obtinendum. Dignitas enim personae humanae, quae finem unicum habet Deum, impedit, quominus ipsa tamquam medium adhibeatur, ad aliud bonum obtinendum. δ. Ius in vitam suam nemo alteri ita cedere potest, ut unquam directam sui occisionem licite permittere queat.

b. In illis adiunctis, in quibus infans ob arctitudinem matris naturali via in lucem edi non potest, exstant operationes chirurgicae, quibus infans vivus extrahi possit, *sectio caesarea* et *symphysiotomia*. Verum etiamsi harum operationum nulla peragi possit, tamen non licet infantis caput confringere ad servandam matrem, sed naturali rerum cursui ambo permittendi sunt, etsi mors inde sequatur: auctorem enim naturae non offendit mors, quae vi legum naturae consequitur, eum vero offendit innocentis directa occisio. Cum tamen demonstratio, qua ex principiis naturalibus craniotomia ostenditur illicita, non sit adeo plana atque evidens, facile fieri potest, ut medici bona fide eam exerceant. Ideo caveat confessarius, nisi expresse de hac re interrogetur, ne eorum bonam fidem perturbet.

341. De foetibus ectopicis. *a.* Foetus *ectopici* ii dicuntur, qui extra naturalem suum locum reperiuntur, et cum naturalis eorum locus sit uterus maternus, etiam foetus extra-uterini vocantur. Primis praegnantiae mensibus valde difficile est foetum extra-uterinum a tumore discernere.

b. Si dubium est, utrum id, quod mater gerit, foetus sit an tumor, neque in mora sit periculum, exspectari debet, donec foetus sit maturus; nullatenus autem licet putativum tumorem amne electrico vel alio medio destruere, quia hoc modo directe destrueretur foetus, si quis adesset. Quodsi in mora sit periculum, ne mater pereat, ex mente quidem *P. Génicot* licet id, ex quo vitae periculum oritur, tamquam tumorem exstirpare: nam ius certum matris in vitam suam praevalet iuri incerto foetus, de cuius exsistentia dubitatur[1]).

c. Si certum est adesse foetum extra-uterinum, non licet eum exstirpare, quia directe occideretur innocens; nec foetus extra-uterinus magis considerari potest tamquam aggressor vitae maternae quam foetus uterinus, qui in lucem edi nequit. Licet autem ipsum uterum gravidum morbo affectum excidere, si hac operatione omissa mors matris certo sequeretur, quamvis etiam mors

[1]) Casus consc. I. p. 159 s.

foetus certo sequatur. Etenim hoc modo mors foetus indirecte tantum sequitur, cum actio operativa directe et immediate non afficiat foetum, sed uterum, in quo foetus includitur[1]).

Articulus secundus.

De procuratione abortus.

342. Declarationes. *Abortus* est eiectio foetus immaturi ex utero matris. Duplex distinguitur abortus, *naturalis* seu casualis, qui per causas naturales accidit, et *artificialis* seu voluntarius, qui de industria adducitur.

a. Fructum maternum physiologi ante quintum a conceptione mensem *embryonem*, postea *foetum* nuncupant. *Maturus* (ab aliis praematurus, ab aliis vitalis) dicitur foetus, quando vivere potest, etiamsi in lucem prodeat ante nonum gestationis mensem; foetus enim extra uterum maternum certo vivere potest, si post septimum gestationis mensem in lucem edatur; ante illud tempus foetus est *immaturus*, et, ubi in lucem prodit, fere semper moriturus.

b. Putabant veteres foetum masculinum 40 diebus, foetum vero femininum 80 diebus post conceptionem demum anima rationali informari; ideo distinguebant inter *foetum animatum* et *inanimatum*. Putabant enim animam non antea in corpus infundi quam ipsum formatum sit; atqui ab Aristotele didicerant masculos foetus 40, femininos autem 80 circiter post conceptionem diebus formatum corpus habere. Hanc suam opinionem insuper confirmari putabant per s. scripturam, quae pro diversitate sexus ex hac ratione diversum tempus purificationis mulieribus praescriberet[2]). Verum hodie recepta doctrina est, quamvis *certo* argumento non demonstretur, foetum humanum in ipsa conceptione ab animo rationali informari et vivificari; quando scilicet semen virile cum ovo feminili unitur, quae unio aliquot horis, quandoque etiam aliquot diebus post coniugalem copulam contingit. Quare distinctio inter foetum animatum et inanimatum in theologia non amplius attenditur excepto unico casu, quo ius canonicum illam distinctionem retinet, ubi nempe agitur de irregularitate incurrenda a procurantibus abortum.

c. Aliud est abortus, aliud est *partus acceleratio:* partus enim acceleratio dicitur eiectio foetus iam maturi, abortus autem eiectio foetus immaturi; quare abortus locum habet ante, partus acceleratio post septimum praegnantiae mensem.

---

[1]) *S. Officium* 4. maii 1898; 5. mart. 1902.

[2]) Cf. Lev. 12, 2—5.

d. Procuratio abortus altera est directa, altera indirecta: *directa* dicitur, si media adhibentur eo fine, ut foetus expellatur; *indirecta* dicitur, si media adhibentur in alium finem e. g. ad sanitatem matris procurandam, ex quibus tamen praeter intentionem etiam abortus secuturus praevidetur.

343. Principia de procuratione abortus. 1. Ex gravi causa licitum est *partum praematurum* seu acceleratione partus procurare. *Licitum* est, quia ex hac operatione non sequitur mors infantis, sed ipse solum in alium statum collocatur, in quo per se vivere potest, cum supponatur vitalis. Requiritur autem *gravis causa,* quia non solum vita infantis periculo exponitur, sed infans praemature eductus ordinarie etiam debilis manet; at non licet hoc periculum inducere nisi ad maius periculum vel matris vel infantis propulsandum.

2. Ex causa proportionate gravi licitum est *abortum indirecte procurare:* nam ex causa proportionate gravi licet actionem ponere indifferentem, ex qua duplex sequitur effectus, alter bonus, qui intenditur, alter malus, qui ex gravi causa permittitur.

Licet ergo matri in morbo lethali, qui alio modo curari non potest, praebere remedium, quod directe et immediate tendit in morbi curationem, etsi inde simul sequatur abortus, quia mater non tenetur prospicere vitae corporali prolis cum propria vitae iactura. Idem vero non licet, si morbus non est lethalis. Quin etiam in morbo lethali non licet praebere matri tale remedium, si adhibito remedio proles non solum vita temporali sed etiam aeterna privatur, econtra non adhibito remedio certa quidem est mors matris, sed ex alia parte certa est etiam salus prolis, quae matri supervictura baptizari potest: tenetur enim mater vitam aeternam prolis praeferre vitae suae temporali. Ordinarie tamen proles ante matrem decedit, adeo ut baptizari non possit, etsi mater perire sinatur.

3. Non licet *directe procurare abortum,* etiamsi foetus supponatur adhuc inanimatus. Si foetus animatus est, hoc idem est ac vitam ei adimere: cum enim foetus solum in utero matris vivere possit, eum extra uterum collocare idem est ac positiva actione ei vitam auferre. Quodsi foetus inanimatus, sed tamen vivus est, non committitur quidem proprie dictum homicidium, sed tamen

peccatum mortale, eo quod contra finem naturae destruitur inchoata generatio[1]).

a. Ergo puellae gravidae non licet procurare abortum, ne famam amittat neve aliud grave malum patiatur: prolem enim occideret ad bonum aliquod obtinendum vel ad malum vitandum, seu directe procuraret abortum: abortus enim directe procuratur, sive intendatur ut finis sive ut medium ad alium finem obtinendum.

b. Graviter peccant, saltem prava intentione, mulieres, quae timentes se esse gravidas variis mediis abortum inducere conantur e. g. pedes in aqua frigida lavando, potiones foetui nocivas sumendo, ventrem comprimendo, actiones valde defatigantes exercendo etc.[2])

4. Etiam in hoc casu illicitum est procurare abortum, quando *mater in certo vitae periculo versatur* nec aliud medium exsistit salvandae matris quam procuratio abortus: etenim procuratio abortus etiam in hoc casu est directa occisio infantis, quae semper illicita manet, etsi per eam magnum bonum obtineatur.

a. In duplici casu medici abortum *directe* procurare solent ad vitam matris servandam: α. quando praevident matrem aegrotam ob ipsam praegnantiam certo morituram, nisi expellatur foetus; β. quando advertunt matrem propter arctitudinem infantem maturum edere non posse ipsamque ab operatione chirurgica e. g. a sectione caesarea abhorrere. *Directe* in his casibus procurant abortum, quia medium, quod adhibere solent, scilicet punctio membranae (Eihautstich) et effusio liquoris amnii, aequivalet directae procurationi abortus et ideo directae occisioni. Directe etiam procuratur abortus, si gravida mater utitur medio, quo relaxatis uteri fibris foetus emissio contingit.

b. Erant theologi, qui opinabantur licite abortum positive induci posse, ubi foetus matri lethalem morbum atque ipsam mortem affert: putabant enim talem abortum non esse directam, sed *indirectam foetus occisionem,* quae ad salvandam matrem permitti possit. Scilicet mater, quae sive per se sive per alium abortum inducit, solum cessat infantem in utero conservare et sic permittit

---

[1]) Ideo damnata est ab *Innocentio XI.* haec propositio (34): *Licet, procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

[2]) *Poenae* in procurantes abortum latae sunt: *a. excommunicatio* papalis episcopis reservata, sive foetus praesumitur animatus sive non; *b. irregularitas,* si tamen foetus est animatus, ergo practice, si octoginta post conceptionem diebus abortus contingit.

ut pereat; atqui mater non tenetur prolem cum propriae vitae iactura conservare.

Verum haec sententia per responsum *s. Officii* reprobatur. Ad propositum enim casum: Titius medicus, cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est foetus in utero praesentiam . . . Ut matrem a certa et imminenti morte salvaret . . . viam procurandi abortum ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occideret, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset — ad hunc igitur casum *s. Officium* respondit, *enuntiatas operationes in dictis circumstantiis instaurari tuto non posse*[1]). Huius decisionis ratio haec esse videtur, quod abortus inductio consistit in actione positiva, qua directe eiicitur eoque ipso occiditur foetus, ex qua occisiva eiectione demum tamquam effectus sequitur matris salus[2]).

c. Si tanta esset matris arctitudo, ut foetum post septimum mensem edere amplius non posset, nec ullam operationem pati vellet, admitti posset partus acceleratus inter sextum et septimum mensem completum, modo aliqua saltem tenuis spes affulgeret fore, ut infans vivere posset. Hac namque ratione saluti prolis meliore et certiore, quo fieri posset, modo consulitur[3]). At sine spe salvandi infantem ne ectopicos seu extra-uterinos quidem foetus e sinu matris extrahere licet[4]).

344. De operatione caesarea. 1. *Ut status quaestionis determinetur: a.* Notandum est hic non agi de sectione matris defunctae. Alias enim docuimus operationem caesaream matre iam defuncta fieri posse et debere, ut infans, qui supponitur vivus, extrahatur et baptizetur[5]). Quaestio hic est de matre viva, quae prolem pariter vivam in utero gestat, quam propter arctitudinem naturali via edere non potest. Cum craniotomia, quae a medicis in his adiunctis adhiberi solet, illicita sit, ad salvandam matrem non restat nisi duplex remedium. Vel enim sectione caesarea aut symphysiotomia infans extrahendus est, vel exspectandum est,

---

[1]) *S. Officium* 25. iul. 1895.

[2]) Cf. *Bucceroni,* Commentarii theol. morales[2] (Romae. Cuggiani 1890) De procuratione abortus p. 47 ss.

[3]) *S. Officium* 4. maii 1898.

[4]) *S. Officium* 5. mart. 1902.

[5]) Cf. *De sacramentis* n. 70.

donec proles in utero moriatur, ut deinde in partes divisa per viam consuetam extrahi possit, si mater adhuc vivat.

b. Notandum est foetum maturum in sinu matris exsistentem baptizari quidem posse, baptismum autem non esse prorsus certi valoris. Insuper ut operatio caesarea vel similis spem praebeat felicis eventus, requiritur, ut mater sit robusta, medicus valde peritus et ut necessariae praecautiones per media antiseptica adhiberi possint: deficiente enim medico perito et convenienti praeparatione vel matre valde debilitata, operatio directae matris occisioni fere aequivalet.

2. *De obligatione subeundi operationem caesaream* dicendum est vix unquam exsistere certam obligationem subeundi caesaream vel similem operationem. Et sane:

a. Si adest quidem spes salvandi matrem, nulla vero exsistit spes extrahendi puerum vivum, mater non potest obligari ad patiendam operationem, quia nemo tenetur servare propriam vitam mediis extraordinariis. Negat quidem *Capellmann* hanc operationem adhibito chloroformio esse dicendam medium extraordinarium; at non potest negari matres affici maximo horrore operationis caesareae; remedium autem, a quo omnes maxime abhorrent, est, dicendum extraordinarium, etsi a doloribus praescindatur[1]).

b. Si adest spes salvandi matrem et vivum extrahendi puerum qui in sinu matris baptizari potuit, mater non tenetur subire incisionem, etsi baptismus pueri sit dubius: etenim ut quis cum propriae vitae periculo teneatur subvenire proximo exsistenti in extrema necessitate spirituali, requiritur, ut spes salvandi proximum sit certa et ut extrema necessitas pariter sit certa; atqui neutrum hic locum habet.

c. Si adest spes salvandi matrem et extrahendi vivum puerum, qui in sinu matris baptizari non potuit, sunt, qui obligent matrem ad patiendam incisionem, ut puer ab aeterna damnatione salvetur; verum certa obligatio statui vix potest, quia vix unquam adest spes certa felicis eventus atque ideo salvandi puerum a morte aeterna; quare practice operatio quidem suaderi poterit, ab urgenda autem obligatione ut confessarius abstineat, prudentia suadebit.

d. Immo non desunt auctores, qui obligationem matris subeundi vitae periculum, ut proles baptizari possit, simpliciter negant, α. quia sors infantium absque baptismo decedentium nequit dici infelix; β. quia solum probabile est, prolem postea iam adultam adepturam esse vitam aeternam.

---

[1]) *Capellmann*, Medicina past.[9] (Aquisgrani. Barth. 1893) n. 24 ss.

345. De verberatione. Ius in bona corporis, quae tuetur quintum praeceptum, *verberatione* seu percussione laedi potest.

1. Potestas verberandi competit: *a. Auctoritati publicae,* quae, cum potestate coërcitiva polleat, malefactores verberibus punire potest. *b. Parentibus,* qui filios immaturos punire possunt, non solum ad eos emendandos et in posterum a malo retrahendos, sed etiam ad eos pro delictis puniendos.

2. Ius verberandi non habet: *a. Dominus* erga famulos mercede conductos, nec *b. maritus* erga uxorem, qui etsi sit caput familiae, potestatem tamen coërcitivam in uxorem per se non habet, quippe quae non sit mancipium, sed socia mariti et materfamilias.

Nemini licet quemquam *verberare,* nisi aut suae potestati sit subiectus, aut adsit consensus eius, qui potestatem habet, nempe patris in filium vel domini in servum; verberatio enim est punitio; punitio autem supponit potestatem gubernativam. Ideo possunt quidem per se magistri punire discipulos, quia locum parentum tenent; at frater natu maior non potest punire fratres natu minores, nisi aut a patre id ipsi mandatum sit, aut loco patris ipse familiam regat[1]).

346. De vexatione animalium. 1. Ad solvendam quaestionem, num et quale peccatum sit vexatio animalium, tria principia ex philosophia morali in memoriam revocanda sunt: *a.* Animalia, cum ratione et proinde etiam personalitate careant, non sunt subiecta iuris; homo igitur nulla obligatione nec iustitiae nec caritatis erga animalia tenetur. *b.* Homo est dominus animalium sicut aliarum rerum ratione carentium, ita ut ipsi inservire debeant tamquam media ad obtinendos fines quoscunque licitos atque honestos[2]). *c.* Attamen ius utendi animalibus non est absolutum atque illimitatum: non enim pro arbitrio, sed solum secundum praescripta rationis homo eis licite uti potest. Finis ergo, ad quem eis utitur, debet esse honestus et modus utendi rationi consentaneus.

2. Ex quibus consequitur *animalium vexationem peccatum esse.* Animalia enim vexare dicitur, qui eis cruciatus vel mortem acerbam infert sine sufficienti ratione. Quamvis homo animalibus dolores etiam acerbos immo mortem amaram licite inferre possit, modo adsit finis honestus et modus agendi ad finem obtinendum moraliter necessarius sit; quod tamen contra rationem fit, peccatum est; sed sanae rationi adversatur, quod cruciatus et dura mors inferatur absque sufficienti ratione.

---

[1]) Cf. *Bucceroni,* Institutiones theol. moral.[4] (Romae. Typogr. augustin. 1900) n. 725.

[2]) Gen. 1, 26.

Quamvis ergo experimenta in corpore vivo animalium (vivisectiones) ad promovendam scientiam physiologicam vel artem medicam per se licita sint, ea tamen, quae aut fine verae utilitatis prorsus carent, aut ad licitum finem obtinendum nullatenus necessaria sunt, excusari non possunt. Atqui negari nequit vivisectiones complurium medicorum honestos limites multum excedere atque in meram torturam animalium degenerasse[1]).

3. Peccatum, quod tortores animalium committunt, *veniale* non excedit: usus enim animalium, etsi cum doloribus coniunctus sit, res indifferens est; sed excessus in actione ceteroquin licita, quantumvis enormis, mortale peccatum non est. Hinc etiam intelligitur, cur theologi morales, qui de laesionibus mortalibus legum moralium potissimum solliciti sunt, peccatum vexationis animalium non commemorent[2]).

Hoc peccatum non adversatur determinatae virtuti, cum non laedat determinatam, sed generalem obligationem non agendi contra praescripta rationis. Attamen similitudinem habet cum peccato *crudelitatis*, quod opponitur temperantiae et in specie clementiae, et quatenus tortores animalium agunt allecti voluptate, qua cruciatibus delectantur, peccatum *feritati* simile committunt[3]).

4. Ceterum *a.* etsi animalia rationem non habeant, sensatione tamen praedita sunt, ideoque sensu doloris non carent, qui tamen in iis multo minor est, quam in hominibus, tum propter defectum rationis et conscientiae, tum propter corpus minus tenere minusque perfecte organizatum. *b.* In sacris litteris animalia tamquam obiectum divinae providentiae, quin et commiserationis exhibentur, cum Deus pullum corvi clamantem audire[4]), escam in tempore omnibus dare[5]) dicatur, et septimo die etiam animalia quiescere voluerit[6]). Quibus lenitas et clementia in usu animalium nobis commendatur.

---

[1]) Cf. *R. Marty*, Ein Wort über Vivisection (Stimmen aus Maria-Laach. 1881 I. S. 11. 276).

[2]) *Fr. Schmid*, Wie ist das Tierquälen zu beurteilen? Priester-Konferenzblatt (Brixen. Weger. 1898) S. 179 ff.

[3]) Cf. *Lessius*, De iustitia l. 4. 4. n. 43.

[4]) Iob. 38, 41.

[5]) Ps. 103, 27.

[6]) Ex. 23, 12.

Quaestio sexta.

De duello[1]).

347. Definitio. *Duellum* definitur certamen singulare ex condicto armis ad occidendum aptis susceptum.

a. Certamen *singulare* est certamen initum inter duos vel inter plures in pari numero ex utraque parte. Ad verum duellum constituendum nihil refert, qua *intentione* suscipiatur: spectaculi, virtutis ostendendae, vindictae, honoris reparandi, exercitationis causa.

b. Ex condicto est essentialis condicio duelli, et quidem ex condicto de *tempore, loco* et *armis;* unde inter condictionem duelli et ipsum duellum aliquod temporis spatium intercedere debet. Ideo non est duellum, si duo ex impetu irae ad pugnam se provocant et statim congrediuntur, etiamsi ad determinatum locum pugnaturi se conferant, neque si quis alium provocat ad duellum eumque statim aggreditur, iste vero arreptis armis se defendit.

c. Armis ad occidendum aptis: de ratione enim duelli est, ut fiat *armis* et quidem armis *ad occidendum vel lethaliter vulnerandum aptis* ut *sclopetis, gladiis, pugionibus.* De ratione duelli non est, ut possit infligi *lethale* vulnus seu ut sit periculum occisionis aut mutilationis; illud autem requiritur, ut *per se* et non solum per accidens infligi possit *grave vulnus,* quod scilicet gravem laesionem corporis constituat seu laesionem *graviter peccaminosam.* Ideo duella non sunt pugnae, quae virgis vel baculis fiunt vel ferro acie retusa; nec duella sunt, quae ita instituuntur, ut grave vulnus non possit infligi nisi per accidens e. g. ob imperitiam certantium.

d. Grave vulnus triplici sensu accipitur: sensu *morali* significat laesionem, quae grave peccatum constituit; sensu *iuridico* significat laesionem, quae in iudicio determinata poena plectitur; hoc sensu in codice austriaco gravis censetur laesio, quae intra viginti dies sanari non potest; sensu *specifico* laesionem lethalem significat.

e. Tria ergo de ratione duelli sunt; α. singulare certamen; β. ex condicto susceptum; γ. armis ad occidendum seu lethaliter vulnerandum

---

[1]) *Ferraris,* Bibliotheca s. v. *duellum.* Das Duell in seinem Ursprunge und Wesen (Paderborn. Schöningh. 1864). *M. Hofmann,* Stellung der Kirche zum Zweikampf. (Zeitschrift für kath. Theol. XXII. 1898. (S. 455, 601). *A. Wiesinger,* Das Duell vor dem Richterstuhle der Religion, der Moral, des Rechtes und der Geschichte. (Graz, 1895).

aptis. Ratione secundae condicionis duellum tum a rixa tum a legitima defensione differt.

f. Duellum *fictum* non est duellum; qui ergo ficte provocant et acceptant sine intentione congrediendi vel cum certa spe fore, ut duellum impediatur, vel qui ficte tantum pugnant sine omni periculo vulneris, non incurrunt censuras nec peccant nisi ratione scandali, cum exclusa sit voluntas duellandi.

348. Duellum dividitur: *a.* In *sollemne,* quod certis sollemnitatibus scilicet litteris provocatoriis et adhibitis patrinis etc. fit, et in *simplex*, quod sine sollemnitate fit.

b. In *fatale,* quod ad mortem seu cum intentione occidendi, et in *non fatale,* quod solum cum intentione vulnerandi fit.

c. In *publicum* et *privatum,* prout auctoritate publica vel nomine tantum privato suscipitur.

Etiam duella *non fatalia* ex iure vera duella esse et duelli poenis subesse colligitur ex constitutione Clementis VIII. *Illius vices,* qui interdixit etiam duella inita cum pacto „de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem fuderit". Ratio autem, cur ecclesia etiam duella non fatalia ut fatalia gravissimis poenis plectat, potissimum haec est, quia promovent duella fatalia.

349. Principia. 1. Duellum *privata auctoritate* susceptum nunquam licitum est. Et sane adversatur *legi naturae:* duellantes enim se exponunt periculo mortis, mutilationis vel saltem vulnerationis tum sibi tum alteri inferendae; atqui hoc aeque illicitum est atque ipsa occisio, mutilatio vel vulneratio sibi vel alteri illata. Neque actio ista cohonestari potest ex fine: nunquam enim licitum est actionem in se malam ponere ad bonum finem. Adversatur etiam *legi ecclesiasticae:* duellum enim a concilio tridentino et postea saepius ab ecclesia prohibitum et poenis mulctatum est[1]).

[1]) Sess. 25. c. 19. De reform. Constit. Gregorii XIII. *Ad tollendum* (5. dec. 1582); constit. Clementis VIII. *Illius vices* (17. aug. 1592); constit. Benedicti XIV. *Detestabilem* (10. nov. 1752); constit. Pii IX. *Apostolicae sedis* (12. oct. 1869); litt. encycl. *Pastoralis officii* Leonis XIII. (12. sept. 1891). Etiam codex criminalis austriacus duellantes poena gravis carceris saltem decem annorum plectit.

a. Inter decreta, quibus ab ecclesia prohibentur duella, praesertim notanda est constitutio *Detestabilem* Benedicti XIV., qua damnantur quinque theses circa duellum[1]). Ex his constat omne duellum proprie dictum illicitum esse, etsi offeratur vel acceptetur ad gravissima mala evitanda e. g. ne fama, officium vel magni momenti bona amittantur. Nam ut licita sit acceptatio duelli ad maxima bona conservanda, effectus bonus seu conservatio bonorum saltem aeque immediate e duello sequi deberet ac malus seu periculum vel laesio vitae propriae et alienae; atqui conservatio bonorum non immediate eo sequitur, quod quis propriam vel alienam vitam periculo exponit aut reipsa laedit, sed eo, quod acceptans duellum communem aestimationem eorum sibi conciliat, qui periculosa conceptuum confusione culpabilem temeritatem veram fortitudinem dicunt.

b. Ex antiquis auctoribus complures docuerant licitum esse acceptare duellum, si esset unicum medium ad gravissima mala vitanda[2]). Iam vero haec sententia post constitutionem benedictinam amplius defendi nequit, sed omnino id tenendum est vitam propriam vel alienam periculo exponere solum licere ad vitam vel bona sua defendenda contra actualem aggressorem; in hoc casu autem nullus est actualis aggressor[3]).

2. Licita sunt duella, quae *auctoritate publica* suscipiuntur propter bonum commune, quod sine effusione sanguinis obtineri nequit: si enim exercitus contra exercitum auctoritate publica licite pugnare potest, id poterunt etiam pauci contra paucos, aut unus contra unum.

Unica causa boni communis, propter quam licite duellum suscipitur. haec est, ut finiatur aut praecaveatur iustum bellum. Si autem duella auctoritate publica assumuntur ex alio fine e. g. ad iniuriam vindicandam, ad finiendas privatas controversias vel ad veritatem et innocentiam manifestandam (purgatio vulgaris), aeque illicita sunt, quia ad hos fines obtinendos praesto est aliud medium aptius, scilicet legitimum iudicium.

---

[1]) Conferri possunt apud *Lehmkuhl* I. n. 852; earum *prima* haec est: *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.*

[2]) *S. Alphonsus* (n. 400) hanc doctrinam tribuit *Holzmann, Pichler, Reiffenstuel, Sporer, Elbel, Lessio, Sanchez,* etc.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 10 n. 172. *Lehmkuhl,* Das Duell im Lichte der Vernunft (Stimmen aus Maria-Laach. 1894 I. S. 345).

350. De duellis academicis. Ex declaratione s. sedis constat *eiusmodi duellantes eorumque patrinos irregulares esse ex infamia iuris*[1]). Exinde haec tria colliguntur: *a.* Studiosorum singularia certamina vera sunt duella: infamia iuris enim est poena a concilio tridentino duellantibus imposita. Idem ex rei natura patet: in pugnis enim academicis omnia habentur, quae verum duellum constituunt; singulare certamen ex condicto armis ad lethaliter vulnerandum aptis susceptum. Et licet per se exclusum sit occisionis vel mutilationis periculum, ita tamen instituitur, ut grave vulnus (sensu morali) per se, non solum per accidens infligi possit. *b.* Ad duellum ab ecclesia sub poenis prohibitum non requiritur, ut habeatur periculum vulneris lethalis, sed sufficit periculum gravis laesionis corporis. *c.* Studiosi mensuram committentes incurrunt excommunicationem: si enim alteram poenam a concilio iniunctam incurrunt, nempe infamiam, etiam hanc ab eodem concilio impositam subeunt. Et sane si ex declaratione ecclesiae verum duellum committunt, nequeunt effugere poenas ab eadem ecclesia in duellantes inflictas.

Poenae, quae duellis semper affixae sunt et adhuc vigent: *a. infamia* iuris, quae ipso facto commissi duelli contrahitur, et ex qua irregularitas oritur; *b. excommunicatio* romano pontifici simpliciter reservata; *c. privatio sepulturae* ecclesiasticae, si duellantes in conflictu ipso decesserint; his poenis accedere potest *d. irregularitas* ex delicto, si mors aut mutilatio revera contingit[2]).

Quaestio septima.

De bello[3]).

351. Declarationes. *a. Bellum* est pugna multitudinis cum multitudine extranea ob bonum commune publica auctoritate susceptа.

b. Distinguitur bellum *offensivum,* quod instituitur vel ad iniuriam vindicandam vel ad possessionem recuperandam,

[1]) S. C. C. 9. aug. 1890.

[2]) Cf. Acta s. sedis XXIII. p. 242.

[3]) *Cathrein,* Moralphilosophie[4] II. S. 611 ff. *Meyer,* Institutiones iuris nat. II. n. 732 ss. *Kirchenlexikon*[2], Krieg.

et bellum *defensivum,* quod instituitur ad vim ab alia republica illatam vi repellendam.

Bellum differt a *rixa,* quae fit privato nomine et est paucorum vel singulorum contra paucos vel singulos; differt a *seditione,* quae est pugna multitudinis contra multitudinem in eadem republica vel civitate; differt a *duello,* quod est certamen singulare, non multitudinis, et instituitur ex condicto.

352. De liceitate belli. 1. Bellum tum defensivum tum offensivum licitum est, si debitae concurrant condiciones. *Defensivum:* si enim homini privato vim vi repellere licet, idem licebit etiam reipublicae. *Offensivum:* ius naturae enim unicuique potestatem facit publica auctoritate ius suum prosequendi vel iniuriam illatam vindicandi; ergo etiam principi eadem convenit potestas ius prosequendi vel iniuriam vindicandi, si ab alio principe ius suum laesum fuerit; sed cum principes superiorem auctoritatem non habeant, ius suum prosequi vel iniuriam sibi illatam vindicare non possunt nisi per bellum offensivum[1]).

2. In iusto bello omnia licita sunt, quae necessaria vel apta sunt ad finem obtinendum, modo iure naturae et iure gentium permittantur: qui enim habet ius ad finem, habet etiam ius ad media necessaria vel utilia. Quae ergo ad finem belli nec necessaria nec utilia sunt, aut iure naturae vel iure gentium interdicuntur, hostibus sine iniuria inferri nequeunt, proindeque damnum hoc modo illatum resarciri debet.

Ergo licet insidias parare et stratagemata adhibere e. g. fugam fingere; at non licet fraudes adhibere, quae nulla prudentia praecaveri possunt. — Licet urbes obsidere easque aqua privare, tormenta contra illas explodere, monasteria et ecclesias destruere, si hostes iis utantur ad se defendendos; at non licet veneno inficere puteos vel fontes. — Licet occidere omnes contrabellantes vel in armis exsistentes cuiuscunque condicionis, status vel sexus, donec parta sit perfecta victoria; at non licet *directe* occidere innocentes, nec legatos, qui iure gentium sunt inviolabiles, nec licet sicarios subornare, qui ducem occulte trucident. Innocentes, quos directe occidere non licet, sunt pueri, mulieres, senes, peregrini, rustici, mercatores etc., qui non reperiuntur in armis.

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 40. a. 1.

Hostes capti ex hodierno iure belli occidi nequeunt: eatenus enim occidi possunt, quatenus milites in bello iniusto pugnantes gravis criminis rei sunt, propter quod poena capitis eis inferatur; sed nostris temporibus milites bellantes, utpote coacti, non possunt censeri gravis criminis rei. — *Bona privata* hostium ex stricto iure belli militibus in praedam dari possunt: cives enim regionis hostilis censentur participes iniustitiae, propter quam bellum infertur. Ex hodierna tamen consuetudine bona privata hostium in praedam dare non licet, nisi specialis ratio exsistat, ut si quis privatus vel aliquis pagus specialem hostilitatem exercuisset.

3. Post recuperatam rem debitam aut post vindicatam sufficienter iniuriam victor tenetur acceptare pacem iustis condicionibus oblatam: cessante enim iusta causa bellum fit iniustum. Per accidens etiam victus quandoque tenetur acceptare pacem, ne se suosque subditos maioribus damnis exponat.

353. Condiciones requisitae. Iustae condiciones, sub quibus bellum inferre licet, tres sunt:

a. Auctoritas suprema: etenim si adest maior auctoritas, haec litem dirimere et iniuriam illatam vindicare debet.

Si tamen suprema auctoritas iniuriam subordinatae societati illatam vindicare aut nollet aut non posset, ipsa necessitas etiam subordinatae reipublicae ius tribuere videtur bellum hostibus inferendi[1]).

b. Causa iusta et gravis. Unica causa iusta belli offensivi est *iniuria illata,* quam hostis reparare renuit. Hinc ut bellum iuste inchoari possit, requiritur, ut a parte adversa satisfactio exigatur, quae si offertur, ex iustitia acceptari debet. Causa *gravis* est, quae praeponderet tot malis tum corpori tum animae e bello provenientibus.

Eiusmodi causae, ob quas bellum inferre licet, hae sunt: provincia ab adversario usurpata recuperanda, gravis iniuria reipublicae illata propulsanda, religio ab aggressoribus tuenda etiam contra gentes infideles, quae fidei praedicationem missionarios expellendo vel occidendo impediunt[2]); gens iniuste oppressa defendenda: etenim damnata

[1]) *Laymann* l. 2. tr. 3. c. 12. n. 4.
[2]) *S. Thomas* II. II. q. 10. a. 8.

est proposito (62). Syllabi): „Proclamandum est et observandum principium, quod vocant de non interventu“ etc. At causae iustae non sunt: ampliatio regni, gloria nominis, potentia principis vicini imminuenda etc.

c. Ius moraliter certum, si bellum est offensivum, aut saltem *probabile,* si bellum est defensivum. Ratio *primi* est, quia damna ex bello provenientia tot et tanta sunt, ut illud indicere non liceat, nisi certum sit ius vindicandum; insuper nemo spoliari aut puniri potest, nisi de iniusta possessione aut de delicto certo constet. Ratio *secundi* est, quia ad vim illatam iuste repellendam sufficit, ut probabile sit vim iniuste inferri.

Non desunt auctores, qui dicunt sufficere, ut ius principis bellum inferentis sit probabile *(Sporer, Azor)* aut probabilius *(Suarez, Victoria, s. Alphonsus).* Utrumque alii *(Elbel Holzmann, Laymann, Tamburini)* reiiciunt. His se adiungit *Génicot,* qui citans *Waffelaert,* haec habet notatu digna (I. n. 383): „Si dubium de iure superest, recurrendum est ad arbitrium aliorum principum et praecipue romani pontificis; quodsi altera pars hunc recursum prorsus reiicit, vel sententiae ab arbitro latae parere detrectat, iam habebitur iniuria certa, ob quam licebit bellum indicere.“

354. De militibus. *a.* In bello *certe iniusto* non licet militare, et in ipso conflictu non licet militibus hostes occidere, neque defensionis causa: ipsi enim sunt iniusti aggressores; ideo si non possunt fugere, curare debent, ne quem ictibus suis feriant nisi aërem.

b. In dubio de iustitia belli miles *subditus* vel ante bellum conductus tenetur oboedire, tum quia subditus oboedire debet, nisi peccatum sit certum, tum quia praesumere debet bellum esse iustum, nisi de contrario constet.

c. Miles autem *non subditus* vel conductus post bellum declaratum militare non potest, nisi certus sit de iustitia belli: cum enim agatur de damno gravissimo alteri inferendo, non licet illud inferre, nisi constet bellum esse iustum. Si tamen bellum est defensivum, sufficit etiam probabile iudicium de iustitia belli.

d. Non licet militibus in iusto bello pugnantibus ex bonis hostium quidquam auferre, exceptis iis, quae ad

victum necessaria sunt, nisi belli dux permiserit. Quare ea, quae invito duce ablata sunt, per se restitui debent, si modo de ipsa ablatione, non solum de laesa disciplina militari invitus sit.

Quamvis non possit esse bellum ex utraque parte iustum, fieri tamen potest, ut utriusque partis milites tuta conscientia bellum gerant: nam hinc quidem graves auctores negant ius principis bellum inferentis debere esse certum, inde vero milites intimas belli indicti causas plerumque ignorant; causae vero, quae in vulgus sparguntur, ipsis videri possunt iustae. Neque in belli causas intimiores inquirere tenentur, nisi sit gravis suspicio iniustitiae et simul spes cognoscendae veritatis.

Theologi prioris temporis distinctione facta inter bellum iustum atque iniustum, absolute vetant spoliare commilitones et in bello iusto etiam hostes; permittunt autem spoliare hostes in bello iniusto. Nunc temporis vi iuris gentium seu conventionum internationalium absolute interdicitur spoliatio occisorum; eorum bona, quae dignosci possunt, ad ipsorum heredes pertinent.

Liber sextus[1]).

De septimo decalogi praecepto[2]).

„Non furtum facies. Ex. 20, 15.

Hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, prohibet omnem actum, quo proximi ius in bona fortunae laeditur, et quatenus *affirmativum* est, praecipit, ut unicuique ius suum, quod in bona fortunae habet, reddatur. Praecepto septimo adiungendum est decimum: *Non concupisces domum proximi tui . . . nec omnia, quae illius sunt*[3]*):* sicut enim septimo praecepto actus externi, ita decimo prohibentur

---

[1]) De sexto et nono decalogi praecepto agitur in fasciculo separatim edito.

[2]) *Ioan. de Lugo,* De iustitia et iure tom. I. *Lud. Molina,* De iustitia et iure tom. I. *L. Lessius,* De iustitia et iure l. 2. c. 1—16. *I. Reuter,* Theologia moralis. Pars III. De iustitia et iure. *I. Carrière,* De iustitia et iure 3 tom. (Lovanii. Fonteyn. 1845—1847). *I. Vogler.* Iuris cultor[3] etc. (Parisiis. Méquignon 1833). *P. H. Marres,* De iustitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1879). *D. Delama,* Tractatus de iustitia et iure[3] (Tridenti. Monauni 1889). *G. I. Waffelaert,* Tractatus theologici de virtutibus cardinalibus Tr. II. De iustitia (Brugis. Beyaert. 1885). *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. morale[3] III. n. 1—550, *A. Lehmkuhl,* Theologia moralis[10] I. n. 884—1044. *I. E. Pruner* Die Lehre vom Rechte und von der Gerechtigkeit (Regensburg. Manz. 1858) 2 Bd. *Ios. Schwane,* Die Gerechtigkeit u. s. w. (Freiburg) Herder. 1873). *Georg Crolly,* De iustitia et iure (Dublini. Gill. 1877) 3 vol. *K. Kiefer,* Die Tugend der ausgleichenden Gerechtigkeit[2] (Eichstätt. Brönner. 1908).

[3]) Ex. 20, 17.

actus interni, nempe voluntas nocendi proximo in bonis fortunae. Virtus igitur, quam hoc praeceptum respicit. est *iustitia commutativa,* quatenus eius obiectum est ius proximi in bona fortunae; et cum hoc ius vocetur ius dominii, agendum est: *a.* de dominio in bona fortunae; *b.* de laesione dominii in bona fortunae; *c.* de reparatione dominii laesi.

Quaestio praevia.

De vi legis civilis in materia iustitiae[1]).

355. Declarationes. 1. Auctoritas politica ad bonum commune conservandum et promovendum diversas leges condit, inter quas leges illae potissimum locum occupant, quae ad iura privata civium referuntur, leges civiles seu *ius civile* vocantur atque in *codice civili* continentur. Maxime enim in hac bonorum externorum materia potestas civilis ius naturae obscurum, mancum atque indeterminatum declarare, perficere atque accuratius determinare debet. De his legibus quaeritur, quem valorem habeant quamque obligationem inducant.

Olim *ius romanum* fere ubique vigebat, unde *ius commune* vocatur; hodie autem fere quaelibet respublica proprium codicem civilem habet. Iam vero theologi hodierni ad codicem suae quisque patriae aeque attendere debent, ac theologi antiquiores ius romanum spectabant: eiusdem enim auctoritatis per se sunt codices recentes atque antiquum ius romanum[2]).

---

[1]) *Van Gestel,* De iustitia et lege civili[2] (Groningae. Wolters. 1896) c. 2. *Lehmkuhl,* Das bürgerliche Gesetzbuch[5] (Freiburg. Herder. 1900) S. 29 ff. *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis Beyaert. 1904) n. 324—337.

[2]) Praecepta iustitiae in sequentibus secundum ius naturae potissimum exponenda sunt; additis tamen in notis (signo C. A. = co-

2. Leges civiles duplicis generis sunt: aliae *iura* inter cives *constituunt* atque determinant, cuiusmodi est lex, quae statuit partem thesauri in alieno fundo inventi ad dominum fundi pertinere; aliae referuntur ad *actus iuridicos* et praeter ea, quae iure naturae essentialiter requiruntur (ut contrahentes debere esse sui compotes) complures *formalitates* seu *sollemnitates praescribunt,* quae in ponendis actibus iuridicis et speciatim in celebrandis contractibus observari debeant, ut plenum valorem acquirant.

a. Actus iuridici sunt actus humani, quibus ius aliquod acquiritur vel exstinguitur. Ad hos praeprimis referuntur *contractus,* qui certa forma a lege civili praescripta fieri debent, ut plenum valorem habeant.

b. Harum formalitatum aliae sunt *accidentales,* quae si desunt, actum ipsum non afficiunt, e. g. documentum debere esse obsignatum; aliae sunt *substantiales,* quae si desunt, actum ipsum afficiunt.

3. Leges civiles actus iuridicos quintuplici modo afficere possunt[1]):

a. Lex actum nec prohibet nec infirmat, sed ei solum *non assistit,* seu in foro externo omnem actionem negat; sic lex non assistit contractibus ludi, ideoque omnem actionem negat ad exigenda ea, quae ex ludo debentur.

b. Lex actum *prohibet* atque illicitum facit, quamvis eum non invalidet; sic proxenetis prohibetur, ne pro se commercium agant in ea re, pro qua sunt admissi.

c. Lex actum *facit rescindibilem,* eo quod iudici concedit irritandi potestatem; sic contractus minorennis sine consensu patris initus a iudice irritari potest; quodsi iudex eum non irritat, actus manet validus.

d. Lex actum *irritat* ipso facto, sed *civiliter* tantum, ita ut iudex actum, si ad eius forum adducatur, habeat invalidum; extra forum civile habere potest valorem naturalem.

---

dex austriacus; C. G. = codex germanicus) illis textibus iuris civilis, ad quos confessarius attendat oportet.

[1]) *Laymann,* Theologia moralis l. 1. c. 16. n. 2 ss. *Van Gestel,* l. c. n. 64.

e. Lex actum ipso facto *irritat civiliter et naturaliter*, ita ut in foro externo iudicii et interno conscientiae valore destituatur.

356. De valore legis civilis. Quaeritur ergo, quem valorem habeant leges civiles sive iura statuentes sive actus iuridicos irritantes. Et quandoquidem actus iuridici saepe irritantur propter defectum alicuius formalitatis a lege praescriptae, quaeritur in specie, quem valorem habeant actus vel contractus carentes formalitate a lege praescripta.

Asserta. 1. Leges civiles *iura statuentes* seu dominia transferentes ordinarie ante omnem iudicis sententiam in conscientia obligant ex iustitia commutativa. Nam lex ab auctoritate competenti in bonum commune condita *in conscientia* obligat. Atqui iura, quae ad bona fortunae referuntur, constituunt obiectum iustitiae commutativae; quare leges praeceptivae, quae iura civium de bonis fortunae statuunt, *ex iustitia commutativa* obligant[1]).

Legislator tum ecclesiasticus tum civilis omnium consensu leges irritantes, si velit, condere potest[2]). Legislatorem *ecclesiasticum* sollemnitates a se praescriptas ad valorem actus exigere, certum est; quoad legislatorem *civilem* in casibus particularibus eius intentio exquirenda est, num et quousque actus irritare velit, in specie num praescriptae formalitates ad valorem actus exigantur.

2. Leges civiles actus iuridicos *irritantes* propter defectum condicionis essentialis ante sententiam iudicis etiam in conscientia valorem habent.

Ideo contractus cum amente, ebrio, sub condicione turpi, de re impossibili etc. initi, qui a lege irritantur[3]), sine iudicis interventu plane irriti sunt. Quodsi lex civilis actum iuridicum iure naturae e. g. propter errorem substantialem invalidum solum *rescindibilem* declarat, dicendum est supremam auctoritatem propter bonum commune eiusmodi actibus valorem, quem ex se non habent, tribuere, donec rescindantur ab eo, qui in contrahendo erraverat[4]).

---

[1]) Cf. *S. Thomas* II. II. q. 58. a. 6.

[2]) *S. Poenitent.* responso 21. ian. 1873 manifesto agnoscit potestatem auctoritatis politicae irritandi etiam in foro conscientiae actus iuridicos. Cf. Acta s. sedis VII. p. 211.

[3]) C. G. § 104. 138. 306. C. A. § 865.

[4]) Cf. C. G. §. 119. 123.

3. Leges civiles actus iuridicos *irritantes* propter defectum formae praescriptae ante sententiam iudicis probabiliter non plene sed *civiliter tantum* irritant, nisi rei seu contractus natura aliud exigat. Cum enim hae leges civium libertatem in transferendo dominio coarctent et proinde odiosae sint, quantum fieri potest, strictam interpretationem admittunt. Insuper contractus iure naturae validi non sunt habendi irriti, nisi de eorum nullitate certo constet. Tandem legislatores hodierni negantes ius naturae solum ius positivum agnoscunt, ideo suis legibus, ubi ab ipsis dependet, solum hoc non etiam illud irritare intendunt.

a. Etsi ergo certi contractus in codice civili dicantur simpliciter *irriti* seu *nulli,* vi legis civilis tamen nulli constituuntur civiliter tantum. Nam ex rationibus supra adductis certe probabilis et proinde in praxi tuta est sententia opinantium contractus, qui a lege dicuntur nulli, solum in foro externo invalidos constitui. Si ergo e. g. infirmus morti proximus viva voce donet alicui legatum, donatio, quippe carens forma legali, informis est; ideo heres non tenetur solvere legatum et solutum iuridice repetere potest, quia uti potest iure, quod a lege ei conceditur; sed neque legatarius tenetur illud reddere, donec heres irritationem donationis per iudicem impetraverit.

b. Natura rei exigit, ut contractus statim ante sententiam iudicis invalidus sit, quando finis, propter quem contractus declaratur invalidus, alias obtineri non potest. Huiusmodi sunt contractus cum parentibus initi de non dandis alimentis, contractus, quibus laeditur ius filii in partem legitimam.

4. Post sententiam iudicis actum iuridicum declarantis invalidum, actus habendi sunt plene invalidi etiam in conscientia.

Sententia enim iusta legitimi iudicis in conscientia valorem habet. Insuper ordo publicus et securitas iurium exigunt, ut sententia iudicialis dubiis et litibus etiam in foro interno conscientiae finem imponat[1]).

Nota. Nihilominus *contractus onerosi,* qui lege civili irritantur, ordinarie etiam naturali valore in conscientia carent. Contractus enim non valent ultra consensum contrahentium; sed in contractibus onerosis contrahentes censentur noluisse in contractum consentire nisi ad normam legis civilis, quia secus a iure civili non protegitur; quare contractus onerosi, qui ex iure nulli sunt, plerumque etiam naturaliter nulli habendi sunt.

[1]) *Lehmkuhl,* Das bürgerliche Gesetzbuch S. 37.

Caput primum.

De dominio.

Quaestio prima.

De dominio in genere.

Articulus primus.

De natura dominii.

357. Definitio. *Dominium* est legitima facultas pro arbitrio disponendi de re aliqua tamquam sua, nisi dominus aliunde prohibeatur.

a. Rei *dominum* esse, rem *suam* propriam esse significat, eam talem cum domino suo connexionem habere, ut in ea habenda atque in eius usu ipse omnibus aliis praeferri debeat. Quamvis ergo nulli hominum, Deo tamen de eius usu rationem reddere debet[1]).

b. Disponendi i. e. possidendi, utendi, vendendi, commutandi, donandi, destruendi etc. *Pro arbitrio:* dominium dat domino facultatem disponendi de re sua, prout ei placuerit, *quin laedat iustitiam;* arbitraria ergo dispositione e. g. prodiga donatione vel rei destructione contra aliam virtutem, puta liberalitatem, caritatem vel pietatem peccare potest, contra iustitiam non peccat. *De re aliqua* generice accipiendum est, prout significat res corporeas et incorporeas: datur enim dominium non solum rerum corporearum ut auri, agri, sed etiam incorporearum ut famae, honoris, iuris hereditatis. *Tamquam sua,* ut dominium distinguatur a *simplici iure ad rem,* quod non dat facultatem disponendi de re, a *mera possessione* etiam legitima, quae e. g. locatario dat ius disponendi de re, sed non tamquam sua, ac tandem a *potestate curatoris* et procuratoris, qui pariter disponunt de re, sed non tamquam sua.

c. Variis modis dominus impediri potest, quominus de re sua pro arbitrio disponat: α. *lege* civili, ut si minorennes prohibentur vendere

---

[1]) Cf. *Lugo,* De iustit. disp. 1. n. 5.

res suas; β. *conventione*, ut si quis alteri vendat domum suam hoc pacto, ne convertatur in cauponam; γ. *testatoris voluntate*, ut si quis legato in alium transmittat praedium hac condicione, ne vendi possit.

358. Principia iuris. Ex dominii natura haec *principia* deducuntur et explicantur, quorum in iure frequens est usus:

a. Res clamat ad dominum.

Hoc principium ipsum ius dominii exhibet: cum enim vi iuris dominii res ipsa sit domino obstricta, ea ad dominum redire tendit, ubi ex eius possessione evaserit.

b. Res fructificat domino.

Id ex notione dominii immediate consequitur: si enim tota rei substantia ad dominum pertinet atque in eius commodum servire debet, etiam fructus ex ea prognati domino cedunt.

c. Res perit domino, vel accuratius: res, quae casu perit, domino perit, quae culpa perit, perit ei, qui culpam commisit.

Id pariter ex natura dominii immediate sequitur: cum enim dominus vi dominii ius in ipsam rem possideat, pereunte re naturaliter perit etiam ius in illam. Quodsi res alterius culpa perit, res ipsa perit quidem domino, sed quia ille, cuius culpa perit, pretium aequivalens domino reddere tenetur, ei, qui culpam commisit, perire dicitur.

d. Ex re aliena non licet ditescere.

Id ex principio secundo sequitur: qui enim *ex* re aliena ditescit, fructus rei alienae in suam utilitatem convertit, id quod iustitiae adversatur; qui vero non *ex* re aliena, sed *occasione* rei alienae ditescit, neque ius alienum neque iustitiam laedit.

359. Dominii divisiones. 1. Dominium dividitur in altum et humile: dominium *altum* est potestas, quae auctoritati publicae competit statuendi de bonis subditorum suorum in utilitatem communem; dominium *humile* est dominium, quod homines privati habent in res suas et ius privatum vocatur.

a. Patet dominium altum non esse veri nominis dominium *proprietatis* (potestas enim civilis nullam in bona subditorum habet proprietatem), sed reipsa non esse nisi dominium *iurisdictionis* seu ius praescribendi circa bona civium ea, quae princeps ad bonum commune expedire iudicaverit. Potest ergo princeps dominium ab uno in alterum transferre, exercitium dominii variis modis restringere, immo potest

etiam subditos iure expropriationis bonis suis privare seu potius cogere ad abdicandum dominium bonorum suorum.

b. Duplex condicio requiritur, ut suprema potestas hoc suo dominio uti possit; α. ut adsit causa necessitatis vel magnae utilitatis publicae; β. ut subditos, qui iure expropriationis bonis suis privantur, si fieri potest, indemnes faciat[1]).

2. Dominium *humile* dividitur in *perfectum* seu plenum et *imperfectum* seu semiplenum: illud est potestas pro arbitrio disponendi de substantia et de utilitate rei, hoc est potestas disponendi vel de substantia rei vel de eius utilitate.

3. Dominium *imperfectum* dividitur in dominium *directum* seu radicale, quod est potestas in solam rei substantiam, et dominium *indirectum* seu dominium *utile,* quod est potestas in solam rei utilitatem et definitur: potestas percipiendi utilitatem ex re aliena salva eius substantia. Dominii indirecti praecipuae species sunt *usus, ususfructus* et *servitus.*

Nota. Codices recentes diversas species dominii imperfecti ad servitutem reducunt, ideoque de usu et usufructu tamquam de speciebus servitutis agunt, ut ex infra de servitute dicendis patebit.

360. De usu. 1. Usus est ius utendi re aliena salva eius substantia.

a. Ille, cui competit usus alicuius rei, dicitur *usuarius,* ut distinguatur ab eiusdem rei proprietario.

b. Aliud est re aliqua *uti,* aliud est re aliqua *frui:* qui re uti potest, eam utilitatem pro se et suis ex re percipere potest, quam exigit necessitas; qui autem re frui potest, omnem utilitatem iure ex re percipit, quam ipsa praebere potest.

2. Ad usum referri solent: *a. habitatio* seu ius utendi aliqua parte domus alienae; *b. lignatio* seu ius colligendi ligna in silva aliena; *c. pastio* seu ius ducendi pecora in pascua aliena; *d. diversae species commodati* ut usus equi, vestis etc.

3. Usus, prout hic accipitur, est ius utendi aliqua re ad nutum non revocabile; ab hoc usu distinguendus est

[1]) Cf. *Van Gestel* l. c. n. 46 s.

usus ad nutum revocabilis, cuiusmodi est *licentia* utendi aliqua re, qualem religiosi accipiunt a suo superiore.

Olim acris orta est disputatio, utrum verus rei *usus* sit, quando rei substantia usu consumitur, prout contingit in cibo et potu, an potius usus rei primo usu consumptibilis huius *dominium* contineat. Quaestioni ansam dederunt religiosi, qui (ut fratres minores) nullius rei ne minimae quidem dominium, sed solummodo usum se habere dicebant. Qui affirmabant usum rei, quae usu consumitur, ab eius dominio *separari non posse,* ita arguebant: qui de rei substantia disponere potest, eius dominium habet, sed qui uti potest re, quae ipso usu consumitur, de eius substantia disponit. Qui vero affirmabant usum rei ipso usu consumptibilis ab eiusdem dominio *separari posse,* hac usi sunt distinctione: si usus intelligitur ius irrevocabile et a voluntate concedentis independens, usus rei huius dominium continet; quodsi usus rei intelligitur ius ad nutum revocabile et a voluntate concedentis plene dependens, usus rei huius dominium non continet, etsi res ipso usu consumatur[1]).

361. De usufructu. Ususfructus est ius utendi et fruendi re aliena salva eius substantia. Distinguitur ususfructus *legalis* et *conventionalis,* prout ex lege canonica vel civili aut ex contractu habetur.

a. Ille, cui competit ususfructus alicuius rei, dicitur *ususfructuarius* vel *fructuarius,* ut ab eiusdem rei domino vel proprietario distinguatur.

b. Ususfructus eo differt ab usu, quod fructuarius ius habet non solum utendi re aliena sed etiam fructus percipiendi, qui ex ea nascuntur; immo in fructus dominium perfectum habet, adeo ut non solum fructus sibi necessarios, sed omnes percipere eosque pro arbitrio alienare possit.

c. Ex lege *canonica* beneficiati usumfructum habent suorum beneficiorum; ex lege *civili* usumfructum habent parentes e bonis filiorum minorum, quandoque maritus e quibusdam bonis suae uxoris.

362. De servitute. *a.* Servitus (Dienstbarkeit) *active* accepta est ius, quod aliquis habet, ut alterius res sibi vel rei suae serviat; *passive* sumpta est onus rei inhaerens, vi cuius alteri ad aliquod commodum servire debet. Sic si alicui convenit ius transeundi per agrum alienum, ipse

[1]) Cf. *Holzmann,* Theologia moralis IV. n. 166 ss. *Elbel-Bierbaum,* Theologia moralis II. pr. 5. n. 40 ss.

est subiectum servitutis activae, ager vero est subiectum servitutis passivae.

b. Servitus passiva duplex est: altera *personalis,* quando res aliqua alteri personae utilitatem praestare debet, cuiusmodi sunt *usus* et *ususfructus,* si passive accipiantur; altera *realis* seu *praedialis,* si res aliqua alterius rei commodum praestare debet, ut est servitus pascendi gregem in aliqua silva.

c. Ad servitutem realem constituendam duae res requiruntur, quarum altera fert onus et dicitur *serviens* (silva), altera utilitatem percipit et dicitur *dominans* (grex).

Nota. 1. Ius servitutum in codicibus modernis diligenti studio exaratum est, quod cum iura determinet atque ad mutuam civium concordiam servandam conducat, in conscientia obligat[1]).

2. Cum ius servitutum praesertim realium valde implicatum sit, saepe inter vicinos ansam praebet discordiarum. Curet parochus eiusmodi lites aut praecavendas aut tollendas, atque ad hunc finem obtinendum partes adversas moneat, ut potius de iure aliquatenus cedant, quam ut bona fortunae et mutuam concordiam periculo exponant.

363. Fructus rei. Nomine fructus rei omne id intelligitur, quod ex re nascitur. Fructus *dividuntur ratione originis* in spontaneos, industriales et mixtos, *ratione collectionis* in pendentes, percipiendos et perceptos.

1. *a. Spontanei* illi dicuntur, quos res producit sine speciali hominum industria. Dicitur *speciali,* quia vix erit res frugifera, quae absque ulla hominis industria et labore fructus ferat.

Fructus spontanei vel sunt *naturales* vel *civiles,* prout a natura ipsa producuntur ut foenum prati, lignum silvae, foetus animalium, lac, lana, ova etc., aut vi contractus vel alius obligationis percipiuntur, ut pretium, quod pro locatione domus, foenus, quod pro mutuata pecunia, pensio, quae pro officio acquiritur.

b. Industriales illi vocantur, qui sola hominis industria et labore acquiruntur, licet mediante aliqua re vel instru-

[1]) C. A. § 472—530. C. G. § 1018—1093.

mento, ut opera artificum et opificum, lucrum ex negotiatione perceptum.

Emolumentum ex simplici venditione perceptum considerari potest ut fructus industriae: nam ut emolumentum perceptum possit dici fructus industriae, non requiritur, ut intervenerit singularis et extraordinaria, sed sufficit vera personae opera et industria.

c. Mixti illi dicuntur, qui partim a natura producuntur, partim industriae humanae debentur ut segetes, vinum, oleum, caseus, butyrum. Et quia aliquam industriam etiam fructus naturales exposcunt, quandoque dictu difficile est, utrum aliquis fructus naturalibus an mixtis accenseri debeat.

2. *a. Pendentes* dicuntur, qui non sunt a re separati ut foetus animalium nondum in lucem editi, poma ex arbore adhuc pendentia, segetes nondum demessae.

b. Percipiendi vocantur, quos possessor potuisset percipere, si voluisset, sed non percepit sive negligentia sive dolo.

c. Percepti dicuntur, qui a re frugifera iam separati et a possessore collecti sunt. Hi iterum dividuntur in consumptos et exstantes.

Articulus secundus.

De obiecto dominii.

Obiectum dominii est id, cuius homo potest esse dominus. Ea, quorum homo potest esse dominus, solent dici *bona* et triplicis generis distinguuntur: interna, mixta et externa. *Interna* recensentur hominis vita, potentiae, membra et actiones; *mixta* sunt fama et honor, quae veluti media sunt inter bona interna et externa; *externa,* quae sub hominis dominio cadunt, sunt res sublunares.

364. De bonis internis. 1. Illorum bonorum internorum, quae ab ipso homine *non sunt distincta,* ut vita, potentiae et membra, homo non habet *dominium directum,* sed solum *dominium utile,* ita ut omnem ex eis utilitatem capiat eorumque sit administrator et custos.

a. Deus nemini ius in vitam et membra sua dedit, sed sibi illud reservavit: *Videte, quod ego sim solus et non est alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam*[1]). Et sane nemo sui ipsius vere dominus esse potest, quia dominus superioritatem respectu eius, cuius est dominus, significat. *b.* Potestatem habere debet iis utendi ad obtinendum finem suum neque ab ullo homine in hoc usu impediri potest, cum in tendentia in finem suum a quovis homine independens et plene sui iuris sit.

2. Illorum bonorum internorum, quae ab homine *distincta* sunt, ut actiones tum naturales tum supernaturales et bona illis effecta, homo plenum dominium habet, ac proinde de iis disponere pro lubitu potest. Cum enim facultatibus propriis uti possit tamquam suis, dominium habet tum in earum operationes, tum in bona ex operationibus orta, quae operationum sunt fructus.

365. De bonis mixtis. *Famae et honoris* homo plenum dominium habet: illorum enim bonorum, quae sunt fructus propriae industriae, dominium ipse habet; sed fama et honor propria eius industria comparantur et augentur. Insuper homini omnium consensu competunt actus dominii circa famam et honorem: ea enim se diffamando ad petendum consilium abiicere, restitutionem calumniatori condonare potest. Hoc tamen dominium aliquando alia, eaque superiore lege restringitur.

366. De bonis externis. Hominem in bona externa plenum dominium acquirere posse infra dicetur; hoc loco exhibere iuvat varias *distinctiones rerum externarum,* quarum homo dominium habere potest.

1. Res *in commercio positae,* quae in dominio personae privatae esse possunt; et *extra commercium positae,* quae in dominio personae privatae esse nequeunt. Eiusmodi sunt: *a.* res publicae ecclesiae ut loca sacra, templa, coemeteria; *b.* res publicae societatis civilis ut viae publicae, plateae, publici pontes, moenia urbium; *c.* res communes ut aër, lux, mare, quarum rerum usus omnibus communis, dominium autem nullius est.

[1]) Deut. 32. 39. Cf. Sap. 26, 13 s.

2. Res *mobiles* et *immobiles*, prout salva earum substantia de loco in locum transferri possunt ut animalia, supellex, aut transferri non possunt ut domus, silva. Aliae res sunt mobiles et immobiles *ex natura sua*, aliae ex *legis dispositione*, de qua re conferendi sunt codices civiles.

Lex civilis etiam fructus nondum collectos et „fundum instructum" i. e. ea, quae ad gerendam oeconomiam necessaria sunt, in nonnullis casibus ad *bona immobilia* censet.

3. Res *fungibiles* (vertretbare) illae dicuntur, quarum una in solutione vel restitutione vice alterius fungi potest, in quibus ergo non ad speciem (i. e. ad rem individuam), sed ad genus (ad quantitatem et qualitatem) attenditur, ut oleum, vinum, triticum, pecunia, in qua non substantia nummi, sed eius valor spectatur; *non fungibiles* illae dicuntur, quarum una non potest vice alterius fungi, sed quae in individuo tradi debet, in quibus ergo ad speciem (i. e. ad rem individuam), non solum ad genus attenditur, cuiusmodi sunt animalia, vestes etc.

4. Tandem res *primo usu consumptibiles* et *primo usu non consumptibiles;* illae in primo suo usu naturali destruuntur seu in aliam substantiam mutantur ut panis, vinum, lignum ad comburendum; hae usu quidem atteruntur, at non corrumpuntur, sed in sua substantia post usum perdurant ut vestis, domus, supellex.

Divisio rerum externarum in *corporeas*, quae tangi possunt ut domus, ager, pecunia, et *incorporeas,* quae tangi non possunt ut diversa iura e. g. ius venandi, ius piscandi, quae in iure romano magni momenti erat, in codicibus recentibus vix amplius occurrit.

Articulus tertius.

De subiecto dominii.

367. De ipso subiecto. Subiectum dominii intelligitur persona, cui dominium competit. Duplex distinguitur per-

sona, quae dominii capax est, *persona physica* et *persona moralis.*

1. Ex iure naturae subiectum dominii est *omnis homo vivens,* etiam infans nondum natus et homo perpetuo amens[1]).

a. Fundamentum dominii est natura rationalis: per rationem enim homo habet potestatem disponendi de rebus suis. Quare etiam infantes et perpetuo amentes dominii acquirendi et habitualiter retinendi, non autem dominii exercendi capaces sunt: ad dominium enim acquirendum et habitualiter retinendum sufficit natura rationalis sine ullo actu voluntatis; ad exercitium vero dominii requiritur usus rationis.

b. Post mortem homo non retinet dominium bonorum fortunae, etsi retineat dominium famae: cum enim bona fortunae ab auctore naturae homini concessa sint ad vitam temporalem sustentandam, ius in bona fortunae ipsa morte exstinguitur.

c. Etsi omnis homo ratione utens iure naturae dominii eiusque exercitii capax sit, *iure* tamen *positivo* haec capacitas ob bonum commune variis modis restringitur, de quibus inferius agendum est.

2. Etiam *personae morales* seu societates dominii sunt capaces. Quaevis societas, quae ad finem honestum instituta est, iure naturae capax est acquirendi dominium rerum temporalium; verum a lege civili hoc ius in illis tantum agnoscitur, quae ab ipsa constituuntur *personae iuridicae,* iurium nempe acquirendorum capaces.

a. Quoad societates ecclesiasticas personae iuridicae sunt imprimis universalis ecclesia, quae iure naturali et divino dominii bonorum temporalium capax est; deinde intra ambitum ecclesiae: societates minores scilicet dioeceses, parochiae, fabricae ecclesiae, societates religiosae, seminaria, hospitalia, pia instituta etc.

b. Quoad societates profanas personae iuridicae sunt imprimis ipse status seu res publica, quae, cum sit societas perfecta et independens, natura sua bonorum suorum dominium habet; deinde intra ambitum status: provinciae, municipia, collegia, universitates et complures aliae societates minores, quae privilegio personalitatis iuridicae donantur atque inde societates *privilegiatae* vocantur.

---

[1]) Gal. 4, 1. Cf. C. A. § 22. C. G. § 1. 1923.

Quaestio secunda.

De dominio in res externas.

Articulus primus.

De origine dominii in res externas.

368. Principia. De origine dominii ex iis, quae ius naturae ex professo docet, ea tantum principia desumenda sunt, quae ad hasce quaestiones rite intelligendas requiruntur[1]).

1. Deus bonorum temporalium dominium ad vitae conservationem initio ita concessit generi humano, ut bona essent omnibus *communia* neque uni magis quam alteri propria.

a. Bona temporalia ab auctore naturae in hunc finem condita sunt, ut homo de necessariis ad vitae conservationem ex iis sibi provideat; ergo homo ius habet ex bonis temporalibus sibi acquirendi, quae ad vitae sustentationem necessaria sunt; atqui hoc ius est verum in bona temporalia dominium.

b. Bis Deus rerum terrestrium dominium homini concessit, primo quidem mox post creationem: *Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram*[2]); deinde iterum post lapsum et diluvium; *crescite et multiplicamini et replete*

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 66. a. 2. Encyclica Leonis XIII *Rerum novarum* 16. maii 1891. *Walter*, Das Eigentum nach der Lehre des hl. Thomas u. s. w. (Freiburg. Herder. 1895). *V. Cathrein*, Sozialismus[7] (Freiburg. Herder. 1903). *V. Cathrein*, Moralphilosophie[4] (Freiburg. Herder. 1902) II. S. 247 ff. *H. Pesch*, Liberalismus, Socialismus u. chr. Gesellschaftsordnung (Freiburg. Herder. 1901) S. 196 ff. *Schau*, Die Eigentumslehre nach Thomas von Aquin und dem modernen Sozialismus (Freiburg. Herder. 1898). *Th. Mayer*, Institutiones iuris naturalis (Friburgi. Herder. 1900) II. n. 162 ss. *A. Vermeersch*, Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert. 1904). n. 194—245. *Pottier*, De iure et iustitia (Leodii. Ancion. 1900) p. 18—47. *Biederlack*, Die soziale Frage[6] (Innsbruck. Rauch. 1904) S. 131 ff.

[2]) Gen. 1, 28.

terram et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae etc.[1]). Hisce Deus res creatas generi humano tamquam *bonum commune* concessit.

2. Rerum initio communium divisio earumque tum mobilium tum immobilium *privatum dominium* non solum licitum, sed in praesenti statu naturae lapsae etiam *necessarium* est.

Affirmant socialistae bona temporalia tamquam bonum omnibus commune habenda atque servanda esse, ita ut bonorum divisio et dominium eorum privatum illicitum ac prorsus iniustum sit. Verum multiplici argumento ostenditur dominium privatum in praesenti rerum ordine prorsus necessarium, et proinde ex Dei voluntate derivandum esse[2]). Ex quibus patet discrimen inter divites et pauperes nullo unquam tempore in societate humana cessaturum esse: *Semper pauperes habetis vobiscum*[3]).

3. Ex ipso *iure naturae* et quidem *occupatione* introducta est inter homines rerum initio communium divisio et privatum dominium.

Quo iure facta sit prima rerum divisio, et quo modo primitus introductum sit privatum dominium, inter eruditos non constat. Alii eam factam fuisse putant auctoritate paterna, alii hominum pacto sive explicito sive implicito, alii lege humana, alii tandem vi ac violentia qua robustiores oppresserunt infirmos. In genere id *iure naturae* factum esse negari nequit. Cum naturali facultate acquirendi rerum dominium coniungi debet factum liberum, quod sit ratio et titulus dominii in rem aliquam determinatam; atqui hoc factum est rei negative communis *occupatio*. Inde principium: *res nullius fit primi occupantis*.

4. Dominium legitima occupatione partum *non est absolutum*, sed suis limitibus restrictum. Scilicet nequit homo bona sua ita habere tamquam propria, ut nulla ratione sint amplius communia seu ut omnes alios ab eorum usu semper et sub quavis condicione excludere possit: dominium enim privatum, quod est ius secundarium, nequit auferre ius primarium. Iam vero finis primarius, ob quem creata sunt bona corporea, is est, ut hominibus praesto sint media ad conservanda ea bona, quae ipsa

[1]) Gen. 9, 1. 2.

[2]) Breviter argumenta constringit *Biederlack*, Die soziale Frage[6], n. 91 ff. *Cathrein*, Das Privateigentum (Freiburg. Herder).

[3]) Matth. 26, 11.

natura omnibus vult esse communia. Ius ergo ex ipsa natura inditum ad eas res, quae requiruntur ad haec bona tuenda et conservanda, homo retinet etiam facta bonorum divisione[1]).

a. Hoc ius acquirendi ea, quae ad vitam conservandam necessaria sunt, pro diversa hominum condicione diversum est. α. Qui laborare potest, ius (strictum) habet ad laborem i. e. labore sibi comparandi necessaria vitae (n. 69). β. Qui labori ineptus est, ius (morale seu legale) habet ex divitum bonis superfluis accipiendi necessaria vitae. γ. Qui in extrema necessitate est, ius (strictum) habet sumendi ea, quae vitae conservandae necessaria sunt. Utrumque enim ius, quantum fieri potest, illaesum servari debet; quodsi dominium privatum impediat vitae conservationem, cessat ius secundarium et praevalet ius primarium. Hoc ius non ita intelligendum est, quod dives extreme indigenti ea conferre teneatur, quibus indiget, sed ita, ut teneatur non impedire eum, qui in extremo periculo de necessariis sibi provideat. His iuribus ex altera parte respondent totidem officia, quae cum dominio rerum temporalium connexa sunt.

b. Distingui debent *bona, quae natura omnibus vult esse communia,* a bonis, quae ipsa natura non pro omnibus intendit, sed quae singuli pro condicione sua sibi comparant. Prioris generis bona sunt vita, sanitas, libertas, fama; posterioris generis bona sunt status nobilis, divitiae, magna dignitas, officium et eiusmodi[2]).

Articulus secundus.

De possessione.

369. Notio. *Possessio* est detentio rei non prohibitae possideri cum animo eam habendi ut suam.

a. Detentio supponit rei apprehensionem: possessio enim inchoatur per apprehensionem, qua quis rem occupat et detentione possessio continuatur. Quod iura attinet, eorum apprehensio ordinarie in acceptatione et detentio in eorum exercitio consistit.

b. Nomine *rei* significatur *obiectum* possessionis, quod esse potest non solum res corporea ut pecunia, ager, domus, sed etiam incorporea ut ius. In priore casu habetur proprie dicta possessio, in altero habetur possessio improprie dicta seu quasi-possessio.

---

[1]) Cf. *S. Thomas* II. II. q. 66. a. 2. *H. Pesch,* l. c. Pflichten und Schranken des Eigentums. S. 390 ff.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 153 ss.

c. Ad possessionem non sufficit, ut quis physice rem aliquam apprehendat et detineat, sed requiritur, ut eam detineat cum animo eam habendi *tamquam suam;* requiritur ergo, ut rem apprehendat non solum corpore sed etiam animo seu voluntate; ideo depositarius proprie non possidet depositum.

d. Ad veram possessionem non requiritur quidem ius in rem possessam: nam etiam fur possidet, etsi iniuste; requiritur autem, ut ius certam rem incapacem non declaret, quae possideri, vel certam personam incapacem non declaret, quae possidere possit; sic res publicae ab homine privato et nonnullae res sacrae a laico possideri nequeunt.

e. Tria ergo ad possessionem habendam requiruntur: α. detentio rei, vel si agitur de iure, usus iuris; β. animus eam sibi habendi; γ. permissio legis, quae possessionem non quidem approbet, sed non prohibeat.

370. Divisio. Possessio *dividitur: a.* in possessionem *legitimam* seu iuris, quae inchoatur cum titulo, qui per se dominium transferre potest, ut est donatio, emptio; et in possessionem *illegitimam* seu facti, quae caret titulo, qui dominium transferre possit, ut possessio ex furto.

Qui *dubitat,* utrum res, quam possidendam assumit, sua sit an aliena, eam *legitime* possidere incipit, si in nullius possessione est et ipse animum habet inquirendi et rem certo domino restituendi.

b. Possessio facti aut est possessio bonae aut dubiae aut malae fidei: *bonae fidei* habetur, si possessor invincibiliter putat, rem esse suam; *dubiae fidei* habetur, si possessor vel initio vel decursu possessionis dubitat, an res sit sua; *malae fidei* habetur, si possessor scit rem, quam possidet, esse alienam.

Qui *dubitat,* utrum res, quam alius possidet, sua sit an aliena, *illegitime* possidet, si eam altero invito possidendam assumit. Idem dicendum est de eo, qui dubitat, utrum res, quam alius possidet, huius sit an tertii.

371. Effectus possessionis. 1. Omnia iura possessioni quaedam tribuunt *privilegia,* tum quia ipsum factum possessionis, si bonae fidei est, fundat praesumptionem iuris, scilicet cum possessione coniunctum esse etiam ius in rem possessam, tum quia haec privilegia conducunt ad tranquillitatem publicam civiumque excitant diligentiam in

rebus suis custodiendis. Haec privilegia, quae tum ex lege naturae tum ex lege civili possessioni competunt, duo recensentur:

a. In pari causa vel dubio melior est condicio possidentis, i. e. possessio tribuit ius retinendi rem possessam, donec certo vel saltem firmiore motivo constet eam esse alienam.

Ideo nemo sine iniuria spoliari potest re, quam possidet, nisi sufficienter constet alium ius habere eam possidendi.

b. Possessio bonae fidei parit praescriptionem, attamen non transfert rei dominium nisi ope praescriptionis.

2. Possessio haec privilegia non confert, nisi sit *certa* et *legitima;* possessio dubia vel malae fidei nihil valet.

Articulus tertius.

De dominio filiorumfamilias.

372. Declarationes. *Filiusfamilias* dicitur filius legitimus (vel legitimatus), qui nondum est sui iuris, sed paternae potestati subiectus.

a. Distinctio personarum. Infans dicitur homo usque ad 7. aetatis annum completum; *impubes* dicitur, qui nondum pervenit ad pubertatem, ergo usque ad 14. aetatis annum, si sit puer, et usque ad 12., si sit puella; *minor* seu minorennis dicitur puber usque ad emancipationem; *maior* seu maiorennis est post emancipationem. Annus emancipationis in diversis iuribus diversus est[1]). *Pupillus* dicitur impubes, qui morte patris vel sententia iudicis (e. g. ob defectum physicum vel moralem patris) a paterna potestate exiit; ei vi legis constituitur *tutor; minori,* qui iam puber a paterna potestate exiit, constituitur *curator* administrationem bonorum.

b. Distinctio bonorum. Ex iure romano bona filiorum distinguebantur in bona *castrensia,* quae filius sibi acquirit ex militia vel alio publico officio, *profectitia,* quae filius a patre accipit vel ex bonis

---

[1]) Iuxta complures codices (C. G. § 2) filii minores sunt usque ad annum 21. completum, iuxta C. A. § 21 usque ad annum 24. completum. *Emancipatio* secundum alia iura eo ipso fit, quando filius legitimam aetatem adeptus est, secundum alia solum fieri *debet,* si filius voluerit; servatis condicionibus a lege praescriptis etiam ante hanc aetatem fieri *potest.*

patris lucratur: *adventitia,* quae filio aliunde proveniunt e. g. hereditate, donatione, singulari industria et labore.

Codices recentes distinguunt: α. bona *libera,* quae filius separata industria (extra domum paternam officio vel labori vacans, etsi domi degat) vel donatione aut simili titulo acquirit; β. *non-libera,* quae filius non separata industria (domi una cum patre laborans vel ex bonis paternis negotiando) acquirit.

373. Iura filiorum, in quibus statuendis recentes codices fere conveniunt[1]).

a. Bonorum, quae dicuntur *libera,* ipse filius, etsi minor sit, dominium habet; eorum administratio autem et quandoque etiam usufructus ad patrem pertinent[2]).

α. Ubi ergo filius horum bonorum non solum dominium directum sed etiam dominium utile habet, omnes eorum fructus in eius dominium transeunt. Et si filius haec bona invitis parentibus dilapidat, peccat contra alias virtutes, non autem contra iustitiam. — Etsi filius minor per se *sibi* lucretur, quae extra domum paternam famulatum praestando vel artem propriam exercendo vel cum bonis alienis negotiando acquirit, cum tamen eorum administratio ad patrem spectet, ea patri tradere debet, et si quae inscio patre clam sibi retinet, illicite agit administrationem sibi arrogando.

β. Si filius extra domum paternam laborat, sed domi habitat et alitur, pro sustentatione solvere debet: pater enim non tenetur alere filium, qui ipse sibi providere potest; quare integrum salarium parentibus tradere debet ad expensas sustentationis solvendas, nisi forte salarium extraordinarie magnum accipiat vel laborem prorsus extraordinarium assumat vel parentes consentiant, ut aliquam salarii partem sibi retineat. Quodsi inscio et invito patre partem salarii ordinarii clam sibi retinet, adeo ut sustentationis expensas non solvat, per se contra iustitiam peccat.

γ. In duplici casu filii arguendi non sunt de peccato, eo quod aliquid salarii percepti patris administrationi subtrahant, dummodo pro sustentatione, quantum satis sit, solverint: α. si advertant parentes ea, quae sustentationi supersunt non reservare filiis, sed in usus superfluos expendere; β. si parentes parci non concedunt filiis pro honestis recreationibus, quae prudenter ab eis exspectare possunt.

b. Bona *non libera* per se ad patrem pertinent, etsi filius maiorennis sit: fructus enim laboris, quem filius non

[1]) C. A. § 149 ff. C. G. § 1627 ff.

[2]) Ex C. A. § 149 sola administratio ex C. G. § 1649 ss. partim etiam usufructus ad patrem pertinet.

proprio, sed patris nomine exercet, patri cedunt. Quare si filius haec bona invitis parentibus subtrahit vel dissipat, contra iustitiam agit.

374. *Num filius laborando in negotio paterno aliquam mercedem exigere possit.*

a. Filius *minor* sub paterna potestate constitutus mercedem pro labore suo exigere nequit: quamdiu enim sub paterna potestate est, parentes iure exigere possunt, ut conservandae et augendae rei domesticae adlaboret et sustentatione domi percepta contentus sit.

b. Filius *maior* pro labore *debito* nihil exigere potest. Debitus censetur labor, qui pro condicione patris ad decentem et convenientem familiae sustentationem necessarius est: pater enim ius habet exigendi a filio obsequia, quae familiae sustentationi necessaria sunt. e. g. agricola exigere potest, ut a filio in agricultura adiuvetur; pro iis autem, quae ex pietate debita sunt, nullum potest exigi stipendium[1]).

c. Filius *maior* pro labore *indebito* per se mercedem exigere potest, nisi gratis laborare intenderit: nullum enim ius habent parentes exigendi a filiis obsequia, quae eorum statui et condicioni non sunt necessaria. At maiorem mercedem filius exigere non potest, quam pro eodem labore extraneus acciperet; lucrum autem ex negotio et labore perceptum ad patrem pertinet, sustentationis tamen expensas pater iure subtrahere et proinde mercedem minuere potest.

α. Debitam autem mercedem filius statim exigere nequit, sed patri committendum est, quo tempore et modo filio debitum solvere velit.

Ordinarie non solent parentes filiis domi laborantibus mercedem solvere nec propter eorum labores hereditatem augere. Neque hac agendi ratione iustitia laedi censetur: *ordinarii* enim labores victu, vestitu, peculio aliisque commodis in domo paterna perceptis fere compensantur. Ex alia vero parte si filii, praesertim maiores, domi manentes et laborantes pro laboribus exantlatis e bonis paternis aliquid surripiunt vel occulte se compensant, post factum non sunt facile ad restitutionem cogendi.

β. Atque hoc, quod nempe filius pro ordinario labore in domo paterna praestito aliam compensationem exigere vel sibi sumere non possit, valet etiam, si alii fratres interim otiosi fuerint vel studiis operam dederint: haec enim adiuncta mere externa non efficiunt, ut lucrum laboris non familiae sed filio cedat. Solent tamen parentes vel donationibus vel aliis modis curare, ut filiorum industriae ac diligentiae sua sit merces.

[1]) Cf. *Lugo,* De iustitia disp. 5. n. 42.

d. Si tamen labor indebitus sit *extraordinarius,* qui consuetos aliorum labores notabiliter excedat vel rei familiari valde utilis sit, detractis expensis pro alimento filius per se maiorem mercedem vel partem lucri exigere potest, nisi ab initio expressam intentionem habuerit illos labores gratis praestandi: si enim talem intentionem habuit, non licet ei postea mutata voluntate stipendium exigere.

Si filius inscio patre ex eius bonis negotiando lucrum percipit, ita distinguendum est:

a. Si filius ex praesumpta licentia patris *nomine patris* egit, peccatum non commisit, totum vero lucrum patris est.

b. Si filius cum pecunia, quam sibi *propriam* fecerat, *nomine proprio* egit, lucrum filii est, sed peccatum commisit, quia pecuniam sumpsit, et patri reparare debet damnum, si quod ex defectu pecuniae in negotio patris ortum est.

c. Si filius cum pecunia, quae *in dominio patris* manebat, *proprio nomine* egit, lucri dimidiam partem retinere potest: res enim considerari potest ut negotium societatis, ad quod pater pecuniam contulit, filius industriam. Num filius in hoc casu peccatum commiserit ab eo dependet, utrum invito patre an ex praesumpta licentia patris egerit[1]).

375. *Num filius minor dominium habeat in bona sibi data.* — Ad determinandum dominium, quod filius minor extra familiam degens habeat in bona a parentibus vel cognatis sibi data, attendi debet ad voluntatem dantium vel expressam vel rationabiliter praesumptam.

a. Si bona *absolute* dantur, filius plenum eorum dominium acquirit, ideoque pro lubitu de iis disponere potest. Hoc modo dari solent res ipso usu consumptibiles, pecunia ad recreationem destinata, res, quae non a parentibus, sed a cognatis tribuuntur. Quodsi ergo filius haec in vanos usus impendat, prodigalitate, non autem iniustitia peccat.

b. Si bona exclusive *in determinatum finem* dantur e. g. pecunia ad emendos libros, vestes, ad solvendam pensionem etc., filius plenum dominium non acquirit, ideoque contra iustitiam agit et per se ad restitutionem tenetur, si ea in alios fines praesertim vanos vel inhonestos impendat. A restitutione tamen saepe excusatur, quia condonatio parentum supponi potest.

c. Si res generatim *pro necessitatibus occurrentibus* nulla condicione apposita dantur, parentes plenum earum dominium in filium

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 565 ss.

transferre censentur, quare aliquam earum partem iuxta statum et condicionem parentum etiam in honestas recreationes expendere potest. Quodsi filius contra voluntatem parentum in vanos usus eas expendat, contra oboedientiam, non autem contra iustitiam peccat.

d. Si bona *ad usum,* ut dicitur, a parentibus dantur, quae primo usu non sunt consumptibilia ut vestes, libri etc. filius eorum perfectum quidem dominium habet[1]) iis tamen uti debet secundum intentionem dantis, cui debet oboedientiam. Hinc si e. g. libros venderet et pecuniam inde acceptam dissiparet, non quidem contra iustitiam, sed tamen praeter prodigalitatem etiam contra oboedientiam peccaret.

Nota. Per se consulendum non est, ut fiant conventiones inter parentes et filios cohabitantes et in domo paterna laborantes, multo minus promovendae sunt compensationes occultae, sed potius pietas filiorum in parentes et parentum in filios fovenda et inculcanda est. Parentes vero hortandi sunt, ut iustum aliquod peculium et aequam mercedem concedant filiis apud se manentibus et laborantibus.

Articulus quartus.

De dominio coniugum.

376. Declarationes. 1. Ut diiudicari possit, utrum agendi ratio coniugum circa bona temporalia iusta sit an iniusta, praeprimis investigandum est, quaenam bona sint ipsis communia, quae vero propria, et quaenam iura in bona tum propria tum communia coniugibus conveniant. Porro haec coniugum iura pendent a contractu, quem ante matrimonium (per actum authenticum coram notario) ineunt seu a regimine (systemate), ut vocant, sub quo matrimonium contraxerunt. Possunt enim nupturientes sponte eligere systema, secundum quod de eorum bonis disponatur, et electo systemati quascunque voluerint conventiones addere, modo non adversentur bonis moribus nec prohibeantur a lege. Iam vero tria sunt praecipua systemata, secundum quae sponsi respectu dominii bonorum temporalium matrimonium inire solent: *a.* systema communitatis; *b.* systema separationis bonorum; *c.* systema dotale. Quodsi coniuges sine speciali conventione contra-

[1]) C. A. § 151.

hunt, censentur sequi illud systema, quod in ea regione communiter viget. Iura, quae coniugibus circa bona temporalia in singulis systematibus conveniunt, continent codices civiles[1]).

2. Bona coniugum in hunc modum distinguuntur:

a. Bona dotalia (eingebrachtes Gut), quae ab uxore vel ab alio traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda.

Bona dotalia non solum in systemate dotali, sed etiam in aliis systematibus occurrunt, cum in quovis systemate ab uxore dos afferatur. Raro fit, ut bonorum dotalium dominium in maritum transferatur; ordinarie eorum dominium manet penes uxorem, administratio autem et ususfructus ad maritum pertinent[2]).

b. Bona praeterdotalia seu propria, quae uxor praeter dotem habet, sive hereditate sive donatione sive propria et extraordinaria industria ea acquisierit.

α. Dominium eorum, quae uxor sibi comparat *proprio labore* a cura, quae rei domesticae debetur, distincta e. g. pingendo vel cum propriis bonis negotiando, stricto iure ad ipsam pertinet, donec ea in commune conferat[3]).

β. Horum bonorum dominium et usumfructum retinet uxor, administrationem vero ordinarie maritus habet.

c. Bona communia, quae coniuges sive ex pacto sive ex dispositione legis in commune conferunt. Horum bonorum uterque coniux (commune) dominium seu condominium exercet, eorum autem administratio penes maritum est.

A bonis communibus distinguenda sunt *bona familiae,* quae interdum etiam communia dicuntur. Sunt ea, quae ex individua vitae consuetudine et ex communi utriusque coniugis labore acquiruntur, quorum tamen dominium soli competit viro.

377. Iura et obligationes mariti. 1. In administrandis bonis *communibus* a iure ampla potestas conceditur marito adeo ut ex lege (saltem coram iudice) nihil ab ipso exigi possit propter malam prodigamque administrationem.

---

[1]) C. A. § 1217—1266. C. G. § 1363—1563.

[2]) C. A. § 1227 ss. C. G. § 1363.

[3]) *Ballerini-Palmieri* III. n. 52.

In conscientia autem ad restitutionem obligandus est maritus, quia bonorum stricte communium uxor dominium servat, etsi solus maritus administrationem habet; quare maritus ea dissipans ius strictum uxoris laedit. Attamen ob malam administrationem ad restitutionem obligandus non est maritus, si communio bonorum iure ita determinatur, ut uxor ius strictum non habeat nisi in dimidiam partem bonorum exstantium post mortem mariti[1]).

2. *Maritus,* qui bona familiae, quorum ipse solus est dominus, male administrat vel etiam dissipat, contra caritatem seu pietatem, non autem contra iustitiam delinquit.

3. Si *maritus* bonorum, quorum solam administrationem vel solum usumfructum cum administratione habet, invita uxore quidquam dissipat, huius strictum ius laedit atque ad restitutionem tenetur. Idem dicendum est, ubi in administrandis bonis stricte communibus limites a iure concessos transgrediatur.

4. Maritus ex bonis communibus vel familiae uxori subministrare tenetur, quae ad rem familiarem iuxta statum et condicionem familiae procurandam, ad eius sustentationem atque ad eius obligationes implendas (saltem si propria non habet) necessaria sunt.

378. Iura et obligationes uxoris[2]). 1. Si uxor ex bonis familiae, quorum maritus est dominus, marito rationabiliter invito aliquid sumit, huius strictum ius laedit et per se ad restitutionem tenetur, nisi condonetur iniuria.

2. Uxor *per se* inscio marito nihil licite expendere potest: administratio enim bonorum etiam communium ad maritum spectat. Praeterea subiectio, qua uxor viro tamquam capiti familiae subordinatur, exigit, ne quidquam inscio et inconsulto marito sumat. Cum tamen uxor non sit ancilla, sed mariti socia et adiutrix, ex universali consuetudine in usu bonorum ea libertas, quam decentia status requirit, ei concedenda est. Complura ergo praesertim ex-

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 3. pr. 1. n. 1020. *Lehmkuhl* I. n. 897. *Gury-Ballerini* n. 556. *Dalama* n. 40.

[2]) *Lugo* disp. 16. n. 64 ss. *Lehmkuhl* I. n. 895.

sistente iusta causa uxori etiam inscio, quin et invito marito licita sunt.

Ex consuetudine uxores liberam administrationem habent volatilium eorumque fructuum sic ovorum.

a. Quaedam bona etiam notabiliora uxor inscio marito in bonum familiae expendere potest, si maritus non daret, quae necessaria sunt ad honestam ipsius et prolis sustentationem, vel si frustra necessitates familiae ei exponerentur; in hoc casu tamen cavere debet uxor, ne nimias pro condicione familiae expensas faciat.

b. Consuetas eleemosynas facere potest, quae ab aliis eiusdem condicionis mulieribus fieri solent; maiores quidem, si maritus hanc obligationem negligat, aliquas, sed minores, etiamsi maritus suae obligationi pro condicione familiae satisfaciat: nam uxor contra decentiam nimis dura appareret, si nullas dare posset eleemosynas.

c. Subvenire potest parentibus vel filiis ex alio matrimonio susceptis, si in gravi necessitate constituti sint.

Si bona propria habet, consanguineis indigentibus ex illis succurrere debet; potest tamen consuetas eleemosynas, etsi bona propria habeat, consanguineis tribuere. Si bona propria non habet et consuetae eleemosynae non sufficiunt, potest de bonis communibus vel de bonis mariti sumere ad sublevandam parentum et filiorum gravem necessitatem. Nec tenetur marito defuncto illas expensas ex ea parte dotis vel bonorum communium, quam ipsa accipit, restituere, nisi expensae illae multum excedant limites consuetarum eleemosynarum. Ratio *primi* est, quia maritus tamquam administrator familiae uxori ea suppeditare debet, quibus ipsa obligationibus suis satisfacere possit; leges autem pietatis ab uxore exigunt, ut subveniat parentibus et filiis indigentibus. Ratio *secundi* est, quia vir non tenetur extraordinarias expensas ex suis bonis pati, si uxor bona habet, quorum dominium penes ipsam est.

d. Bona quaedam inscio marito reservare potest, ut provideat familiae et ipsius mariti necessitatibus et ut sua iura integra servet, si maritus bona dilapidet.

e. Curare potest, ut preces et missae dicantur ad avertendum mariti aut familiae damnum spirituale vel temporale.

f. Parva munera largiri et quaedam in honestam recreationem expendere potest, prout haec aliis eiusdem

condicionis mulieribus licita sunt et proinde sine aliqua nota omitti non possunt.

Nota. Iura uxorum in bona communia, quae ex usu et consuetudine eis competunt, non sunt publice in instructionibus proponenda et ordinarie nec privatim in confessionali nimis indulgendum est mulieribus, cum ipsae ex indita dominandi libidine valde propendeant in iura sua plus aequo extendenda. Universim magis curandum est, ut uxor marito in caritate, ut par est, subsit et oboediat, quam ut iuribus suis insistat.

Articulus quintus.

De dominio auctorum.

379. Nomine *auctoris* intelligitur omnis, qui proprio ingenio aliquid invenit, cuiusmodi est: *a.* qui librum conscripsit; *b.* qui opus artis composuit ut rythmum musicum, picturam; *c.* qui theoriam scientificam, artem, remedium medicale etc. invenit.

Iura auctorum. 1. Auctor iure naturae dominium perfectum habet *in rem,* quam ipse *invenit,* antequam facta sit publici iuris: unusquisque enim ius habet in fructus ingenii sui; quare tamquam verus dominus de re sua pro arbitrio disponere potest.

a. Ideo contra iustitiam agit et ad reparationem damni tenetur, qui manuscripta invito auctore divulgat, vel qui inventori artis secretum suum surripit.

b. Ideo contra iustitiam agit, qui lectionem professoris vel sermonem oratoris invito auctore typis divulgat. Nec valet pro contraria sententia provocatio ad factum, quo typis in ephemeridibus eduntur publici sermones sive concionatorum sive deputatorum in comitiis: haec enim scientibus nec contradicentibus auctoribus fiunt. — Eo ipso autem, quod quis publice docet vel concionatur, doctrina proposita fit aliquo modo publici iuris; ideo impediri nequit, quominus auditores eam faciant suam, pro opportunitate ea utantur vel ad usum suum privatum describant et scriptum aliis commodent.

2. In *opus* iam *vulgatum* auctor retinet *dominium* et *ius opus ulterius divulgandi,* concedit autem omnibus operis vulgati *usum:* auctor enim illud ius retinere censetur, quod ex rei natura retinere potest, illud autem concedere cen-

setur, quod ex rei natura concedere debet; atqui etiam facta divulgatione dominium in opus suum et ius operis ulterius divulgandi retinere potest; eo ipso autem quod opus divulgat, omnibus volentibus et debitum pretium solventibus eius usum concedere debet. — Insuper unicuique naturaliter competit ius in fructus sui operis: atqui fructus ex opere suo percipere nequit, nisi dominium in opus vulgatum et ius illud ulterius divulgandi retineat.

a. Sunt, qui dicant ius proprietatis et ulterioris divulgationis in opus vel inventum iam vulgatum ipsa vulgatione amitti; quodsi proinde auctori vel inventori competat ius prohibendi, ne opus vel inventum suum ab aliis vulgetur, id non a lege naturae, sed a lege positiva haberi[1]). Etsi horum sententia a proposita non multum differat, quia ultro concedunt huiusmodi legem positivam naturali aequitati prorsus consentaneam esse, aptius tamen affirmatur ius proprietatis esse quidem a natura, sed in multis obscurum atque indeterminatum proindeque lege positiva declarandum et determinandum[2]).

b. Ergo contra ius auctoris atque editoris agit et ad reparationem damni tenetur, qui opus vulgatum non consentiente auctore denuo imprimendum curat. — Qui aliquod opus inscio auctore vel editore in dissitis regionibus imprimendum et divulgandum curat, eatenus damnum infert, quatenus maius lucrum auctoris vel bibliopolae hac ratione impedit, id quod nunc attentis mediis communicationis facilius evenire potest quam antea. — Multiplicare librum vel folium per transscriptionem ad usum privatum sive pro se sive pro alio, nisi transscriptio vulgetur, nec iniustum nec illicitum est, quia emptor de opere vulgato vi dominii, quod in illud acquirit, in omne commodum suum disponere potest, si auctor inde non patitur damnum; atqui auctor ex eiusmodi usu moraliter non patitur damnum.

c. Num auctori iure naturae competat ius impediendi, ne operis sui *versio* in alia lingua vulgetur, certo non constat, quia non constat, num vulgatio versionis auctori reipsa noceat, et lucrum, quod translator percipit, laborem translationis excedat. Leges autem positivae fere ubique ius edendi versionem auctori reservant.

3. Leges civiles, quae prohibent, ne opus alicuius auctoris, ne post eius mortem quidem, nisi elapso certo

---

[1]) Hanc sententiam inter recentes tuetur *Vermeersch.* Quaestiones de iustitia n. 246 ss.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 53.

tempore[1]), sine consensu eorum, quorum interest, imprimatur, vel auctori ius sui operis versionem edendi reservant, in conscientia obligant, cum iura constituant (n. 356).

Articulus sextus.

De dominio clericorum.

380. Declarationes. Bona clericorum triplicis generis sunt:

1. *Bona patrimonialia,* quae clericis proveniunt ex paterna hereditate vel ex quacunque alia causa profana e. g. donatione, contractu, industria vel alio id genus modo cum saecularibus communi e. g. docendo literas.

Horum bonorum clerici *perfectum dominium* habent aeque ac laici: nulla enim lege positiva ius naturae nunc quoad clericos in hac re limitatum est[2]).

2. Bona *quasipatrimonialia* vel *quasiecclesiastica* vel casualia, quae clerici acquirunt ex functionibus et officiis ecclesiasticis ut stipendia missarum, contionum.

Ad haec bona pertinent: *a.* reditus stolae; *b.* salaria, quae accipiunt cooperatores parochorum, capellani militares, professores religionis in gymnasiis; stipendia pro munere docendi theologiam in universitatibus vel seminariis sive ab ecclesia sive a gubernio solvuntur; distributiones, quae dantur canonicis, fructus beneficii laicalis; *c.* oblationes fidelium, quae ipsi parocho tribuuntur; *d.* pensiones, quae sive a gubernio sive ab ecclesia clericis emeritis vel aegrotis conferuntur.

Horum bonorum pariter *dominium perfectum* habent clerici: nulla enim est ratio affirmandi eos habere dominium limitatum: et sane neque illi, qui eiusmodi bona largiuntur, neque ecclesia hocce dominium ullo modo limitarunt.

3. Bona *ecclesiastica* seu beneficialia, quae clerici percipiunt ex beneficiis ecclesiasticis.

---

[1]) C. A. Gesetze zum Schutze des Urheberrechtes § 13, iuxta quas elapsis triginta annis a morte auctoris opus eius a quolibet imprimi potest.

[2]) Cf. *Benedictus XIV.* De synodo dioec. l. 7. c. 3.

a. A bonis beneficialibus distinguenda sunt bona *simpliciter ecclesiastica,* ut sunt fundi beneficiales, quae ad ecclesiam pertinent; beneficiati eorum habent administrationem et usumfructum. Non agitur hic de fundis beneficialibus sed de fructibus, quos clerici ex iis percipiunt.

b. Ad bona ecclesiastica seu beneficialia pertinent etiam: α. *salaria,* quae a gubernio solvuntur parochis, cononicis vel episcopis: ecclesia enim haec ut bona ecclesiastica considerat, quia pro bonis ecclesiae ablatis a gubernio solvuntur[1]). Item β. *supplementa,* quae parochis a communitate ad congruam sustentationem erogantur, quia publica auctoritate in locum bonorum ecclesiasticorum substituuntur.

c. Notio boni ecclesiastici stricte i. e. pro iis tantum bonis accipienda est, quae ex beneficio ecclesiastico proprie dicto proveniunt, nec extendenda ad bona, quae clericus ex aliquo munere ecclesiastico (ut vicarii generalis, rectoris seminarii, professoris s. theologiae) sibi acquirit, etsi ex bonis ecclesiasticis haec bona desumantur[2]).

Haec bona ecclesiastica vel sunt necessaria vel parsimonialia vel superflua. *a. Necessaria* dicuntur ea, quibus clerici indigent ad honestam sustentationem. *b. Parsimonialia* dicuntur, quae clerici honeste vivendo consumère possent, sed parcius vivendo de reditibus beneficii seponunt. *c. Superflua* dicuntur, quae honestae sustentationi supersunt.

381. De dominio clericorum in bona ecclesiastica. 1. In bona ecclesiastica ad congruam seu honestam sustentationem *necessaria* clerici *perfectum dominium* habent; ex concilio enim tridentino beneficiati fructus ex beneficiis perceptos *faciunt suos*[3]); sed his verbis acquisitio dominii significatur.

a. Clerici ergo ex reditibus beneficii *honestam sustentationem* sumere possunt, etiamsi alia bona habeant: in hunc enim finem praecipue instituta sunt beneficia, ut ii, qui ecclesiae serviunt, ab ecclesia etiam sustentari possint[4]). Quodsi clericus ex patrimonio suo vivat,

[1]) *S. Poenitent.* 19. ian. 1819; 19. aug. 1821; 9. aug. 1824.

[2]) Cf. *Hollweck,* Das Testament der Geistlichen (Mainz. Kirchheim. 1901) S. 32 ff., qui haec bona ecclesiastica dicit; econtra *Hilgenreiner,* Professorengehalt eines Geistlichen (Linz. Quartalschrift 1902) S. 349 ff.

[3]) Sess. 24. c. 12. De reform. et alibi saepius.

[4]) 1. Cor. 9, 7—14.

potest tantundem de bonis ecclesiasticis accipere et pro lubitu de eo disponere.

b. Quaenam *sustentatio sit congrua,* non certa regula, sed prudenti iudicio definiri debet. In hoc iudicio ferendo ratio habenda est α. personae: uni enim plura necessaria sunt quam alteri; β. consuetudinis loci; γ. officii et qualitatis beneficii. Ceterum sub congrua sustentatione comprehenduntur etiam eleemosynae faciendae, hospitalitas, honestae recreationes, moderatae donationes, quantitas reservata in eventus futuros, decens alimentatio consanguineorum, si ea indigeant, ita ut ab ecclesiastico viro aeque absit prodigalitas atque avaritia.

c. Quoad bona a clerico relicta, de quibus non constat, quo titulo acquisita fuerint, ita distinguendum est: si constat clericum praeter reditus beneficii alia quoque bona acquisivisse, praesumendus est beneficialia in sui sustentationem consumpsisse, alia vero consanguineis reservasse; quodsi non constat eum alia bona praeter beneficialia acquisivisse, praesumendus est bona ecclesiastica reliquisse, donec aliud probetur[1]).

2. In bona ecclesiastica *parsimonialia* clerici pariter *perfectum dominium* habent: etenim sunt bona ex necessariis seposita; in haec autem perfectum dominium acquisierant; ergo etiam in illa perfectum dominium habent, cum dominium, quod acquisierant, non amittant.

3. Etiam in bona *superflua* clerici verum dominium acquirunt, ea tamen sub gravi *erogare tenentur pauperibis* vel in alios usus pios.

a. Clericos verum dominium acquirere in bona superflua est sententia *s. Thomae*[2]), quam *s. Alphonsus* satis probabilem habet[3]). Et sane bona ecclesiastica a fidelibus ecclesiae offeruntur hac pia intentione, ut in honorem sanctorum dicata sint; atqui dicendum est ecclesiam verum dominium et liberam illorum bonorum dispositionem acquirere, adeo ut valide in quemcunque usum, licite vero solum in usum pium et religiosum de iis disponere possit, quippe qui solus naturae bonorum intentionique fidelium respondeat.

b. Dum ecclesia constitutis beneficiis partem horum bonorum clericis largitur, in eos *transfert verum dominium* in haec bona, sed simul etiam obligationem, quae eis inhaeret, ea nempe non expendendi nisi in usus pios. Clericos in bona superflua verum dominium habere patet ex concilio tridentino, quod de bonis ecclesiasticis generatim sine discrimine docet clericos eorum fructus facere suos.

---

[1]) Cf. *Schmalzgrueber* in tit. *De pecul. cler.* n. 15.

[2]) *Summa* II. II. q. 185. a. 7. Quodl. 6. a. 12. ad 3.

[3]) L. 3. n. 492. coll. Quaest. ref. q. X.

c. Habent ergo clerici in bona ecclesiastica etiam superflua verum dominium sed *dominium onere gravatum*, quod natura bonorum exigit, ea nempe erogandi in usus pios. Num clerici ad hanc erogationem *ex iustitia* teneantur, controversum est; quoniam vero sententia, quae obligationem iustitiae negat, veram probabilitatem habet, clerici, qui superflua male impendunt, neque ipsi neque eorum heredes ad restitutionem obligari possunt. Sed de hac re inferius dicetur.

Nota. Decet omnino, ut clericus etiam bona, quae non sunt ecclesiastica, saltem ex parte pauperibus vel causis piis largiatur: populus enim facile scandalum accipit, si omnia bona non-ecclesiastica cognatis non indigentibus tribuantur.

Quaestio tertia.

De acquisitione dominii.

382. Praenotiones. 1. Modus acquirendi dominium intelligitur titulus seu causa ex se apta ad conferendum dominium. Distinguuntur quinque diversi modi acquirendi dominium: *occupatio* (inventio), *accessio, labor, praescriptio, contractus.*

a. Vim conferendi dominii hi modi vel habent immediate a iure naturae ut occupatio (inventio), accessio et labor, vel a iure humano ut praescriptio, vel a privata hominum voluntate ut contractus.

Modi acquirendi dominium distinguuntur in originarios et derivatos. *Originariis* acquiritur dominium rerum, quae nunquam habuerunt dominium aut saltem actu non habent, cuiusmodi est *occupatio, accessio* (naturalis) et *labor; derivatis* acquiritur dominium rerum, quae dominio iam subsunt ut *praescriptione* et *contractu.*

2. Notanda est distinctio inter res vacantes, derelictas et amissas: *vacantes* dicuntur, quae dominum nunquam habuerunt sive animatae sunt ut ferae in silvis, sive inanimatae ut gemmae in mari; *derelictae* dicuntur, quae dominum habuerunt, actu autem non habent ut thesauri olim absconditi, res domini absque legitimis heredibus

defuncti; *amissae* vel *incertae* dicuntur, quae dominum habent, sed ignotum ut annulus aureus in platea repertus.

Res amissae habentur pro derelictis: *a.* quando dominus ex circumstantiis certis nullam amplius habet spem recuperandi rem suam; *b.* quando dominus rei amissae recuperationem negligit, etsi eam recuperare posset; *c.* quando res non est magni pretii, adeo ut dominus non censeatur exigere eius restitutionem.

Nota. De singulis modis acquirendi dominium nunc agendum est; quia tamen tractatio *de contractibus* longior evasit, ad proprium caput (quartum huius libri) eam remittimus.

Articulus primus.

De occupatione.

383. De occupatione in genere. Occupatio (Aneignung) est apprehensio rei, quae nullius est, cum animo eam sibi acquirendi.

1. Occupatio, si debitae condiciones adsunt, est legitimus modus acquirendi dominium: iure enim naturae res nullius fiunt primi occupantis; sicut ergo initio dominium privatum coepit occupatione rerum, quae tunc omnes erant nullius, ita nunc res, quae nullius sunt, transeunt in dominium occupantis (n. 368).

2. *Condiciones,* quae requiruntur, ut res aliqua fiat occupantis, sunt: *a.* ut res nullius sit, sive vacans est sive derelicta: alias enim occupatione iniuria fieret domino; *b.* ut adsit vera vel realis apprehensio; *c.* ut adsit animus rem faciendi suam.

Nunc temporis in nostris regionibus, ubi non habentur terrae partes ab hominibus nondum occupatae, non occurrunt nisi *occupationes animalium,* quae fiunt venatione, piscatione, aucupio, et occupationes *rerum inventarum,* quae vel suffossae vel derelictae vel in sinu terrae reconditae vel amissae sunt.

384. Distinctio animalium. Distinguuntur animalia triplicis generis:

a. Mansueta seu domestica, quae natura sua humano consortio utuntur et ideo naturali libertate non fruuntur

ut equi, oves, boves, gallinae, canes; haec per se dominum habent.

b. Mansuefacta seu cicurata, quae per se quidem naturali libertate fruuntur, sed hominum industria hac privantur eorumque dominio subiiciuntur ut aves in cavea, apes in alveari, columbae in columbario. Mansuefactis adnumerantur etiam pisces in privatis piscinis et ferae septis inclusae.

c. Fera seu silvestria, quae natura sua humanum consortium abhorrent et naturali libertate fruuntur ut lepores, pisces, aves; haec dominum non habent.

385. De occupatione animalium.

1. *Animalia mansueta* semper manent prioris domini, etsi aberrent vel e custodia abscesserint: cum enim natura sua domestica sint, nunquam fiunt nullius.

a Ideo ab alio occupari non possunt neque ipsa neque eorum fructus, sed domino restitui debent etiam mortua, ubicunque reperta fuerint.

b. Idem valet etiam in casu, quo domino certe periissent, nisi ab interitu liberata fuissent: res enim non desinit esse domini sui, eo quod per alium ab interitu vindicata est. Ideo animalia incendio vel lupo erepta domino restituenda sunt; pro labore tamen iustum stipendium debetur.

386. 2. *Animalia mansuefacta* manent prioris domini quamdiu in custodia detinentur; cum primum vero e custodia evaserint et pristinam libertatem recuperaverint, fiunt primi occupantis.

a. Animalia, quae in custodia detinentur, sunt duplicis generis, alia, quae e custodia emissa redire non solent ut cervi, lepores, pleraeque aves, pisces; et alia, quae redire solent ut columbae, apes. Iam priora censentur recuperasse libertatem, quando eorum consecutio domino moraliter facta est impossibilis, vel quando dominus ea non amplius persequitur; posteriora vero, quando amiserunt consuetudinem redeundi. Censentur autem amisisse consuetudinem redeundi, si per aliquot dies, quos lex positiva accuratius determinat, non redeant[1]).

[1]) Ex C. A. § 384 examen apum, quod dominus biduo non persequitur, animal autem mansuefactum, quod per 42 dies ad dominum non rediit, ab alio occupari potest. Cf. C. G. 961.

b. Non licet absque iniuria animalia alterius mansuefacta ut columbas fraude e. g. proiecto exquisitiore pabulo ad se attrahere, quia dominus rei strictum ius habet, ne res sua ab aliis per vim vel fraudem sibi subtrahatur[1]).

Num liceat occidere alterius animalia (canes, columbas, gallinas), quae agro nocent. Licitum est ea occidere, ne noceant: nam vim vi repellere licet; sed haec requiruntur: α. ut damnum alio modo praecaveri nequeat e. g. ea abigendo vel dominum monendo; β. ut damnum, quod inferunt, sit notabile seu saltem aequale damno, quod patitur dominus animalium; atqui columbae, gallinae et eiusmodi solum tempore messis et sementis notabile damnum inferunt; γ. ut directe intendatur conservatio rei propriae, non autem damnum proximi; δ. animalia occisa solum tamquam compensatio pro damno illato retineri possunt[2]).

387. 3. *Animalia fera,* quamdiu libere vagantur, unusquisque capere potest: sunt enim nullius, ideoque fiunt primi occupantis. Qui ergo eiusmodi animal capit, ipsa occupatione illius fit dominus, sive in proprio sive in alieno fundo illud ceperit; et tamdiu servat illius dominium, quamdiu illud in sua custodia retinet, vel si effugerit, quamdiu cum spe recuperandi illud persequitur.

a. Fera, quae reperitur in fundo alterius non clauso, non pertinet ad dominum fundi, sed nullius est: dominus fundi ius quidem habet prohibendi, ne alius venetur in suo fundo, et exigendi compensationem pro damno, quod a venatore fundo illatum est, fera autem occisa vel e nido sumpta ad venatorem pertinet.

b. Ferae, quae sunt in fundis clausis, et pisces, qui sunt in vivariis, e quibus evadere non possunt, ad dominum fundi vel vivarii pertinent, quia per claustrum ad eas custodiendas erectum iam captae sunt. Qui ergo venatur in nemoribus clausis vel piscatur in piscinis privatis, contra iustitiam agit et animalia capta vel aequivalens pretium restituere tenetur. Si tamen silvae circumseptae vel lacus aquae valde magnae extensionis sunt, ita ut animalium captura incerta evadat, ea non censentur amisisse suam naturalem libertatem. Qui ergo in eiusmodi locis venatur vel piscatur, ius alienum quidem laedit, damnum vero illatum ex probabili spe, quam dominus habebat illa animalia capiendi, desumendum est[3]).

---

[1]) Cf. *Elbel-Bierbaum* II. pr. 5. n. 207.

[2]) C. A. § 1320 ff. C. G. § 833 ff.

[3]) *Laymann* l. 3. tr. 1. c. 5. n. 12. *Holzmann,* Theol. moral. t. 4. n. 31.

c. Fera laesa est venatoris vulnerantis, si ita laesa est, ut non possit amplius aufugere: venator enim ipsa vulneratione illam de facto apprehendit. Pariter fera laqueo irretita eius est, qui laqueum posuit, modo ita sit irretita, ut non possit evadere: laqueo enim reipsa occupatur.

Quaeritur, cuius sit fera laqueo capta, quem aliquis posuit in alieno fundo. a. Praeter dominum fundi et venatorem in feram captam ius nemo habet; ideo quilibet alius, qui feram vel a laqueo dimittit vel aufert, iniuste agit, nisi ipsa evasura fuisset: si enim evasura fuisset, nisi alius eam extraxisset, est extrahentis. β. Fera laqueo capta per se quidem venatoris est; attamen dominus fundi, si ipso invito laqueus positus est, retinet ius illum impediendi, ne ad feram extrahendam accedat et proinde eam adhuc vivam dimittere et probabiliter etiam sibi capere potest[1]).

388. De iure venandi atque piscandi. 1. In loco aperto atque omnibus pervio sive publico sive privato unicuique per se venari (piscari) licet, si modo alienis fundis non inferat damnum; attamen venatio (piscatio) prohiberi potest. Prohibitio haec ex recepta consuetudine censetur esse mere poenalis, quae solum ad solvendam mulctam vel ad subeundam poenam obliget. Quodsi ius venandi elocatum sit, locatarius acquirit ius exclusivum in illo loco venandi; atqui in nostris Europae regionibus ius venandi fere ubique elocatum est.

Leges tamen, quae venationem (piscationem, aucupium) certo tempore ad cavendam ferarum inopiam (Schonzeit) prohibent, plerisque recte videntur esse leges praeceptivae, quae ratione boni communis in re satis magni momenti ex iustitia legali in conscientia obligant.

2. Si cui competit exclusivum ius venandi (piscandi) in aperto loco, sive quia ius locavit sive quia dominus fundi illud sibi reservavit, hoc ipso non acquirit ius in animalia, quae in illo loco reperiuntur, quippe quae naturali adhuc libertate gaudeant; sed cum iure prae aliis ibi venandi habet spem animalia, quae ibi reperiuntur, capiendi. Ideo qui ipso invito in eiusmodi loco venatur vel piscatur, ipsa venatione (piscatione) laedit ius locatoris vel domini, sed animalia occisa facit sua et retinere po-

[1]) Cf. *Gury-Ballerini* I. n. 572. q. 3. nota.

test, attamen reparare debet damnum illatum[1]). Damnum autem non censetur inferri, nisi aut plura aut grandiora animalia occidantur.

a. Si magna animalium fit strages vel magna piscium captura, manifesto laeditur spes domini eorum aliqua saltem capiendi. Si unum tantum vel alterum animal capitur, spes laeditur, quam habuit dominus, illud praecise animal capiendi. Iam vero si agitur de animalibus minoribus et si multa ibi sunt animalia, haec spes fere nulla est et parum vel nihil valet, quare nulla fieri debet restitutio; quod si pauca ibi sunt eiusmodi animalia vel animalia sunt maiora, haec spes censetur valere circiter dimidium pretii ipsius animalis capti[2]).

b. Ubi venatio in silvis publicis vel privatis prohibetur, silvarum domini vel locatores venationis *a.* cavere debent, ne ferae permittantur agros vel prata depascere aut devastare, alias agricolae ius habent sua bona defendendi non solum feras abigendo, sed eas etiam, si opus fuerit, occidendo; *b.* tenentur damna reparare, quae sive a feris sive a venatoribus occasione venationis inferuntur.

Articulus secundus.

De inventione.

Inventio est species occupationis. Res autem inventae sunt quadruplicis generis: *thesauri, res vacantes, res derelictae* et *res amissae,* de quibus in particulari agendum est, quia iura inventoris pro diversitate rei inventae legibus positivis diverse determinantur.

389. De inventione thesauri. *Thesaurus* est res pretiosa et suffossa vel abscondita, quam nemo probare potest esse suam.

a. Tria ergo de ratione thesauri sunt: α. ut sit res pretiosa; β. ut sit nullius γ. ut sit defossa vel abscondita. Ergo proprio sensu thesauri non sunt venae metallicae vel carbonariae, quae in sinu terrae inveniuntur[3]).

---

[1]) Leges positivae non solum venationem prohibere, sed etiam impedire possunt, quominus venator dominium ferae captae acquirat; eiusmodi statuta, si certe exsistant, in conscientia obligant C. G. § 958.

[2]) *E. Müller,* Theologia moralis II. § 102.

[3]) Nihil referre videtur, utrum hominis manu an viribus naturae res recondita fuerit, ideo C. A. § 398 res antiquas, quae eruuntur (antiquarische, archäologische Funde) ad thesauros refert, item C. G. § 981.

b. Dominus fundi, in quo thesaurus reperitur, is est, qui eius dominium directum habet; ideo si in fundo beneficii ecclesiastici thesaurus reperitur, dominus fundi non beneficiatus est sed ecclesia[1]); si in fundo publico reperitur, dominus est communitas vel civitas (fiscus), quae bona publica administrat.

c. Inventor rei alienae non dicitur, qui eam primus videt, sed qui eam videt et apprehendit. *Inventor thesauri* non dicitur, qui thesaurum ab alio iam detectum seu erutum primus videt et apprehendit, sed qui eum detegit seu visibilem facit. Primum ius thesaurum apprehendendi est penes detectorem, quo si detector non utatur, thesaurus ab alio apprehendi potest.

390. 1. Iure naturae thesaurus videtur esse res nullius ideoque primi occupantis i. e. inventoris, qui inventione, illum occupavit: non enim in fundo, in quo reperitur, natus, sed aliena vi ibi collocatus est; leges tamen positivae thesaurum aliquatenus ut partem fundi considerant ideoque partem thesauri domino fundi adiudicant.

2. Leges recentes fere conveniunt cum dispositionibus iuris romani[2]):

a. Thesaurus, qui in proprio fundo reperitur, totus est inventoris. (Lex, quae totum thesaurum vel eius partem fisco adscribit, poenalis est).

b. Thesaurus, qui casu in alieno fundo reperitur, dividendus est; ergo dimidia pars domini fundi, dimidia vero inventoris est.

Haec lex in conscientia servanda est, et quidem ante iudicis sententiam (n. 356). Quo tempore dominus fundi in partem thesauri inventi ius acquirat, utrum ipsa inventione an postquam inventor illum apprehendit, a dispositione legis dependet. Ordinarie ex codicibus thesaurus *inventus,* non demum apprehensus, inter dominum fundi atque inventorem dividendus est; ideo non posset inventor absque iniuria thesaurum iterum suffodere, fundum emere et totum sibi retinere[3]).

c. Thesaurus, qui de industria inscio domino in alieno fundo quaeritur et detegitur, (post sententiam iudicis) aut

---

[1]) Ex C. A. § 399 uterque ut dominus fundi consideratur, et qui dominium directum et qui usumfructum habet.

[2]) C. A. § 398—401. Decreto 16. iun. 1846 auctoritas politica renuntiat parti l. c. sibi reservatae. C. G. § 984.

[3]) Cf. Matth. 13, 44.

totus domini est, aut inter dominum et fiscum dividendus est.

α. Lex prohibens, ne aliorum fundi effodiantur, lata est ad tuenda iura dominorum; transgressores autem huius legis in poenam parte thesauri inventi privantur. Quia lex in poenam lata est, inventor thesauri poenam subire non tenetur ante sententiam; hinc si inventio occulta manet, cum domino fundi de dividendo thesauro invento licite convenire potest.

β. Si in arca vel in veste antiqua vel in angulo domus invenitur pecunia vel alia res pretiosa, cuius dominus reperiri nequit, considerari potest ut thesaurus, ideoque tota est inventoris, si ipse est dominus rei, in qua reperitur, alias res inventa dividenda est inter inventorem et dominum rei, quae thesaurum continet.

391. De occupatione rei vacantis. *Res vacantes* iure naturae fiunt primi occupantis, nisi lege humana earum dominium vel ex toto vel ex parte ad alium pertineat: res enim nullius iure naturae fiunt primi occupantis.

a. Fodinae seu res utiles in sinu terrae reconditae ut venae metallicae, marmoreae, arenariae, carbonariae etc. ab aliis *(Lugo)* considerantur ut partes *accessoriae* fundi, in quo reperiuntur, quae proinde ad dominum fundi pertinent. Alii tamen *(Lessius, Soto)* fodinas primo inventori adiudicant, quia eis aequum non videtur rem pretiosam ut venam auri tamquam partem accidentalem rei multo minoris pretii considerare. De hac re consulendi sunt codices.

b. Res vacantes mobiles ut lapilli, gemmae, fragmenta auri et eiusmodi fiunt primi occupantis.

392. De occupatione rei derelictae. *Res derelictae* pariter sunt primi occupantis, nisi earum dominium lege positiva alteri tribuatur: res enim nullius fiunt primi occupantis.

a. Bona post naufragium vel diluvium in litore maris vel in ripa fluminis reperta, item bona ex timore naufragii proiecta non possunt haberi pro derelictis ideoque non fiunt primi occupantis[1]).

b. Ligna vel alia bona, quae inundatione ab uno loco in alterum feruntur, non sunt res derelictae, nisi ex adiunctis appareat dominum aut de iis amplius non esse sollicitum, aut nullam spem habere ea recuperandi.

---

[1]) C. A. § 388.

c. Fructus ut nuces, uvae, spicae etc., quae messe iam peracta remanserunt, ex praesumptione dominos ea non curare, habentur pro derelictis. Dominus ergo eorum collectionem etiam vetare potest.

d. Qui in taberna vel in ecclesia (e. g. eam verrendo) vel in publica platea nummos invenit, eos sibi retinere potest, quando ob magnum hominum in illum locum concursum nulla spes est fore, ut dominus inveniatur. Si tamen res inventa est alicuius valoris, deponi debet in sacristia vel apud parochum, ubi res in ecclesia amissae a domino quaeri solent. Quodsi post aliquod tempus (duorum circiter mensium) dominus rem sibi non vindicat, ea est inventoris.

e. In dubio, utrum res amissa sit an derelicta, tractari debet ut amissa.

f. Bona ab eo relicta, qui sine testamento et sine herede defunctus est, sive mobilia sive immobilia, cedunt fisco[1]).

393. De inventione rei amissae.

Res amissa dupliciter a thesauro differt: *a.* eo quod abscondita non est; *b.* eo quod non est nullius, sed dominum habet, etsi ignotum. Ubi vero spectatis adiunctis nulla amplius spes adest inveniendi dominum, ex illius dominio excidisse censetur et pro derelicta habetur.

1. Inventor rem inventam in suo loco relinquere potest; ordinarie tamen exsistit obligatio, non quidem iustitiae sed caritatis, eam secum ferendi.

Non exsistit obligatio *iustitiae,* quia excluso speciali contractu nemo ex officio tenetur rem alienam secum ferre; potest autem exsistere obligatio *caritatis:* ex caritate enim tenemur damna a proximo avertere, si commode fieri potest. Hinc si alias dominus rem suam non recuperaret, et si spes adsit dominum detegendi, urget obligatio rem assumendi, nisi incommodum excuset; quae idem obligatio eo maior est, quo maius est detrimentum, quod dominus ex re amissa patitur.

2. Qui rem inventam assumpsit, tenetur *ex iustitia* dominum inquirere, non suis sed domini expensis, et interim eam diligenter custodire.

a. Qui rem inventam assumit, eo ipso rem alienam sponte in suam custodiam recipit; qui autem rem alienam in sua custodia habet, tenetur eam diligenter domino conservare eamque domino reddere, et si dominus ignotus sit, aptis mediis eum quaerere.

b. Qui culpabiliter dominum investigare negligit, a fortiori qui rem inventam de industria abscondit, quando exsistit spes reperiendi dominum, causa est, cur dominus rem suam recuperare non possit; ideo

[1]) C. A. § 760. C. G. § 1936.

fit iniustus possessor rei alienae eamque retinere non potest, sed, si dominus non compareat, in pauperes vel in usus pios erogare debet.

c. Certus modus dominum inquirendi lege naturae quidem non praecipitur, sed quilibet sufficit, qui ad finem idoneus reputetur; lege positiva autem modus investigandi dominum accurate determinatur[1]).

d. Si res inventa non est minoris momenti[2]), modus investigandi dominum a lege praescriptus generatim *in conscientia* servandus est: privata enim inquisitio non censetur aptum et sufficiens medium inveniendi dominum. Qui ergo statuta legis positivae sciens et volens non observat, non fit rei inventae dominus, ne per praescriptionem quidem, quia ei non assistit bona fides[3]).

3. Si dominus repertus fuerit, inventor rem ei restituere tenetur; expensas tamen in investigando domino factas et praemium, si quod a domino vel a lege promissum fuerit, iure exigere vel ex re sibi detrahere potest.

4. Si adhibita diligenti inquisitione dominus non detegatur, inventor *iure occupationis* rem sibi retinere potest, et si postea dominus appareat, non tenetur ei rem amplius restituere.

a. Adhibita sufficienti diligentia in investigando domino, prudenter iudicari potest dominum inveniri amplius non posse; atqui ubi nulla rationabilis spes est inveniendi dominum, res ex iure naturae seu ex tacito hominum consensu censetur derelicta; res autem derelicta fit primi occupantis; ergo *occupatione* inventor dominium rei inventae acquirit (non praescriptione).

b. Leges positivae aliae statuunt inventorem post annum, aliae post triennium acquirere dominium rei inventae[4]). Hoc statuto definitur tempus, quo elapso dominus censetur amittere dominium in rem suam: prudenter enim praesumitur elapso hoc tempore dominum inveniri amplius non posse.

---

[1]) C. A. § 389. 390, ubi modus diversus praescribitur pro diverso valore rei inventae. C. G. § 965 ss.

[2]) Res maioris momenti est ex C. A. § 389, si valorem 2 coron., ex C. G. § 965, si valorem 3 marc., ex consuetudine, si valorem 10 (iuxta alios 20) coronarum excedit.

[3]) Cf. *Lehmkuhl*, das bürgerliche Gesetzbuch ad § 965 ff. *Carrière*, De iustitia I. n. 336. 347.

[4]) C. A. § 391. 392. 1466. C. G. § 973.

Articulus tertius.

De accessione.

Accessio (Verbindung, Vermischung, Umbildung, Verarbeitung) est modus acquirendi dominium, eo quod rei propriae aliquid adiungitur. Distingui debent tres species accessionis: accessio naturalis, industrialis et mixta, prout aut solis viribus naturae aut sola industria humana aut ex utriusque concursu rei propriae aliquid accedit.

394. Accessio naturalis triplici modo fieri potest:

a. Fructificatione, eo quod fructus ex alicuius arbore vel fundo absque humana industria oriuntur. Eorum dominium determinatur ex principio: *res fructificat domino.*

b. Nativitate, eo quod animal ex alicuius animali oritur. Huius dominium determinatur regula: *partus sequitur ventrem,* i. e. cuius est animal generans, eius est etiam animal genitum sive ex proprio sive ex alieno animali conceptum fuit.

c. Alluvione, eo quod alicuius fundo terra adiicitur; quae si sensim accedit, statim pertinet ad dominum fundi[1]); si autem notabilis terrae pars repente accedit (avulsio), dominus fundi acquirit dominium, si prior dominus intra tempus a lege praescriptum (intra annum)[2]) eam sibi non vindicaverit.

395. Accessio industrialis quatuor modis fieri potest:

a. Specificatione, quando rei propriae alia forma specifice diversa accedit, ut si quis ex lana mea pannum vel ex panno vestem, ex tritico meo panem, ex auro meo annulum conficit. Ex iure naturae dominium rei novae determinatur iuxta axioma: *Accessorium sequitur principale.* Sed cum frequenter determinari non possit, utrum princi-

[1]) C. A. § 411.
[2]) C. A. § 412.

pale sit rei substantia an nova forma, standum est dispositionibus, quas hac de re continet codex civilis[1]).

Ex codicibus alii statuunt rem novam ad eum pertinere, qui materiae novam formam dedit, soluto pretio materiae, nisi mala fides intercesserit aut valor materiae maior sit. Alii autem statuunt rem novam ad eum pertinere, cuius est materia, soluto pretio artis adhibitae, nisi pretium artis longe superet pretium materiae et nisi mala fides intercesserit.

b. Adiunctione, quando rei propriae alia res ita adiungitur, ut ambae unum totum efficiant, ut si quis in tela mea picturam facit vel annullo meo gemmam inserit. Si duae res separari nequeunt, dominium totius determinatur ex eodem axiomate: *accessorium sequitur principale,* quod lex positiva accuratius determinat.

c. Commixtione, quando res solidae, *confusione,* quando res liquidae ad diversos dominos pertinentes iunguntur, ut si triticum cum alterius tritico, vinum cum alterius vino miscetur.

α. Si res unitae separari possunt, fieri debet separatio, et suo quaevis domino restituenda est, nisi quis re aliena utatur tantum ad suam reparandam e. g. filo alieno ad consuendam vestem suam. In hoc casu dominus rei principalis fit dominus rei quoque accessoriae; tenetur autem domino rei accessoriae huius pretium solvere.

β. Si res unitae separari non possunt, ut si frumentum unius mixtum sit frumento alterius, ambo sunt domini totius massae, quae inter ipsos pro ratione partis antea ad eos pertinentis dividenda est. Si tamen pars unius considerari potest ut principalis, quia maior vel pretiosior est, ipse, si velit, fit dominus totius, quod proinde sibi retinere potest, attamen cum obligatione alteri solvendi pretium suae partis.

d. Aedificatione, quando in proprio fundo ex aliena materia aut in alieno fundo ex propria materia aedificium construitur. Iura in eo fere conveniunt, ut iuxta principium: *accessorium sequitur principale,* statuant aedificium utpote accessorium pertinere ad dominum fundi, qui tamen alium compensare debet, nisi mala fide egerit.

Qui scienter et mala fide in alieno fundo aedificat, amittit aedificii proprietatem, nec materiae nec laboris compensationem exigere potest. In hunc modum *S. C. Episc. et Reg.* 11. mart. 1892, sequens

[1]) C. A. § 415. C. G. § 946—950.

ius romanum, particularem casum decidit[1]); iura tamen moderna rem non omnia eodem modo definiunt[2]).

396. Accessio mixta duplici modo fit:

a. Seminatione, quando semina in alieno agro sparsa germinant; *b. Plantatione,* quando plantae in alieno fundo positae crescunt. Domino fundi tribuitur dominium rei, quae in eius fundo crescit, iuxta versiculum:

Quidquid plantatur, seritur vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Si tamen aliquid in re mobili plantatur e. g. flos in testa, dominium totius determinari debet ex principio: *accessorium sequitur principale;* prout ergo flos vel testa maioris pretii est, totum vel ad dominum floris vel ad dominum testae pertinet.

Articulus quartus.

De labore.

397. Praenotiones. 1. Iste modus acquirendi dominium hodie peculiarem attentionem meretur, quia socialistae modos alios reiicientes hunc solum legitimum appellant: contendunt enim neminem habere dominium nisi earum rerum, quas proprio labore producit.

Nomine *laboris* intelligitur industria humana, quae apta sit ad producenda bona. Nihil refert, utrum spiritualis an corporalis sit, utrum mediate an immediate ad producenda bona conferat, dummodo consistat in usu et conatu virium humanarum, qui natura sua eo tendit, ut bona sive singulari homini sive communitati utilia producat.

2. Iam vero, etsi labor non sit unicus nec primarius, est tamen *legitimus modus acquirendi dominii.*

a. Et sane cum homo sit dominus actionum tam animae quam corporis, eas aut *proprio nomine* aut *in alterius servitio* adhibere potest; si primum, naturali iure est etiam dominus fructuum, quos proprio labore producit; si

---

[1]) Cf. Acta s. sedis XXIV. p. 550.

[2]) Cf. C. A. § 417—419. C. G. § 946. 947.

alterum, ius habet in convenientem laboris mercedem istiusque fit dominus.

b. Labor corporalis, sive in re propria sive in re aliena exercetur, necessario supponit proprietatem iam praeexsistentem materiae, in qua labor peragitur et nova forma producitur; ergo nec unicus nec primarius modus acquirendi dominii esse potest.

398. Asserta. 1. Qui *in re propria* novam formam producit, est dominus rei et formae productae seu totius novae substantiae, cum ius habeat in fructus laboris sui.

2. Qui laborando *in re aliena* novam formam producit, per se acquirit rei immutatae dominium partiale: substantia est prioris domini, nova forma, utpote fructus laboris, eius est, qui laborem peregit.

3. Cum homo sit dominus laboris sui, hunc alteri elocare potest; iam vero qui vires suas sive spirituales sive corporales alteri elocavit atque ideo *in alterius servitio laborat*, non acquirit ius in fructus laboris, sed in iustam laboris mercedem, cuius quantitas inferius determinabitur, ubi de contractu conductionis sermo erit.

Articulus quintus.

De praescriptione.

399. Definitio. *Praescriptio* definiri potest: modus acquirendi dominii per possessionem tempore et modo a lege definitis continuatam.

a. Praescriptio quandoque, praesertim a theologis, pro eodem sumitur atque *usucapio*, quandoque autem ab usucapione distinguitur; in assignando autem inter utramque discrimine auctores non conveniunt[1]).

[1]) C. A. § 1451 hos terminos ita adhibet, ut praescriptionem acquisitivam dicat *usucapionem* (Ersitzung), praescriptionem autem liberativam simpliciter *praescriptionem* (Verjährung). Simili modo C. G. § 194 ss. et § 937 ss.

b. Terminus *dominium* in definitione generatim accipiendus est: ius enim, quod praescriptione acquiritur, diversum est: aut dominium plenum, aut dominium directum, aut dominium utile, aut servitus, aut liberatio a servitute.

c. Lex, quae modum et durationem possessionis ad praescribendum requisitae determinat, est lex *positiva* sive ecclesiastica sive civilis; ideo pro varietate legum etiam diversum est tempus ad legitimam praescriptionem necessarium.

400. Divisio. Praescriptio *dividitur: a.* In *acquisitivam,* qua aliquis novum ius acquirit e. g. transeundi per agrum alienum; et *liberativam,* qua aliquis se vel rem suam ab aliquo onere liberat e. g. se ab onere solvendi debitum, agrum ab onere patiendi, ut alius per illum transire possit.

b. In *memorialem,* cuius initium non praetergreditur hominum memoriam; et *immemorialem,* cuius initium praetergreditur hominum (nunc exsistentium) memoriam.

c. Praescriptio memorialis dividitur in *ordinariam,* quae spatio trium vel decem annorum perficitur: et *extraordinariam,* quae triginta vel plures annos requirit.

d. Ratione temporis in praescriptionem *brevissimi temporis,* quod est infra triennium (in Germania biennium); *brevis temporis,* quod est infra decennium, *longi temporis,* quod est infra triginta annos; *longissimi temporis,* quod triginta annos excedit.

e. Ratione personarum in praescriptionem *inter praesentes* et praescriptionem *inter absentes.*

Praesentes pro dispositione legis dicuntur aut ii, qui in eodem territorio habitant, aut qui sub eodem iudice vel gubernatore exsistunt; *absentes* dicuntur, qui in diversis territoriis habitant aut sub diverso iudice vel gubernatore exsistunt.

401. Praescriptionis natura. 1. Praescriptio est *legitimus titulus acquirendi dominii:* praescriptio enim natura sua in eo consistit, quod possessio ipso temporis decursu, si requisitae condiciones adsint, dominium rei possessae in possessorem transfert. Vim transferendi dominii *a lege humana* habet: potest enim lex humana vi dominii alti

etiam invito domino ob graves rationes boni communis dominium ab uno in alterum transferre; atqui graves rationes boni communis id postulant.

a. Rationes, ob quas introducta est praescriptio: α. ne dominium rerum longo tempore sit incertum; β. ut lites facilius terminentur vel prorsus vitentur; γ. ut dubia conscientiae et timores amittendi res possessas removeantur; δ. ut diligentia hominum in conservandis rebus et persequendis iuribus suis exacuatur. — Pro *praescriptione liberativa* haec duplex ratio affertur: α. praesumptio solutionis ex parte debitoris, quia non solent creditores diu negligere debiti solutionem; β. immunitas ab onere in perpetuum servandi testimonia solutionis.

b. Tum lex *ecclesiastica* tum *civilis* praescriptione utitur[1]). Ubi lex humana reipsa dominium praescriptione transferre intendit, *lex praescriptionis etiam in foro conscientiae valet;* qui ergo contra alium legitime praescribit, rem, quam certo tempore possedit, vi legis facit suam; hinc si praescriptione peracta cognoscat rem fuisse alienam, non tenetur eam restituere, etsi pristinus dominus illam repetat.

2. Quinque *condiciones,* quae ad legitimam praescriptionem requiruntur, sequenti versiculo continentur:

> Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
> Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

402. Res apta seu praescriptibilis generatim est res, cuius dominium acquiri potest; res autem, quae sive natura sua sive ex legis dispositione in alterius dominium venire nequit, inpraescriptibilis est, quia praescriptione rei dominium in alium transfertur.

a. Res sacrae i. e. ad cultum divinum consecratae ut templa, sacella, altaria a laicis praescribi non possunt; ab iis autem praescribi possunt, qui earum dominium habere possunt; sic e. g. coemeterium ecclesia ut persona iuridica contra aliam ecclesiam praescribere potest; homo privatus autem solum ius sepulturae in determinato coemeterii loco praescribere potest, quia hoc solum acquirere potest. Pari modo homo privatus praescribere potest utensilia sacra, quae in hominis privati dominio sunt.

b. Iura sacra per se sicut res sacrae praescribi possunt; sic beneficium ecclesiasticum, ius conferendi beneficium, ius eligendi ad praelaturam solum a clerico praescribi potest, quia solum a clerico possideri potest, sed ius patronatus praescribi potest etiam a laico, quia etiam a laico possideri potest.

---

[1]) C. Quoniam fin. (20) *De praescript.* (II. 26).

c. Res publicae profanae a communitate contra communitatem praescribi possunt, non autem a privato, quia a privato possideri non possunt ut viae publicae, pontes, fontes, portus etc.

d. Res furtivae a fure quidem praescribi non possunt propter defectum bonae fidei, etsi lapsu temporis oblitus fuisset se rem iniuste possidere, nisi vitium purgatum sit; purgatur autem per possessionem 30 annorum, si agitur de re mobili, 40 annorum, si agitur de re immobili. Num ab alio, qui eas bona fide a fure accepit, praescribi possint, pendet a dispositione legis. Et moderni quidem codices fere statuunt, eum qui bona fide (donatione, emptione) rem a fure accepit, praescribere posse. Idem valet de *re inventa*, si inventor debitam diligentiam reperiendi dominum omisit.

e. Tandem ad res, quae praescribi non possunt, illae referri debent, quarum praescriptionem lex impedit; *lex ecclesiastica* impedit, quominus fines parochiarum vel dioecesium semel constituti, condiciones piis fundationibus appositae vel onera missarum[1]) praescribi possint; lex autem *civilis* impedit praescriptionem contra bona dotalia, bona pupillorum etc.[2]).

403. Bona fides est erroneum iudicium, quo quis prudenter i. e. morali certitudine existimat rem, quam possidet, esse suam. Qui ergo ab initio dubitat, an res sua sit, nequit inchoare praescriptionem.

a. Praescriptione liberativa onus seu obligatio exstinguitur; *obligationes* autem duplicis generis sunt: *activae*, quae ad actionem personalem vel realem referuntur ut solvendi ex empto vel mutuo, et *passivae*, quae referuntur tantum ad onus subeundum e. g. patiendi transitum per fundum proprium.

b. Item *bona fides* altera est *positiva*, quae est persuasio praescribentis seu debitoris se nullam habere obligationem; altera *negativa*, quae est persuasio praescribentis se nihil agere contra ius alterius; haec ergo exigit, ne alterum in usu iuris impediat, at non exigit, ut eum de usu iuris moneat.

1. Bona fides requiritur ad omnem praescriptionem tum acquisitivam tum liberativam non solum inchoandam, sed etiam continuandam: iustitiae enim repugnat, ut quis rem, quam novit esse alienam, faciat suam, cum potius eam reddere teneatur; neque potestas civilis per legem

---

[1]) *Concilium trid.* sess. 25. c. 5. De reform. S. C. C. 18. aug. 1843; 20. dec. 1879. Cf. Acta s. sedis XIII. p. 220.

[2]) C. A. § 1455—1459.

praescriptionis quempiam in inferenda iniuria iuvare potest. Ideo ecclesia ad legitimam praescriptionem bonam fidem omnino exigit[1]).

α. Ergo praescriptio bona fide inchoata, cui superveniat mala fides, interrumpitur, si autem praescriptioni bona fide inchoatae superveniat dubium, quod adhibita morali diligentia deponi nequit, praescriptio continuari potest. Quin etiam si investigatio veritatis culpabiliter negligatur, praescriptio ipsa, quae bona fide inchoata est, non impeditur; praescribens autem obligationem restitutionis contrahit, quatenus dominus praesumptus spe privatur rem suam recuperandi.

β. Si qua est praescriptio, ad quam lex aut nullam aut solum in principio requirit bonam fidem, ea in conscientia non valet; eiusmodi lex ergo ita intelligenda est, ut solum actionem iudicialem (das Klagerecht) neget, non autem ut dominium ipsum transferat.

2. Ad praescriptionem liberativam *activam,* bona fides *positiva* requiritur, etsi lex civilis aliud statueret; deficiente ergo bona fide positiva haec praescriptio in conscientia non valet. Sed ad praescriptionem liberativam *passivam* requiritur et sufficit bona fides *negativa.* Quodsi lex civilis admittat praescriptionem eius, qui alterum in usu iuris impedivit, praescriptio in conscientia non valet.

3. *Bona fides antecessoris* semper prodest successori tum universali tum particulari, qui ipse in bona fide sit: si quis ergo post completum tempus praescriptionis ab antecessore inchoatae et a seipso continuatae cognoscat rem esse alienam, non tenetur eam reddere. Ratio est, quia antecessor rem tradit successori cum omni iure, quod ipse habet.

Num mala fides antecessoris impediat praescriptionem successoris, si ipse per totum tempus ad praescriptionem requisitum in bona fide est, pendet a dispositione legis, cui etiam in conscientia stari potest: *a. ius romanum* et, quod istud adoptavit, ius canonicum statuit: mala fides antecessoris impedit praescriptionem in successore universali immediate, non autem in successore particulari aut

[1]) C. Quoniam fin. (20) *De praescript.* (II. 26), ubi habentur verba Concilii lateranensis IV. *Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica quam civilis* Reg. iur. 2. in 6°: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.*

universali mediato; *b. ius civile* modernum admittit praescriptionem etiam in successore universali et immediato seu in herede, ita ut hereditatem praescribat, modo eam per 30 (iuxta alios codices per 10) annos bona fide possederit[1]).

α. Successor *universalis* dicitur, qui ex titulo universali in universum ius succedit, sive unus est heres sive plures, sive vi testamenti sive ab intestato succedit; successor *particularis* dicitur, qui titulo particulari sive legati sive emptionis sive donationis etc. in possessione rei determinatae alteri succedit. Successor seu heres alter est *immediatus*, qui ipsi defuncto succedit, alter est *mediatus*, qui est heres successoris immediati.

β. Successor *universalis* seu heres in iure romano consideratur tamquam una persona cum defuncto; sicut ergo antecessor, qui in mala fide est, ita etiam successor praescribere nequit. Huius autem successor i. e. heres universalis mediatus praescribere potest, si ipsius antecessor reipsa in bona fide erat: heres enim mediatus non est heres primi defuncti, qui in mala, sed immediati heredis, qui in bona fide fuisse supponitur. Successor *particularis* praescribere potest non obstante mala fide antecessoris, quia non repraesentat antecessoris personam; quare hic ei non communicat vitia personalia, cuiusmodi est mala fides.

404. Titulus est causa, propter quam aliquis rem possidet e. g. emptio, donatio; ergo titulus simul est illa ratio, propter quam praescribens iudicat rem esse suam.

Titulus universim dividitur in *verum*, qui dominium reipsa transfert, et *apparentem*, qui dominium non transfert. Apparens, qui hic considerandus venit, aut est coloratus aut existimatus aut praesumptus. *Coloratus* est causa vere quidem exsistens, sed ratione occulti defectus invalida, ut si quis rem a fure emit; *existimatus* dicitur causa, quae exsistere putatur, reipsa autem non exsistit, ut si herus, qui famulo tradiderat pecuniam ad rem emendam, existimat rem a famulo fuisse emptam, quae tamen ab eo non empta sed furto ablata fuit; *praesumptus* dicitur causa transferendi dominii capax, quae nunquam intercessit nec intercessisse putabatur, sed ob diuturnitatem possessionis a iure supponitur.

1. Titulus verus ad praescriptionem non requiritur, sed requiritur et sufficit *apparens* sive coloratus est sive existimatus. *a.* Si verus titulus, qui transferat dominium, adesset, superflua esset praescriptio. *b.* Titulus apparens

[1]) C. A. § 1463. 1493. C. G. § 194. 195.

requiritur, quia sine titulo, ex quo possessor existimet rem esse suam, praescriptio bona fide inchoari non potest. *c.* Sufficit non solum titulus coloratus, sed etiam existimatus, quia uterque bonam fidem fundare potest.

Si ergo ex iure ad praescribendum requiritur titulus *iustus* vel *legitimus*, intelligitur titulus, qui ex dispositione legis ad praescribendum sufficiat.

2. In praescriptione extraordinaria sufficit *titulus praesumptus:* diuturnitas enim possessionis fundat praesumptionem tituli.

Qui ergo possessionem longissimi temporis demonstrare potest, non tenetur titulum allegare et probare, sed titulus in hoc casu ex diuturna possessione praesumitur. Si tamen adversarius absentiam tituli demonstrare potest, possessio etiam temporis immemorabilis nihil valet: praesumptio enim cedit veritati[1]).

405. Possessio. 1. Ad praescribendum requiritur legitima *possessio:* possessio enim praescriptionis fundamentum est, quare ex regula iuris *sine possessione praescriptio non procedit*[2]).

a. Possessio in praescriptione acquisitiva consistit in detentione rei vel in exercitio iuris, prout res praescribitur vel ius; in praescriptione autem liberativa in possessione libertatis, qua persona vel res non tenetur servire in utilitatem alterius, qui iure suo non utitur.

Quandoquidem haec libertas est possessio valde improprie dicta, alii simpliciter docent ad praescriptionem liberativam nullam requiri possessionem, sed ius (e. g. exigendi solutionem), quod intra tempus a lege determinatum non exercetur, suapte natura exstingui[3]).

b. Qui rem suo nomine possidet, etiam suo nomine praescribit, qui rem alieno nomine possidet, etiam alieno nomine praescribit; sic tutor, qui nomine pupilli possidet, non sibi sed pupillo praescribit.

2. Possessio, quae a lege ad praescribendum requiritur, debet esse *continua.* Praescriptio iam coepta quan-

---

[1]) C. A. § 1472.

[2]) Reg. iuris 3. in 6°.

[3]) Cf. *Holzmann,* Theologia moralis t. 4. n. 136.

doque *non procedit* vel *non currit,* aut quia *dormit* aut quia *interrumpitur.*

Praescriptio *dormire* dicitur, quando propter impedimentum superveniens suspenditur. Hoc autem remoto ita procedit, ut tempus subsequens computari possit cum praecedenti. *Interrumpi,* dicitur, quando propter impedimentum superveniens, e. g. eo quod mala fides superveniat vel possessio amittatur, omnino exstinguitur.

406. Tempus ad praescribendum necessarium a lege determinatur.

Tempus ad praescribendum requisitum in diversis legibus diversum est. Praescriptio bonorum ecclesiae, quae in conscientia valeat, non legibus civilibus, sed legibus iuris canonici (quae sunt leges iuris romani additis peculiaribus privilegiis) regitur; aliae praescriptiones omnes legibus propriae provinciae subsunt.

1. *De praescriptione ecclesiastica.*

a. Bona *immobilia* et *mobilia pretiosa* praescribuntur 40 annis.

α. Necesse non est monere ad bona ecclesiastica referri etiam bona monasteriorum et quorumcunque locorum piorum, quae auctoritate ecclesiastica erecta sunt.

β. Ecclesia romana gaudet privilegio, vi cuius eius bona immobilia non praescribuntur nisi 100 annis. Simile privilegium quibusdam monasteriis concessum est. Sic bona ordinis s. Benedicti non praescribuntur nisi 60 annis; bona Cisterciensium et Mendicantium non praescribuntur nisi 100 annis.

b. Bona *mobilia non pretiosa* praescribuntur 3 annis cum titulo, 30 annis sine titulo.

c. Servitutes bonis immobilibus inhaerentes aequiparantur ipsis bonis immobilibus. Ideo ut bona ecclesiastica onerentur servitutibus, requiritur tempus supra indicatum, ut autem a servitutibus liberentur, sufficit tempus praescriptionis civilis, si praescribitur contra personam vel bona profana, requiritur autem tempus praescriptionis ecclesiasticae, si praescribitur contra bona ecclesiastica.

2. *De praescriptione civili.* Tempus in praescriptione civili requisitum ex codice civili regionis desumendum est[1]).

[1]) Ex C. A. bona mobilia privatorum praescribuntur decursu trium annorum (§ 1466); bona vero mobilia fisci, communitatum et ecclesiae

Hoc loco solum tractanda est quaestio, num ea, quae iura moderna circa *praescriptiones liberativas,* praesertim *activas,* statuunt, in foro conscientiae valorem habeant.

407. De valore praescriptionis liberativae. 1. Praescriptiones liberativas *longi* et a fortiori *longissimi temporis* in conscientia valere omnes concedunt ex generali praescriptionis motivo. Si ergo creditor e. g. post decem annos ab alio debitum exigat, quod hic per illud tempus exstinctum putabat, non tenetur debitum solvere, dummodo codex civilis hoc tempus ad exstinguendum debitum sufficiens declaret.

2. Praescriptiones liberativas *brevissimi temporis* in conscientia non valere auctores communiter affirmant: praescriptiones enim istae ex ipsa mente legislatoris non intendunt transferre dominium seu exstinguere debitum, sed solum negare actionem iudicialem (das Klagerecht), et si debitum exstinguere vellent, id non possent.

Eiusmodi praescriptiones sunt e. g. solutiones medicis, famulis, magistris seu institutoribus, operariis, mercatoribus, cauponibus etc. debitae, quae, si intra tempus a lege determinatum (dimidium anni, annum, biennium) non exigantur, coram iudice pro exstinctis habentur. Haec ergo debita in conscientia non exstinguuntur, ubi certo constat solutionem nondum fuisse factam, quia eiusmodi praescriptiones, quae potentibus medium praebent fraudandi debiles bonis suis, bono communi non prosunt sed nocent.

3. De valore praescriptionum *brevis temporis* auctores disputant. Utrum ergo e. g. supra enumerata debita vel census annui elapso triennio vel quadriennio in conscientia adhuc solvenda sint, an vero debitor ab obligatione solvendi in conscientia immunis sit, etsi constet solutionem nondum fuisse factam, difficulter determinatur. Quodsi certo vel saltem probabiliter ostendi possit intentionem legis-

---

decursu sex annorum (§ 1472); circa bona immobilia plura statuuntur § 1467—1472. Ex C. G. ordinarium tempus praescriptionis est pro rebus mobilibus decem (§ 937), pro immobilibus triginta annorum (§ 195. 900); sunt tamen res, quae decursu duorum annorum (§ 196), et aliae, quae decursu quatuor annorum (§ 197) praescribuntur.

latoris fuisse non solum actionem negandi, sed ipsum debitum elapso illo tempore exstinguendi, debitor supposita bona fide ab obligatione solvendi considerari potest immunis[1]).

Patet bonam fidem in primo debitore vix adesse posse; eius successor autem, si in bona fide sit, hac praescriptione uti potest. Sunt tamen, qui putant, etiam ad praescriptionem liberativam activam sufficere bonam fidem negativam, quae in absentia fraudis consistit, quamvis habeatur certa persuasio debiti nondum soluti; eum ergo, qui censum vel pretium locationis per tempus ad praescriptionem aptum non solvit, tuta conscientia solutionem negare posse, praesertim si solutio ex incuria creditoris facta non sit. Cum enim tota vis praescriptionis a lege civili dependeat, ubi lex civilis fidem positivam non exigit, etiam in conscientia ei stare licet. Neque lex potest dici iniusta, quae eo tendit, ut creditores reddantur magis diligentes atque solertes.

---

[1]) Neque ex codice Austr.[2]) neque ex codice Germ.[3]) certo constat de mente legislatoris quoad vim huius praescriptionis.

[2]) Cf. *Conferenzblatt* (Brixen. Weger 1895) S. 105 ff. C. A. § 1432.

[3]) Cf. *Lehmkuhl*, Das bürgerliche Gesetzbuch[5] (Freiburg, Herder. 1900) S. 59 ff. C. G. § 222.

Caput secundum.

De laesione dominii.

Quaestio prima.

De iniuria in genere.

408. Definitio. *Iniuria* est iuris alieni stricte dicti violatio, sive haec fit actione sive omissione actionis, quae stricto iure debetur; eiusmodi iuris stricti violatio est furtum, detractio, homicidium.

a. De relatione *iniustitiam* inter atque *iniuriam* dicendum est, iniustitiam esse pravum habitum, qui virtuti iustitiae contrarie opponitur: sicut enim iustitia habitum bonum, ita iniustitia oppositum habitum malum significat. Iniuria est actus, qui ad vitiosum illum habitum pertinet.

b. Cum triplex sit ius verum et proprie dictum, ius nempe, quod est obiectum iustitiae legalis, distributivae et commutativae, *triplex est etiam laesio iuris,* scilicet laesio iuris iustitiae legalis, quae proprio nomine caret, laesio iuris iustitiae distributivae, quae acceptio personarum dicitur, et laesio iuris iustitiae commutativae seu iuris stricte dicti, quae proprie iniuria vocatur.

c. Patet iniuriam adversari caritati et iustitiae, quia per eam ius laeditur et simul malum infertur. Attamen peccata iniustitiae (e. g. furta) non continent duplicem malitiam, alteram contra caritatem, alteram contra iustitiam, sed unam tantum contra iustitiam, in qua laesio caritatis tamquam genus continetur.

409. Divisio. Iniuria dividitur:

a. In *positivam,* quae infertur aliquid contra ius alienum agendo, et in *negativam,* quae infertur omittendo, quod alteri stricto iure debetur.

b. In *personalem* et *realem,* prout ius alterius laeditur in persona i. e. in bonis animae vel corporis aut in bonis externis.

c. In *verbalem* et *realem,* prout verbis vel factis proximi iura laeduntur.

Ad iniuriam verbalem refertur iniuria *scripto* illata, quando nempe per epistolam, carmen, libellum famosum etc. aliquid, quod in alterius ludibrium, vilipensionem vel infamiam cedit, spargitur in vulgus.

d. In *meram* et *damnosam,* prout ius alterius laeditur sine damno vel cum damno eius, ad quem ius pertinet: sic adulterium uxoris prole non suscepta est mera iniuria, prole suscepta est iniuria damnosa.

410. Malitia moralis et specifica. 1. Iniuria est peccatum *ex genere suo grave,* quia adversatur iustitiae commutativae, quae per se quidem sub gravi obligat. Constat etiam ex s. scriptura: praeceptum enim non laedendi iustitiam recensetur inter mandata, quae servari debent, ut ad vitam ingredi possimus[1]). Admittit *parvitatem materiae,* quia ordo graviter non perturbatur, si ius in re exigua laeditur.

2. Gravitas materiae in laesione iustitiae, praesertim si agitur de bonis fortunae, ex duplici capite determinari debet: *a.* ex damno, quod proximo infertur; *b.* ex damno, quod communitati oriretur, si talis materia non esset sub gravi prohibita: etenim duplex ratio exigit, ut cuiusque ius servetur illaesum, tum bonum singulorum hominum, tum pax et securitas communitatis. Cum unusquisque de gravi damno sibi illato sit graviter invitus, solet dici gravem committi iniustitiam, quando laesus aut propter damnum, quod ipse patitur, aut propter damnum, quod imminet communitati, iure merito *graviter invitus* est[2]).

In peccatis, quae contra iustitiam fiunt, gravitas non tam ex affectu, quo dominus erga rem ablatam fertur, neque ex indignatione vel tristitia, qua propterea afficitur, sed ex damno desumenda est, quod ipse patitur, et consequenter ex reluctantia et oppositione voluntatis, qua *rationabiliter invitus est.* Hinc fieri potest, ut is, qui aufert rem exigui valoris, sed domino valde caram, graviter peccat contra

[1]) Matth. 19, 18.

[2]) Cf. *Reuter,* Theol. moralis III. n. 294. *Lehmkuhl* I. n. 761 s.

caritatem, si nempe praevideat eum gravi tristitia et indignatione affectum iri, non autem contra iustitiam.

Nota. Haec norma universalis, quae se extendit ad omnia genera bonorum, ad singula bona suis locis applicanda et accuratius determinanda erit.

3. Non omnes iniuriae sunt eiusdem speciei moralis, verum tot sunt *iniuriae specifice diversae,* quot sunt iura seu bona specie diversa, in quibus proximus laedi potest; atqui imprimis quatuor genera bonorum distingui debent: *a.* bona spiritualia tum naturalia tum supernaturalia; *b.* bona interna (vitae et membrorum); *c.* bona mixta (famae et honoris); *d.* bona externa (fortunae), quorum generum nonnulla in se continent bona specie diversa, ut suis locis dicetur

4. Ius in bona fortunae duplici modo laedi potest: iniusta *rei ablatione* et iniusta *damnificatione.* Per rei ablationem auferens lucrum percipit, per damnificationem damnificans nullum emolumentum capit. Iniusta ablatio et damnificatio specificâ malitiâ non differunt: utraque enim ius proximi non laedit nisi in bonis fortunae; quod autem aliquis exinde emolumentum capiat, moralitatem actionis non mutat.

411. Scienti et consentienti non fit iniuria[1]: nulla enim infertur iniuria, ubi nullum ius laeditur; atqui nullum ius laeditur eius, qui libere iure suo cedit; ille autem iure suo libere cedit, qui in actionem ex se iniustam consentit. Duplex tamen condicio requiritur, ut nulla tunc fiat iniuria: *a.* ut consentiens iure suo cedere *possit:* si enim cedere de illo non potest, cessio est invalida; *b.* ut iure suo cedere reipsa *velit* i. e. ut cessio omnino sit libera, ad quod requiritur, ut cum plena cognitione plene consentiatur; hinc ubi consensus ex errore datur aut dolo vel metu extorquetur, revera nullus est.

Hinc *a.* qui occidit consentientem vel sui occisionem petentem, iniuriam committit: etenim cum in vitam hominis solus Deus domi-

[1]) C. *Scienti* 27. reg. iur. in 6°.

nium habeat, homo hoc iure plene cedere non potest. Qui percutit clericum renuntiantem privilegio canonis, facit iniuriam, quia huic privilegio persona singularis renuntiare non potest, cum in favorem status clericalis concessum sit. Qui pupillo, etsi consentienti, bona aufert, iniuriam committit, quia pupillus iure suo valide cedere non potest. Qui peccat cum aliena uxore, iniuriam committit, etsi adulterium uxoris maritus approbet, quia ipse alienare non potest omnia iura, quae in hoc casu laeduntur[1]).

b. Ergo actio eius, qui consentientem occidit, est iniusta contra Deum, in eum vero, qui in actionem in se iniuriosam consentit, nequit esse iniusta. Item actio uxoris, quae consentiente marito adulterium committit, adversatur sanctitati sacramenti et iuri prolis legitimae, in ipsum maritum autem non est iniusta.

c. Qui latroni ad evitandam mortem dat pecuniam, patitur iniuriam; pariter emptor, qui pro merce solvit ultra summum pretium, vel emit rem vitiosam pro integra, quia hi libere non consentiunt. Operarius, qui necessitate coactus in salarium minus consentit, quam quod iure naturae ei debetur, iniuriam patitur.

d. Si quis, ut viri sancti fecisse leguntur, iniuriam sibi inferendam desiderat deque illata gaudet[2]), item si quis consilium Christi Domini secutus auferenti tunicam dimittit et pallium[3]), non censetur velle de iure suo cedere, sed eximiam virtutem exercere.

412. *Num intentio nocendi actum externum reddere possit iniustum.*

a. Si actio alteri quidem nocet, sed illius ius strictum non laedit, sive quia alter ius strictum non habet, sive quia agens ius habet ponendi actionem, intentio nequit actum reddere iniustum, etsi nocivus sit: nulla enim infertur iniuria, ubi nullum laeditur ius.

Homo privatus, qui incendium ex pravo nocendi animo non exstinguit, non agit iniuste, quia ad id stricto iure non tenetur. Iudex qui reum condemnat ex odio, ut illi eiusque familiae noceat, pariter is, qui in legitima sui defensione inimicum ex odio vulnerat, non est iniustus, quia hi ius habent, alter ad reum condemnandum, alter ad se defendendum.

b. Si actio ex se indifferens est ad effectum iustum vel iniustum, per intentionem iniquam agentis potest fieri

---

[1]) Cf. *Lugo*, disp. 8. n. 10. *Vermeersch* n. 144.

[2]) Cf. Hebr. 10, 34.

[3]) Matth. 5, 40.

iniusta: intentio enim iniusta efficit, ut tunc ius alterius laedatur.

Qui sumit rem alienam a fure, ut eam domino restituat, non agit iniuste; qui eam sumit, ut sibi retineat, committit iniustitiam. Prout aliquis librum amici aufert aut animo furandi aut animo iocandi, agit vel non agit iniuste; quapropter si librum postea casu amitteret, pro ratione intentionis teneretur vel non teneretur ad restitutionem.

Quaestio secunda.

De iniusta rei ablatione.

413. Declarationes. 1. Res aliena duplici modo auferri potest, aut occulte et absque vi domino illata aut aperte et per vim domino illatam; si primum, committitur *furtum*, si alterum, *rapina*.

Duo ergo ad rapinam requiruntur: *a.* ut res praesente domino, *b.* ut cum violentia ei illata auferatur, quae etiam quovis metu iniuste incusso adhiberi censetur, ut cum aliquis alteri mortem vel grave malum minatur et sic ad rem tradendam cogit. Unde non committit rapinam fur, qui fores effringit, sed non advertente domino rem aufert, nec qui rem aufert praesente quidem domino, sed absque vi eidem illata.

2. Furtum et rapina sunt *peccata specifice distincta: furtum* est contra iustitiam commutativam per iniuriam realem circa bona fortunae; *rapina* est contra iustitiam commutativam per iniuriam circa bona fortunae et per iniuriam personalem adversus dominum.

Articulus primus.

De natura furti.

414. Notio et malitia. 1. *Furtum* definitur occulta ablatio rei alienae domino rationabiliter invito.

a. Ablatio intelligitur facta cum animo rem sibi retinendi et lucrum percipiendi; ideo is, qui rem alienam sumit, ut illam destruat, non dicitur fur. *Occulta*, ut furtum distinguatur a rapina.

b. Invito: ad furtum committendum requiritur, ut dominus sit invitus, et quidem *quoad substantiam* seu quoad ipsam ablationem, non solum *quoad modum* auferendi, quod nempe res clam ignorante domino auferatur. Qui aliquid aufert domino solum quoad modum invito, venialiter peccat, quia in modo sumendi egit contra voluntatem domini, at furtum non committit.

c. Rationabiliter invito: rationabiliter invitus est de rei ablatione, qui non tenetur rem suam relinquere; qui vero re sua cedere tenetur, de eius ablatione irrationabiliter invitus est. Sed tum solum irrationabiliter invitus est, si ex iustitia vel ex pietate, non autem si ex mera caritate eam dare vel relinquere tenetur. Hinc non committit furtum, qui in extrema necessitate vel ad se compensandum rem aufert, nec filius, qui de bonis parentum clam sumit, quod sibi ad honestam sustentationem necessarium est; furtum autem committit pauper, qui in gravi necessitate bona divitis aufert[1]). — Item qui re sua (e. g. pravo libro) abutitur ad peccandum, rationabiliter invitus est, si liber ipsi auferatur, ne committat peccatum, quia libro nec ex iustitia nec ex pietate se privare tenetur.

2. Furtum est peccatum *ex genere suo grave: a.* Furto enim laeditur iustitia commutativa, quae per se sub gravi obligat. *b.* Ab apostolo furtum inter peccata recensetur, quae a regno Dei excludunt: *neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt*[2]). Ex *parvitate materiae* furtum posse fieri leve peccatum, eo facilius concedendum erit, quia hic agitur de materia divisibili, quae adeo imminui potest, ut gravis culpae non sit amplius capax.

415. Materia gravis furti (et damnificationis) determinanda est tum *relative* tum *absolute.*

Materia *absolute gravis* desumitur ex solo valore rei ablatae nulla ratione habita condicionis personae, cui aufertur, ideoque semper et respectu omnium gravis censetur; *relative gravis* ex valore rei et ex condicione domini derivatur, ideoque respectu quorundam gravis, respectu aliorum autem levis est. Quare materia absolute gravis ea dicitur, quae ablata (hoc loco et tempore) grave damnum infert, non semper quidem ei, cui aufertur, sed saltem societati; relative gravis ea dicitur, quae ei, cui aufertur, grave damnum infert.

1. Determinanda est *materia relative gravis:* nam gravitas furti pendet ex gravitate damni, quod proximo in-

[1]) Cf. *Vermeersch* n. 150 ss. *Ballerini-Palmieri* III. n. 274 ss.
[2]) 1. Cor. 6, 10.

fertur; atqui damnum diversae est gravitatis, prout diversa est condicio personae, quae damnum patitur: quod enim uni leve est, alteri grave esse potest. Insuper si condicionis domini nulla ratio haberetur, et eadem materia gravis pro omnibus statueretur, hoc maximum inconveniens sequeretur, quod florenus diviti ablatus grave peccatum, aut decem floreni pauperi ablati leve peccatum esset, prout nempe ad grave peccatum constituendum magna aut parva materia assignatur.

Relative gravis censetur materia, quae ei, cui aufertur, pro condicione sua in die sufficiat ad sui suorumque convenientem sustentationem: cum enim bona externa homini concessa sint ad vitae sustentationem, et diurna sustentatione fraudari magnum sit nocumentum, quantitas diurnam sustentationem (victum, vestitum, habitationem) adaequans merito gravis censetur.

Ad hanc regulam pro praxi accuratius determinandam ex communi fere recentiorum theologorum consensu, ratione habita valoris, quem nunc in plerisque Europae provinciis pecunia habet, ita statui posse videtur, ut materia gravis sit:

a. relate ad *pauperes* mendicantes c. $^1/_2$ fl. = 1 marc. = 1 libr. = 1 corona vel etiam minus pro maiore paupertate,

b. relate ad *operarios,* qui diurno labore victum sibi comparant c. 1 fl. = 2 marc. = 2 libr. = 2 coron.,

c. relate ad *opifices,* artifices, mercatores, qui in propria officina laborant c. 3. fl. = 6 marc. = 6 libr. = 6 coron.,

d. relate ad *mediocriter divites* c. 5. fl. = 10 marc. = 10 libr. = 10 coron.,

e. relate ad *vere divites* c. 10 fl. = 20 marc. = 20 libr. = 20. coron.,

f. relate ad *ditissimos* seu extraordinarie divites c. 50 fl. = 100 marc. = 100 libr. = 100 coron. et amplius, sed ubi de his agitur, attendendum est ad materiam absolutam.

Nota 1. Hae quantitates non mathematice, sed moraliter sunt accipiendae; insuper attendendum est ad locorum adiuncta; non enim ubique eadem est opulentia incolarum nec idem ubique valor pecuniae. 2. Quando ignoratur, cui damnum illatum sit, iuxta communem doctorum sententiam mediocriter diviti illatum praesumitur, quia hoc frequentius contingere solet.

416. 2. Determinanda est etiam *materia absolute gravis*, quia non determinatâ materiâ absolute gravi magnum damnum immineret bono communi: cum enim homines hinc quidem levia peccata non adeo diligenter cavere soleant, inde vero plerique velint divites fieri, nisi certa materia semper sub gravi peccato prohibita esset, furta cum magno damno et perturbatione pacis et securitatis frequentissima fierent.

Materia absolute gravis, quae talis sit relate ad ditissimum quemque et vel ad ipsum fiscum, sunt c. 15 fl. = 30 marc. = 30 libr. = 30 coron.: nam propter ablationem huius summae etiam ditissimus est graviter invitus, etsi non propter damnum, quod ipse patitur, certe propter damnum, quod pateretur societas, si talis materia non esset sub gravi prohibita.

Ad determinandam materiae gravitatem relate ad *res sacras* distinguendum est: si res sacra pretio aestimabilis est ut calix, gravitas materiae dimetienda est sicut in re profana; si autem pretio aestimabilis non est ut reliquiae sacrae, consideranda est eius dignitas et raritas. Ideo mortale esset furari minimam particulam s. Crucis, at mortale non esset extra territorium Urbis minimum quid auferre de corpore alicuius sancti[1]).

Articulus secundus.

De causis furtum imminuentibus.

Regulae circa gravitatem materiae in furto supra expositae in concreto varias modificationes admittunt: variae enim causae efficere possunt, ut dominus de ablatione rei suae minus sit invitus; eaedem ergo causae etiam efficere possunt, ut maior quantitas ad constituendum grave peccatum requiratur. Iam vero ut dominus minus sit invitus,

[1]) *Reuter,* Theologia moralis III. n. 438. *Extra territorium Urbis:* ex constitutione enim *Apost. sedis.* (II. 15) censuram incurrunt *Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae eiusque territorii* (nulla habita ratione quantitatis materiae).

accidere potest: *a.* ratione *personarum,* quae furantur; *b.* ratione *rerum,* quae auferuntur; *c.* ratione *modi auferendi;* ideo ex ordine agendum est: de furtis domesticis, de furto rerum expositarum, de furtis minutis rerum sive ad unum sive ad plures pertinentium.

417. De furtis domesticis. Personae, erga quas paterfamilias, si quid domi auferant, censetur esse minus invitus, sunt *filiifamilias, uxores* et *famuli.*

1. *Quoad furta filiorum* ad grave peccatum constituendum ordinarie quantitas *duplo maior* requiritur quam in furtis extraneorum; *uxores* autem generatim adhuc liberalius diiudicari possunt, praesertim si res ablatas in usus familiae vel propinquorum expendant.

a. Attendendum tamen est, utrum pater sit dives, liberalis, amicus, an vero pauper, avarus, parum amans; utrum domestici furentur ad proprios usus, an ad dandum aliis; utrum furentur pecuniam vel alia pretiosa, an vero alias res; utrum sit unus, an plures filii.

b. Non raro paterfamilias, etsi cognito furto valde invitus videatur et vehementer succenseat, non tam de re ablata invitus est, quam *de modo,* quod scilicet clam surripiatur, aut *de fine,* quod lusu et potatione consumatur. Ideo frequenter filii rem domi sumentes non peccant nisi venialiter.

c. Quoad *obligationem restitutionis,* quae filiis (uxoribus) iniungenda sit, haec notentur: α. Si res ab ipsis ablatae primo usu consumptibiles iam consumptae sunt, vix unquam restitutio imponenda est. β. Si res ablatae (e. g. pecunia) adhuc exstant, restitui debent. γ. Si res in maiore quantitate ablatae non amplius exstant, sedulo hortandi sunt, ut rem domesticam diligentius curantes damnum aliquo modo reparent; ceterum condonatio patris plerumque praesumi poterit, nisi res ablatae valde notabiles et in usus alienos expensae sint. Vix unquam tamen expedit suadere et multo minus praecipere, ut sive uxores sive filii debiti condonationem petant.

2. *Quoad furta famulorum. a.* Si famuli furentur pecuniam vel alias res, quae sedulo custodiri solent ut pretiosa, vestes etc., ad grave peccatum non requiritur maior quantitas, quia domini non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios, et iure quidem propter continuum periculum, quod ipsis ex famulorum infidelitate imminet.

b. Si furta famulorum fiant in rebus, quas ipsi administrant vel quae non solent caute custodiri ut esculenta et potulenta, ordinarie famuli non deveniunt ad grave peccatum, dummodo res ablatae a famulis ipsis consumantur, non vendantur neque in extraordinaria quantitate auferantur: in his enim rebus domini minus inviti esse solent. Ceterum in taxanda gravitate culpae etiam attendendum est, utrum dominus sit liberalis an tenax, et utrum persona inserviens sit invisa an cara, utilis et diligens an exiguae industriae[1]).

418. De furto rerum expositarum. Res, in quarum ablatione maior quantitas ad peccatum grave constituendum requiritur, illae sunt, quae sponte absque ullo fere hominum labore crescunt, praesertim si expositae sunt ut *fructus* (uvae, poma) iuxta vias et *ligna* in silvis.

1. Quoad *fructus* ex aliena vinea vel alieno pomario decerptos valde benigni et indulgentes sunt antiqui auctores. Dicunt enim viatores, qui unum vel alterum pomum vel uvarum racemum decerpunt ad exstinguendam sitim vel ad refocillandas vires, non peccare. Immo universim permittunt uvas et poma usque ad satietatem comedere, dummodo non sint rara et magni pretii et nihil asportetur[2]).

Verum hodie ob rerum adiuncta prorsus immutata, quae efficiunt, ut plerique fructus pluris aestimentur et sedulo custodiantur, haec doctrina restringenda videtur ad illos fructus, qui non multum aestimantur.

a. Haec tamen concedi posse videntur: non esse peccatum unum alterumve pomum vel uvae racemum hinc inde decerpere; operarios ex praesumpto domini consensu non peccare, si comedant de fructibus, ad quos colligendos conducti sunt; eum, qui saepius eam fructuum quantitatem aufert, quam ipse comedere potest, leviter tantum peccare, nisi fructus sint magni pretii.

b. Graviter vero reprehendenda sunt harum rerum furta, ubi dominis graviora damna inde causantur, eo quod non solum agri con-

[1]) *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 12. n. 48.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 529.

culcantur, sed domini fructus immaturos colligere coguntur, ne omnes asportentur.

2. *Fructus silvestres* (fungi, fraga, myrtilli [Heidelbeeren] etc.) per se quidem pertinent ad dominum; sed hic praesumitur licentiam concedere, ut a transeuntibus et pauperibus colligantur et etiam vendantur. Quodsi utens iure suo eorum collectionem prohibeat, colligentes contra iustitiam peccant. Attamen in silvis gubernii vel propriae communitatis prohibitio colligendi eiusmodi fructus mere poenalis censetur, nisi manifesta ratio (e. g. praecavendi damna in succrescenti silva) aliud dictet.

3. Quoad *ligna*, quae caeduntur in silvis, haec notentur:

a. Si ligna caeduntur in silvis, quae ad dominium privatum vel ad communitatem alienam pertinent, contra iustitiam peccatur, nisi agatur de sarmentis et de lignorum fragmentis aridis: etenim dominus quoad haec non censetur invitus.

b. Si ligna caeduntur in silva, quae ad propriam communitatem pertinet, non committitur peccatum, si a pauperibus ea solum auferantur, quae ad usum domesticum requiruntur, nec magna strages fiat: lex enim prohibens caesionem lignorum censetur esse poenalis, quae solum ad solvendam poenam post sententiam iudicis obligat[1]).

419. De furtis minutis. Tertia causa, ob quam ad grave peccatum constituendum maior quantitas requiritur, est modus furandi scilicet per furta in materia levi, quae dici solent furta minuta. Quaeritur ergo, *quando furta in materia levi fiant peccatum grave* et *quaenam quantitas ad gravem materiam constituendam* requiratur.

Generatim furtum materiae levis fit grave peccatum, quando materia in singulis furtis ablata coalescit in materiam gravem. Atqui triplici modo id fieri potest: *a. intentione* perveniendi ad materiam gravem; *b. conspiratione; c. sola multiplicatione.*

[1]) *S. Alphonsus* n. 529.

420. *Per intentionem.* 1. Intentio perveniendi ad gravem materiam efficit, ut singula furta coalescant posito inter singula etiam longiore intervallo, sive adversus eundem sive adversus varios dominos furta committuntur.

Intentio haec, qua singula furta committuntur, duo efficit: imprimis ut singulorum materia coalescat in unum, etsi inter singula longius intervallum intercedat; deinde vero ut etiam furta in materia levi sint grave peccatum: quod enim fit ex intentione graviter mala, grave peccatum est. Habemus in hoc casu peccatum quoad actum externum quidem leve, sed propter affectum internum grave. Peccatum, etiam quatenus externum est, fit grave, quando grave damnum completur.

2. Ad constituendam *materiam gravem* non requiritur maior quantitas, quam in furtis, quae simul et semel fiunt, si relate ad eundem dominum committuntur; quodsi furta diversis dominis fiunt, quantitas absoluta requiritur.

Ergo singulis vicibus grave peccatum committit: *a.* mercator, qui mensuras et pondera singulis vicibus modice falsificando notabile lucrum colligere intendit vel praevidet, se hoc modo ad magnum lucrum perventurum esse; *b.* caupo, qui pluries modicum aquae vino admiscendo vult dives fieri: *statera dolosa abominatio est apud Dominum*[1]*); c.* qui habens intentionem nocendi proximo in re gravi, singulis vicibus leve damnum infert. Quia tamen omnia haec peccata ex eadem intentione ditescendi (nocendi) virtualiter perdurante procedunt, moraliter unum peccatum constituunt[2]).

421. *Per conspirationem.* 1. Si plures communi consilio et consensu simul vel successive adversus eundem vel adversus varios dominos parva furta committunt, eorum materia in unum coalescit, quia singuli conspirantes integram ablationem intendunt. Quando ergo parva furta simul sumpta gravem materiam constituunt, singuli conspirantes mortaliter peccant: conspiratio enim efficit, ut singuli velint totum damnum et ad totum cooperentur.

2. Si furta minuta fiunt eidem domino, ad constituendum grave peccatum non requiritur maior quantitas; quodsi diversis dominis fiunt, quantitas absoluta requiritur[3]).

[1]) Prov. 11, 1.

[2]) Cf. *De principiis*[8] n. 308.

[3]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 311.

a. Si singuli *independenter* ab invicem agunt, etsi cognoscant damnum ab aliis illatum, non peccant graviter, quia nullus eorum grave damnum infert neque intendit damnum ab aliis illatum neque ad illud cooperatur.

b. Si plures *alterius exemplo* excitati levia furta committunt, quae simul grave damnum inferunt, ille graviter peccat, cuius exemplum alios ad damnum inferendum provocavit, non quidem contra iustitiam, sed contra caritatem, modo damnum inferendum praeviderit.

422. *Per multiplicationem.* Qui per furta minuta sive adversus eundem sive adversus varios dominos commissa ad materiam gravem pervenit, graviter peccat, modo ablata retineat, inter singula furta non intersit magnum intervallum et res ablata sit alicuius pretii: in hoc enim casu singula furta coalescunt.

1. Ut furta minuta, quae successive fiunt, in gravem materiam *coalescant, duplex condicio requiritur: a.* Ut fur ablata retineat.

Si priora furta restituit, furtula subsequentia cum praecedentibus non uniuntur; si autem solam intentionem restituendi habuit, haec non impedit, quominus furta coalescant: per novum furtum enim intentio revocari censetur.

b. Ut inter singula furta non intercedat magnum intervallum.

Si notabile spatium inter singula intercedit, res ablatae non amplius uniri censentur. Hoc intervallum ex sensu communi considerata quantitate rei ablatae determinandum est. Si res ablata materiam gravem fere attingit, intervallum duorum mensium efficit, ut non amplius coalescat; si res ablata a gravi materia multum distat, intervallum unius mensis idem efficit; si tandem res ablata valde exigua est, aut nullatenus coalescit, aut certe intervallum unius hebdomadae impedit, quominus coalescat[1]).

α. In hoc casu coalescentiae illud furtum, quo scienter gravis materia completur, est grave peccatum; singula autem furta praecedentia sunt venialia. β. Furta minuta, quae deinceps post completam materiam gravem fiunt, sunt peccata gravia, si modo perduret voluntas retinendi ablata et fiant cum advertentia ad grave damnum illatum, quia cum prioribus ad gravia furta coalescunt et prius peccatum grave continuant, sed unum numero peccatum cum priore constituunt[2]). γ. Qui non advertit per leve furtum materiam gravem com-

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 312.

[2]) *Lugo* disp. 16. n. 43 s.

pleri, furando quidem non committit peccatum grave; sed ubi postea ad materiam gravem advertens non proponit rei ablatae restitutionem, graviter peccat ob malam voluntatem retinendi rem alienam in magna quantitate.

2. Ad grave peccatum constituendum in his furtis minutis, quae successive fiunt, *quantitas maior requiritur,* et quidem, si furta fiant eidem domino, requiritur materia, quae dimidio maior sit: dominus enim ordinarie non adeo grave damnum patitur, si res per intervalla aufertur; quodsi furta diversis dominis fiant, requiritur quantitas absoluta.

α. Ergo *sartores* graviter peccant, quando materiam gravem attingunt retinentes panni fragmenta, quae supersunt et dominis adhuc utilia sunt, nisi aut alicubi vigeat haec consuetudo et ideo pro labore minus solvatur, aut constet divites nolle fragmenta sibi restitui, aut haec sint minoris momenti, quae a dominis non curantur. Simile quid dicendum de *molitoribus,* qui modicam partem frumenti vel farinae sibi retinent.

β. *Famuli vel famulae* praesertim in familiis divitum, qui continuo aliqua modica auferunt vel consumunt et nunquam restituunt, non facile de gravi peccato arguendi neque ad restitutionem faciendam obligandi sunt, tum quia in hoc casu ex duplici ratione maior quantitas ad grave peccatum constituendum requiritur, tum quia ad grave damnum non advertunt, tum quia domini non sunt graviter inviti nec restitutionem exigunt, tum denique quia ordinarie res consumptae eiusmodi sunt, quae in gravem materiam non coalescant.

Nota. Consuetudinarii in furtis interrogandi sunt de numero et quantitate furtorum et, ubi agitur de furtis minutis, de intervallo inter singula interposito, ut de coalescentia materiae iudicari possit. Quia tamen haec ordinarie indicare nesciunt, cum quavis occasione furentur, sufficit, ut in genere indicent furtorum frequentiam, rerum ablatarum qualitatem et tempus ab ultima confessione elapsum, ex quibus confessarius iudicium sibi efformabit de statu animae sui poenitentis. Dein vero de suis obligationibus eum monebit: restituendi, laborandi et a furtis in posterum abstinendi.

423. De furtis rerum ad plures pertinentium.

a. Qui in gravi materia aufert rem ad plures pertinentem, *graviter peccat:* etsi enim singulis non inferatur grave damnum, singuli tamen graviter inviti sunt, quia multiplicatis furtis grave damnum pateretur securitas com-

mercii humani, nisi eiusmodi furta sub gravi prohibita essent.

b. Ad grave peccatum constituendum in furtis rerum ad plures pertinentium, sive hi plures personam moralem constituunt (ut societas commercialis, industrialis, assecurationis, communitas religiosa), sive personam moralem non constituunt, requiritur *materia absolute gravis,* quia nec singulis nec particulari communitati grave damnum infertur, nisi parva sit communitas vel pauci associati.

Articulus tertius.

De causis a furto excusantibus.

Duplex est causa, quae a furto omnino excusat et ablationem rei alienae reddit licitam; extrema *necessitas* et occulta *compensatio.*

§ 1. Extrema necessitas.

424. Ius indigentis. Extrema necessitas in ordine temporali dicitur, qua vita periclitatur.

1. Qui *in extrema necessitate* constitutus est, de bonis alienis tantum usurpare potest et per se debet, quantum satis est ad se liberandum a tali necessitate, nisi alter sit in eadem necessitate. Ratio *primi* est, quia in extrema necessitate omnia bona sunt communia (n. 368). Ratio *secundi* est, quia unusquisque tenetur vitam suam servare, si moraliter potest. Ratio *tertii* est, quia ius auferendi rem alienam tribuit extrema necessitas, qua cessante cessat etiam illud ius. Ratio *quarti* est, quia in pari causa melior est condicio possidentis, ideo non licet eum privare re sua, cui res aeque est necessaria.

a. Nihil refert, utrum aliquis in extrema necessitate sit ex causis naturalibus an ex hominum malitia, ut si latrones alicui minentur mortem vel perpetuam captivitatem, nisi magnam pecuniae summam tradat.

b. In incendio non licet arripere scalam alterius ad se salvandum, si ipse sine ea periculum vitae evadere non potest. In naufragio non licet ad se salvandum arripere tabulam ab alio iam arreptam, qua ipse, ut evadere possit, indiget.

c. Quod licet in extrema, id licet etiam in *quasi-extrema necessitate,* quae communiter extremae aequiparatur, ut si quis est in morali periculo incidendi in morbum lethalem, amittendi libertatem etc.

d. Res aliena sumi potest etiam ad sublevandam necessitatem extremam proximi: quod enim quis facere potest per se, id etiam per alium facere licet.

e. Etsi res, quae extreme indigenti necessaria est, *magni valoris* (magna pecuniae summa) sit, potest nihilominus eam sibi sumere: cum enim in extrema necessitate omnia sint communia, ius habet usurpandi, quidquid hic et nunc ad vitae conservationem necessarium est, etsi magni valoris sit. Neque ideo cessat ius pauperis, quia dives rem magni pretii ei ultro offerre non tenetur: iuri enim indigentis sumendi rem necessariam non respondet divitis obligatio eam dandi, quia ex alio fonte derivatur obligatio subveniendi, et ex alio facultas sumendi de bonis creatis ea, quae ad vitae conservationem necessaria sunt: illa nempe ex caritate oritur, haec ex iure conservandi vitam de bonis creatis, cui pauperis iuri respondet in divite obligatio non impediendi, quominus necessaria usurpet[1]). Nihilominus *Lugo* indigentis facultatem ad illud solum sumendum restringere videtur, quod pertinet ad media ordinaria conservandae vitae: sicut enim obligationem non habeat conservandi vitam mediis extraordinariis, ita neque ius habere ea invito domino sumendi. — Verum etsi obligationem non habeat, facultatem tamen et licentiam habet conservandae vitae ex bonis creatis, ex qua sequitur potestas sumendi ea, quae necessaria sunt.

2. In *gravi vel communi necessitate non licet* rem alienam auferre, quia in gravi necessitate ordinarie agitur de bonis, quae natura noluit omnibus esse communia; sed ad eiusmodi bona conservanda natura noluit media esse communia[2]). Si tamen in necessitate gravi vel communi agitur de conservandis bonis, quae natura omnibus voluit esse communia, licet pauperi sumere de bonis alterius, si ea petendo accipere non potest, quantum communiter ad ea conservanda adhiberi solet.

---

[1]) *Lugo* disp. 16. n. 159.

[2]) Propositio 36. ab *Innocentio XI.* damnata ita habet: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Cf. *Lugo* disp. 16. n. 160. *Ballerini-Palmieri* III. n. 283.

Pauper in eiusmodi necessitate constitutus imprimis rem, qua indiget, petere debet, quia dominus rationabiliter invitus est, si ea se inscio auferatur. Quodsi dominus eam dare nollet vel si pauper absque incommodo petere non posset, licite rem non magni valoris sibi sumit, maioris quidem, si necessitas gravis, minoris, si ea levis sit[1]). Ceterum in eiusmodi casibus aderit necessitas saltem quasi-extrema.

425. Obligatio indigentis et domini. *a.* Rem, qua indiget pauper, si fieri potest, *petere* debet, nisi iusta causa a petendo excuset; quod si tamen rem aufert, quin petat, graviter non peccat; cum enim extreme indigens in rem ipsam ius habeat, dominus solum quoad modum sumendi potest esse invitus[2]).

b. Si res ablata cessante necessitate adhuc exstat, domino restituenda est: etenim ad usum rei tantum, si is solus necessarius erat, extreme indigens ius habet, res ipsa manet domini. Quodsi res ablata non amplius exstat, distinguendum est. Si extreme indigens re quidem pauper est, at probabilem spem habet postea aliquid accipiendi, rem alienam solum cum onere restitutionis usurpare potest: non plus enim sumere ei licet, quam ad servandam vitam necessarium est. Quodsi re et spe pauper est, ad nihil tenetur, etsi postea ad meliorem condicionem devenerit: qui enim in extrema necessitate rem alienam aufert, eam facit suam; qui autem rem suam consumit, non tenetur restituere.

c. Dominus α. *ex caritate,* non ex iustitia, tenetur extreme indigenti rem suam dare. Ideo qui extreme indigenti succurrere negligit vel res suas occultat, non tenetur ad restitutionem, ubi necessitas cessaverit. β. *Ex iustitia* tenetur pauperem non impedire a re occupanda et occupatam non auferre.

§ 2. Occulta compensatio.

426. Quid sit, num licita sit. *a.* Occulta compensatio est actus, quo quis ex bonis debitoris clam aufert, quod sibi debetur.

---

[1]) *Lugo* disp. 16. n. 156.

[2]) Cf. *Lessius* l. 2. c. 12. n. 66.

b. Occulta compensatio per se illicita est; si tamen debitae adsint condiciones, licita fit. Ratio *primi* est, quia bonum commune exigit, ut ad praecavendas inordinationes, quae ex occulta compensatione facile oriuntur, creditor petitione tum privata tum publica per iudicem rei suae possessionem recuperare studeat. Ad *secundum:* quoad *rem* ea licita est, quia occulte se compensans non sumit rem alienam, sed suam; et si adsint condiciones requisitae, etiam quoad *modum* licita evadit; ideo debitor, etsi invitus sit, rationabiliter tamen invitus esse nequit.

Occulta compensatio in praxi raro suadenda est, praesertim quia imminet periculum abusus et hallucinationis; confessarius tamen sciat post factum se poenitentem ad restitutionem obligare non posse, si adfuerint debitae condiciones.

427. Requisitae condiciones sunt quatuor:

a. Ut debitum sit verum, fundatum in stricto iure, quod creditor actu habet in rem sibi usurpandam.

Si dominus famulo promisit se ei ex gratitudine pro servitio fideliter praestito certam pecuniae summam dono daturum vel testamento relicturum esse, dominus autem donum non fecerit vel intestatus obierit, nequit famulus promissam pecuniam clam accipere, quia ius strictum in illam non habet.

b. Ut debitum sit certum, tum quia in dubio melior est condicio possidentis, tum quia unusquisque ius habet retinendi rem possessam, nisi constet eam esse alienam, tum denique quia secus propter hallucinationis periculum multi privarentur re sua[1]).

Cum sententia, quae tenet restitutionem faciendam esse etiam in bonis alterius generis, solum sit probabilis, non licet ei, qui in alio genere bonorum e. g. in fama laesus est, in bonis fortunae se compensare, si diffamator famam ablatam non restituat.

c. Ut debitum alia via obtineri non possit: etenim bonum commune exigit, ut creditor imprimis via ordinaria rem suam recuperare studeat, et solum si eam sine difficultate (rixis, inimicitiis, expensis etc.) petere non potest vel si petitio praevidetur inutilis (propter defectum pro-

[1]) Cf. *Lugo,* De iustitia disp. 16. n. 94 s. *Vermeersch* l. c. n. 333.

bationis vel malitiam iudicis aut debitoris), licet occulte se compensare.

Ceterum nota: α. defectus huius condicionis compensationem reddit quidem illicitam, cum sit contra iustitiam legalem, sed non iniustam, proinde neque involvit onus restituendi; β. iste defectus, etiam ubi facile evitari potest, veniale peccatum non excedit.

d. Ut damnum debitoris vel tertii praecaveatur. Duplex esse potest hoc damnum debitoris: quod nempe maneat in conscientia erronea debiti adhuc solvendi, et quod debitum bis solvat; utrumque autem praecaveri potest, si opus fuerit, ficta condonatione.

Damnum tertii accidere potest, eo quod alii (famuli, domestici) in suspicionem furti venire possunt cum periculo infamiae vel poenae.

Patet eum, qui se compensat, ad haec damna praecavenda ex caritate tantum teneri, quia se compensans utitur iure suo; ideo si ratio sufficiens adest damnum aliorum permittendi, licite agit, etsi alii damnum patiantur.

428. De occulta compensatione famulorum (idem valet de operario, artifice, officiali) universim dicendum est, famulis id licere, quod aliis licet; possunt nempe, ubi debitae condiciones non desint, se compensare pro opera, quam salario accepto recte maiorem iudicant; in particulari autem haec notanda sunt:

1. Si dominus non solvit salarium, de quo cum famulo pactus est, vel si iniuste de stipendio aliquid subtrahit, famulus se compensare potest; ultra salarium autem, de quo conventum est, modo saltem infimum sit, non licet se compensare: nam ultra pactum iustum, in quod ipse consensit, nil ei debetur.

Dominus, qui de salario subtrahit, quia famulus inadvertenter vasa frangit vel instrumenta corrumpit, iniuste agit, nisi de hac re pactum intercesserit. Si tamen famulus saepius ex inadvertentia damnum infert, dominus licite moderatam mulctam ei imponere et sic de salario aliquid detrahere posset.

2. Si conventum est de salario infra infimum, famulo non licet se compensare, si libere in hoc salarium consensit vel si defectus salarii aliis emolumentis compensa-

tur e. g. mensa lautiore, occasione strenas accipiendi, vestibus in donum datis etc.: nam ad nihil aliud ius habet; licite autem se compensat: *a.* si vi aut metu compulsus in stipendium iusto minus consensit; *b.* si necessitate compulsus de salario iusto minore convenit; excipe, si dominus famulum rogantem ex sola misericordia excepisset; *c.* si invitus operibus indebitis gravatur.

3. Si famulus auget labores debitos atque id facit propria voluntate, non potest se compensare; potest autem, si id facit ex voluntate domini sive expressa sive tacita. Ceterum si famulus non ad determinatos labores, sed simpliciter ad labores domesticos suscipitur, ita ut omnem suam operam in servitio domini impendere debeat, labor nequit dici indebitus, nisi talis sit, qui nullatenus praevideri potuit ut labor nocturnus vel periculosus.

a. Idem fere dicendum est ad quaestionem, num *filiisfamilias* liceat se occulte compensare, si pro labore suo iustum stipendium non acceperint. Condiciones tamen ad occultam compensationem requisitae rarius in hoc casu aderunt. Quare confessariis ante factum potius in severiorem partem inclinandum est, post factum autem filii non facile ad restitutionem adigendi sunt: etsi enim iustitia laesa fuerit, saepius praesumi potest condonatio.

b. Quae de famulis dicta sunt, ad *mercatores* quoque transferre licet: non possunt se compensare minuendo pondus vel mensuram, si ipsi *libere* merces certo pretio vendiderunt, quod postea vilius iudicant; possunt autem occulte se compensare: α. si *iniuste coacti* sunt infra iustum pretium vendere; β. si *per errorem* infra iustum pretium vendiderunt; γ. si solutionem *certi debiti* absque gravi incommodo sibi procurare non possunt.

c. Propositio 37. ab *Innocentio XI.* damnata[1]) non quamcunque compensationem famulorum prohibet: propositio enim damnata fuit, quia nimis vaga et indeterminata est. Et sane ex illa propositione sequeretur famulos etiam tum se compensare posse, quando in pactum de minore salario libere consenserunt vel quando probabiliter tantum iudicant sibi plus deberi.

[1]) *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.*

Quaestio tertia.

De iniusta damnificatione.

429. Declarationes. 1. *Iniusta damnificatio* (active) est actio, qua quis alteri in bonis externis damnum infert, nullum inde emolumentum capiens.

Damnum proximi *duplici modo* inferri potest, vel eo quod res proximi (actione vel omissione actionis debitae) destruitur, vel eo quod proximus a consecutione boni, quod ei debitum est, impeditur.

2. Damnificatio est peccatum *ex genere suo grave.* Gravis vel levis est, prout damnum, quod proximo infertur, grave vel leve est.

430. De eo, qui alium a consequendo bono impedit. 1. Qui alium impedit a consequendo bono, ad quod *strictum ius* habet (sive ius est in re sive ad rem), contra iustitiam agit et ad restitutionem tenetur, sive directe sive indirecte, sive mediis iustis sive iniustis eum impedit, quia est causa efficax, cur alius non obtineat, quod ei stricto iure debetur.

Qui patrem, etiam mediis non iniustis, e. g. precibus, inducit, ut filium parte hereditatis legitima privet, ad quam filius ex lege positiva strictum ius habet, iustitiam laedit et filio bonum, quo privatur, restituere debet.

2. Qui alium impedit a consecutione boni, ad quod strictum ius non habet, sed id facit *mediis iniustis,* pariter contra iustitiam peccat et ad restitutionem tenetur, non item si id facit *mediis iustis* e. g. precibus, suasionibus, quamvis id faciat ex odio. Ratio *primi* est, quia unusquisque ius habet, ne mediis iniustis impediatur a consequendo bono, quo non est indignus. Ubi notandum est non solum fraudes, mendacia et criminationes, sed etiam importunas preces et blanditias molestas, quibus alterius libertas impeditur, esse media iniusta. Ratio *secundi* est,

quia unusquisque potest uti iure, quod habet, alium in sui vel aliorum utilitatem rogandi vel persuadendi.

a. Pauper, qui detractionibus vel calumnis efficit, ut alius pauper eleemosynis privetur; famulus, qui alium famulum diffamando efficit, ut hic servitium, quod merito sperat, non consequatur; tabernarius, qui calumniis in alium tabernarium sparsis causa est, ut hospites ab eo avertantur, contra iustitiam peccat et ad restitutionem tenetur. Quoad obligationem restitutionis nihil refert, utrum iniuria irrogetur ei, qui a consecutione boni impeditur, an ei, qui bonum daturus est. Ideo ad restitutionem erga pauperem etiam ille tenetur, qui divitem metu iniuste incusso impedit, ne determinato pauperi det eleemosynam, quam ei daturus erat.

b. Qui testatorem precibus inducit, ne hereditatem relinquat Caio, qui ad illam ius non habet, sed Sempronio; vel qui episcopum, iam determinatum ad conferendum beneficium digniori, suasionibus ex odio inducit ad illud conferendum minus digno, non agit contra iustitiam, si digniori strictum ius ad beneficium non competit.

3. Qui alium impedit a consecutione boni, quo est *indignus,* non peccat contra iustitiam neque ad restitutionem tenetur, etsi mediis iniustis utatur, quia indignus nullum ius habet ad bonum, quod ambit e. g. ad officium vel beneficium, neque ius habet exigendi, ne quibuscunque mediis impediatur a consecutione illius boni.

Qui ergo calumnia efficit, ut alius non obtineat iniustum legatum vel officium, quo non est dignus, peccat quidem contra iustitiam per calumniam in proximum et laesionem famae reparare tenetur; at non peccat, eo quod illum a consecutione boni impedit. Mulier, quae maritum fraudibus a prodiga donatione avertit, donatario nihil reparare tenetur, quia donum nec dari nec accipi potest sine peccato.

Indignus etiam is censetur, qui mediis illicitis utitur ad bonum obtinendum, unde non laeditur iustitia, si mediis pariter illicitis ab obtinendo bono avertitur. Sic ubi Caius magistratus, a quorum suffragio collatio muneris dependet, pecunia corruperat ad obtinendum eorum suffragium, non potest conqueri de iniustitia, si alius per calumniam efficiat, ne Caius obtineat munus.

4. Qui aliquem impedit, ne damnum ab alio avertat, eadem ratione contra iustitiam agit et ad restitutionem tenetur, atque ille, qui alium a bono consequendo iniuste

---

[1]) *Sporer-Bierbaum* II. tract. n. 242 ss.

impedit. Sic qui aliquem vi illata impedit, ne ignem domui proximi appositum exstinguat, erga proximum ad restitutionem tenetur[1]).

Caput tertium.

De reparatione dominii laesi[1]).

Quaestio prima.

De restitutione in genere.

431. Definitio. *Restitutio* est actio, qua reparatur damnum proximo iniuste illatum.

a. Ergo ex iniuria, qua aut nullum aut non iniustum damnum infertur, non oritur obligatio restitutionis, ut si iudex fert sententiam, quam putabat esse iniustam, cum tamen sit iusta, vel si maritus per adulterium uxori irrogat iniuriam. Qui occidit hominem ex interno morbo paulo post certo moriturum, non tenetur damna compensare heredibus, quia nullum damnum intulit.

b. Ergo restitutio differt a *satisfactione:* illa enim est compensatio iniuriae realis, qua redditur res ablata vel destructa; haec est compensatio iniuriae personalis, qua offendens per obsequium exhibitum personam, cui irrogata est iniuria, sibi reconciliare intendit.

432. Obligatio restitutionis. 1. Restitutio *necessaria* est ad salutem *necessitate praecepti* tum naturalis tum divini, non autem necessitate *medii* nisi in voto.

---

[1]) *I. Vogler,* Iuriscultor theologus circa obligationes restitutionis instructus. *P. I. Loenartz,* Die Restitutionspflicht des Besitzers fremden Gutes (Trier. Paulinus-Druckerei. 1885). *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert. 1904). n. 155—172. *Marres,* De iustitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1889) l. 2. *Kutschker,* Die Lehre vom Schadenersatze (Olmütz. Neugebauer. 1851).

a. Praeceptum naturale caritatis docet: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter*[1]*:* sed quando laesi sumus, laesionis reparationem volumus. Insuper idem praeceptum, quod prohibet rem alienam auferre, praecipit etiam ablatam non retinere: qui enim rem ablatam retinet, dominum re sua spoliare pergit.

b. Deus restitutionem rei ablatae expresse iniungit: *Si laeserit quispiam agrum aut vineam . . . pro damni aestimatione restituet*[2]*;* insuper restitutionem tamquam condicionem proponit, ut peccator delictorum suorum veniam obtineat[3]).

c. Restitutio positive nihil confert ad salutem, sed tantum fieri debet, si possibilis sit, ne committatur peccatum neve obex saluti ponatur.

d. Qui obligationem restitutionis contraxit, animo ita dispositus esse debet, ut restituere *velit,* quando poterit, alias affectum ad iniuriam illatam retineret.

Ei ergo, qui ad restitutionem sub gravi tenetur, ad salutem necessaria est saltem voluntas seria et efficax reparandi damnum illatum. Hoc sensu, de seria nempe voluntate, verum est effatum: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*[4]). Quin immo hoc etiam necessarium est, ut *media adhibeat,* quae moraliter potest, ut restitutio fiat possibilis. Tenentur ergo debitores, qui alias restituere nequeunt, non solum superfluos sumptus vitare, sed etiam quotidianos, in quantum pro sua condicione possunt, minuere.

433. 2. Qui restituere non potest *ex bonis eiusdem ordinis,* non tenetur restituere ex bonis diversi ordinis e. g. famam laesam pecunia compensare: iustitia enim commutativa ideo solum restitutionem praecipit, ut aequalitas violata redintegretur; atqui ex bonis diversi ordinis aequalitas revocari nequit; et sane per pecuniam fama ablata non reparatur.

---

[1]) Luc. 6, 31. Matth. 7, 12.
[2]) Exod. 22, 5.
[3]) Cf. Ezech. 33. 13 ss. Tob. 2. 20 ss.
[4]) *S. Augustinus* ep. 152. ad Macedon.

a. Sententia opposita a *s. Alphonso* (n. 627) probabilis habetur; verba autem *s. Thomae*[1]) de consilio non de praecepto intelligenda videntur. Et sane congruum est, ut compensatio in pecunia iniungatur pro damno in bonis altioris ordinis illato.

b. Iudex vel superior *ratione poenae* imponere potest, ut propter iniuriam illatam in uno bono aliquid reddatur ex bonis alterius ordinis e. g. pro vulnere inflicto pecunia, cuius sententiae certe parendum est.

434. De gravitate obligationis restituendi. 1. Obligatio restitutionis *per se gravis* est: eadem enim ratione obligat atque iustitia commutativa, quae exigit, ut unicuique reddatur, quod suum est. Ergo in materia gravi per se sub gravi, in materia levi sub levi restitutio facienda est.

2. In particulari ad determinandam obligationem restitutionis, praesertim ubi agitur de damno alteri illato non solum ad quantitatem damni, sed etiam ad quantitatem culpae, quacum damnum illatum est, attendi debet.

a. Qui *grave damnum* intulit cum *culpa gravi,* damnum sub gravi reparare tenetur.

b. Qui *grave damnum* intulit cum *culpa levi*, quae erat actus perfecte humanus, sub levi ad restitutionem tenetur: ex culpa enim levi oriri nequit obligatio gravis, quia obligatio reparandi iniuriam non potest esse maior quam iniuria, ex qua illa oritur.

Qui ergo rem ablatam non totam, sed ex parte tantum restituit, non peccat graviter, si pars, quam retinet, non attingit materiam gravem.

α. Omnino tenendum est principium, obligationem restitutionis eiusque gravitatem oriri ex formali iniuria, qua damnum illatum est, eiusque gravitate. Ideo damnum grave illatum cum culpa levi, quae erat actus perfectus, non debet reparari sub gravi, nisi damnificator aut rem alienam retineat aut ex ea factus sit ditior. Sic qui furatur principi triginta florenos invincibiliter putans hanc materiam non esse gravem, sub levi tantum eos reddere tenetur, si eos consumpsit, nec inde factus sit ditior.

β. Qui per plures damnificationes sive adversus eandem sive adversus varias personas commissas grave damnum intulit, ad cuius gravitatem nunquam advertit, damnum illatum solum sub levi reparare tenetur. *Non sub gravi,* tum quia damnum sine culpa gravi illatum est, tum quia non retinetur materia gravis, quae sub gravi reddenda esset.

---

[1]) *Summa* II. II. q. 62. a. 2. ad. 1.

γ. Qui tamen per plura furta minuta sive adversus eandem sive adversus varias personas commissa solum venialiter peccavit, quia ad coalescentem materiam gravem nunquam advertit, sub gravi ad restitutionem tenetur, cum primum ad materiae ablatae gravitatem advertit, quia graviter illicitum est rem alienam in materia gravi retinere vel ex re aliena iniuste ditescere.

δ. Sunt auctores, qui ab obligatione restitutionis eximunt eum, qui grave damnum intulit cum culpa levi, ita ut haec sententia externe probabilis dici possit; interna tamen probabilitate plane destituitur, cum eorum argumenta sint nulla.

435. *c.* Qui *grave damnum* intulit cum *culpa ex imperfectione actus levi,* iuxta sententiam practice sequendam ad nihil tenetur; et pari ratione, qui leve damnum intulit cum culpa ex imperfectione actus levi, nullam obligationem restituendi contrahit.

α. Auctores in hac quaestione non consentiunt: alii enim docent eiusmodi damnificatorem *sub gravi* damnum reparare debere: supposita enim culpa theologica quantitas obligationis restituendi a quantitate materiae dependet, quia lex naturae, cuiusmodi est obligatio restituendi, in materia gravi sub gravi obligat. — Verum quantitas obligationis restituendi non pendet simpliciter a quantitate damni, sed etiam a culpa theologica per se sufficiente ad inducendam obligationem; atqui culpa ex imperfectione actus levis non est sufficiens ad inducendam obligationem, id quod probat tertia sententia.

β. Alii docent eum *sub levi* vel totum damnum vel partem quantitati culpae proportionatam reparare debere: obligatio enim reparandi damnum non potest esse maior culpâ, quacum damnum illatum est[1]). Haec sententia vera est, quatenus negat obligationem restituendi gravem; at non demonstrat obligationem esse levem.

γ. Tertia demum sententia docet obligationem restituendi esse *nullam:* vera enim obligatio solum oritur ex actu perfecte humano, qui scilicet cum plena advertentia et pleno consensu exercetur: ex actu vero imperfecte humano, qui scilicet cum advertentia semiplena et semipleno consensu ponitur, nulla oritur obligatio. Ideo votum vel iuramentum cum semiplena deliberatione factum irritum est; item contractus cum semiplena deliberatione initus invalidus. Et quoniam patroni priorum sententiarum huius sententiae saltem probabilitatem non negant, ea in praxi sequenda est[2]).

---

[1]) *Laymann* l. 3. tr. 3. pr. 1. 6. n. 4.

[2]) *Lugo* disp. 8. n. 57 ss. *S. Alphonsus* n. 552.

d. Qui *leve damnum* intulit cum *culpa* (ex parvitate materiae) *levi* vel cum culpa (ex errore) *gravi,* ad reparandum damnum sub levi tenetur, tum quia obligatio restituendi in materia levi urget sub levi, tum quia materia levis non est capax obligationis gravis.

Exsistit ergo obligatio etiam parva damna reparandi; cum tamen haec obligatio non sit gravis, non potest urgeri sub poena denegandae absolutionis; immo frequenter prudentia suadebit, ut ea prorsus dissimuletur.

436. Radices restitutionis. Radix restitutionis vocatur causa, ex qua oritur obligatio restituendi. Duplex distinguitur radix restitutionis: *generalis* et remota, quae consistit in violatione iustitiae commutativae; *specialis* et proxima, quae consistit in diversis modis, quibus iustitia commutativa laeditur. Et quoniam triplici diverso modo haec laedi potest, triplex distingui solet radix restitutionis: *a.* possessio rei alienae sive materialiter sive formaliter iniusta; *b.* iniusta damnificatio; *c.* iniusta cooperatio ad damnum proximo ab alio illatum sive per furtum sive per iniustam damnificationem.

a. Radices restitutionis proprie ad duas reducuntur, ad iniustam rei alienae possessionem, sive res bona fide accepta sive iniuste usurpata est, et ad iniustam damnificationem, qua quis alteri damnum infert, nec ipse quidquam inde lucratur. Iniusta cooperatio ad alterutram illarum revocatur; ad maiorem tamen rerum claritatem de ea seorsum agitur.

b. S. Thomas duas radices restitutionis ita exhibet, ut dicat obligationem restitutionis oriri ex *re accepta,* quando aliquis rem alienam sine formali iniustitia possidet, et ex *iniusta acceptione,* quando aliquis alium iniuste re sua privavit, sive eam sibi accipiendo sive eam destruendo[1]).

---

[1]) *Summa* II. II. q. 62. a. 6.

Quaestio secunda.

De restitutione ob possessionem rei alienae.

Qui rem alienam possidet, illam aut *bona* aut *mala* aut *dubia fide* detinere potest. Porro aliae sunt obligationes possessoris rei alienae, prout bona aut mala aut dubia fide eam detinet.

Articulus primus.

De possessore bonae fidei.

437. *Possessor bonae fidei* dicitur, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam. Obligationes possessoris bonae fidei referuntur: *a.* ad rem ipsam; *b.* ad fructus ex ea perceptos; *c.* ad expensas pro ea factas.

Obligationes ratione rei. *In genere* possessor bonae fidei tantum restituere debet, quantum de re aliena adhuc possidet, sed non tenetur reparare damna, quae passus est dominus, quia absque sua culpa domino obvenerunt. Iamvero ut obligationes possessoris bonae fidei ratione rei *in specie* determinari possint, triplex diversa hypothesis distingui debet: *a.* si rem adhuc possidet; *b.* si res periit; *c.* si alius rem possidet.

438. Si rem alienam adhuc possidet, 1. tenetur eam per se domino, si notus sit, quamprimum restituere, nisi res interim sit praescripta, quia res clamat ad dominum.

a. Si rem non ex integro, sed ex parte tantum possidet, *partem,* quam tenet, restituere debet. Si res interim *deterior* facta est, et quidem sine emolumento possessoris, eam restituere debet in eo statu, in quo nunc est, etsi ex culpa possessoris facta sit deterior; si facta est deterior cum emolumento possessoris, etiam emolumentum, quo factus est ditior, restituere debet. Si res interim *melior,* effecta est, rem restituere debet prout est, nisi cum aliis sit permixta, ita ut se-

parari non possit: in hoc enim casu possessor accipit dominium rei alienae, si in mixto res propria est principale; sed restituere debet id quo ditior factus est. Quodsi rem ipsam meliorem restituere debet expensas meliorationis deducere potest[1]).

b. Si culpabiliter *restitutionem differt,* tenetur compensare damna, quae ex dilatione restitutionis proveniunt: si enim scienter retinet rem alienam, fit possessor malae fidei et tenetur de damnis.

c. Si *dominus ignotus* et nulla spes est dominum inveniendi, possessor bonae fidei rem alienam sibi retinere potest: res enim habetur pro derelicta, ideo possessor iure occupationis eius dominium acquirit.

d. Nisi sit praescripta: etenim in possessore bonae fidei condiciones ad praescribendum requisitae adesse possunt, quibus reipsa exsistentibus et completis ipse rem sibi retinere potest.

2. At necesse non est, ut rem semper *ipse domino* restituat, sed quandoque illi reddere potest, *a quo eam acceperat:* distingui enim debet, utrum rem gratis an titulo oneroso acceperit.

a. Si rem *gratis accepit,* non licet donatori seu furi eam reddere, sed ipsi domino restituenda est: res enim clamat ad dominum.

b. Si rem *emit* et dominus *comparet,* ut rem sibi vindicet (in casu evictionis), eam domino reddere tenetur, etiam cum iactura pretii: dominus enim rem suam sibi vindicare potest, ubicunque eam repererit, cum habeat ius in re. Possessor tamen recursum ad venditorem habet; quodsi pretium a venditore recuperare nequit, eius iacturam tamquam infortunium considerare et patienter ferre debet[2]).

c. Si dominus *non comparet* (extra casum evictionis), i. e. si dominus quidem cognitus, sed rei inscius est, licet possessori rem ei reddere, a quo eam acceperat, ad recuperandum pretium a se datum, nisi alia via seipsum simul et dominum indemnem facere possit. Si pretium recuperare nequit, eius iacturam ferre debet.

α. Pro hac sententia duplex ratio afferri potest: qui rem furi reddit eamque reponit in statu, in quo antea erat, hinc quidem domino directe nullum damnum infert, inde vero non tenetur cum pro-

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 416 s.

[2]) *Lugo* disp. 17. n. 1.

prio damno rem domino servare; sic licite inventor quoque rem inventam, quam sine proprio damno servare non posset, in eo loco reponeret, ubi eam repererat. Deinde omnes condiciones adsunt, quae requiruntur, ut illa actio ad propria bona recuperanda licite poni possit, etsi ex ea indirecte sequi praevideatur damnum proximi. Et sane actio, nempe rescissio contractus, per se licita est; finis, qui intenditur, se nempe servare indemnem, honestus est et ex actione immediate sequitur; tandem adest causa proportionate gravis permittendi damnum proximit, nempe ad proprium damnum damno proximi aequale praecavendum[1]). — Ordinarie quidem emptori non erit aliud medium recuperandi pretium datum, nisi furi reddat rem emptam; sed si aliud exsisteret, ad illud adhibendum teneretur: nam contra iustitiam ageret, eo quod rem domini iam in tuto collocatam sine iusta causa iterum periculo exponeret.

β. Recentiora iura quandoque statuunt dominum rem suam a possessore bonae fidei, qui eam emit vel alio titulo oneroso accepit, recuperare non posse, nisi soluto eius pretio, quando rem emit in nundinis vel in licitatione vel a mercatore, qui res eiusdem speciei vendere solet[2]). De eiusmodi legis dispositione imprimis investigandum est, utrum mens legislatoris sit domino solum actionem civilem in re sua recuperanda negare, nisi eius pretium solvat, an vero mens eius sit dominium in rem possessam transferre. Si hoc alterum, quaeritur, num haec legis dispositio in conscientia valorem habeat. Quam quidem quaestionem plerique auctores probabiliter affirmant, quia potestas civilis ratione boni communis ita statuit, ut nempe commercium inter homines facilius et possessio securior reddatur; atqui haec ratio boni communis sufficiens esse videtur, ut auctoritas civilis uti possit sua potestate transferendi dominium.

439. Si res aliena periit, distinguendum est, utrum apud ipsum possessorem bonae fidei an apud alium perierit, et in hoc posteriore casu, utrum possessor bonae fidei rem sine lucro an cum lucro alteri tradiderit.

1. Si res periit *apud bonae fidei possessorem,* sive eam consumpsit sive amisit sive destruxit, ad nihil tenetur, nisi ex ea factus sit ditior; quod si inde ditior evasit, illud, in quo ditior factus est, domino restituere debet. Ratio *primi* est, quia consumens vel destruens rem, quam putabat esse suam, nemini intulit iniuriam, etsi de indu-

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 569.

[2]) C. A. § 367. 368. C. A. commerc. § 306—308.

stria et sua culpa eam perdidisset. Dominus in hoc casu iacturam rei tamquam suum infortunium considerare et patienter tolerare debet. Ratio *secundi* est, quia id, in quo ditior factus est, constituit aequivalens rei, quod ad dominum pertinet.

a. Rei *aequivalens* dicitur illud, in quod aliquis ex ea re factus est ditior. Ex re aliena aliquis fit ditior, quatenus ex ea aliquid habet, quod alias non habuisset, id quod dupliciter accidere potest: aut eo quod ex re gratis accepta fructus habet, aut eo quod rei suae parcit, dum utitur aliena, ut cum aliquis proprio vitulo parcit, dum alieni carnem manducat.

b. Quod de re absumpta dicitur, valet etiam *de re deteriorata*: si nempe dominus rem in proprios usus adhibendo deterioravit, id, in quo hac ratione ditior factus est, restituere debet. Qui ergo vestem alienam dono acceptam bona fide portavit et fere attrivit, tenetur, si dominus notus fit, vestem restituere et insuper tantum solvere, quantum alias de sua veste attrivisset.

2. Si res *apud alium periit,* diversae hypotheses sunt distinguendae.

a. Si rem alienam gratuito acceptam alteri donavit alias nihil donaturus, ad nihil tenetur, quia non est ditior factus; quodsi loco illius rem suam donasset, tenetur restituere huius pretium, quia hoc ditior factus est.

b. Si rem alienam gratuito acceptam alteri vendidit pretium rei, ut videtur, retinere potest, quia certo non constat illud sive domino sive emptori reddendum esse.

Auctores de hac re triplicem diversam sententiam promunt:

α. Alii *(Carrière, D' Annibale)* censent pretium emptori esse restituendum, quia venditio rei alienae nulla sit, et proinde venditor pretii dominium non acquirat, vel saltem emptor ius habeat recuperandi pecuniam suam. — Verum id in solo casu evictionis verum est, qui hic non obtinet; extra casum evictionis venditor bonae fidei acquirit dominium pretii rei venditae.

β. Alii opinantur totum pretium domino esse reddendum, quia possessor bonae fidei toto illo pretio vere factus sit ditior. Insuper pretium reddendo nullum patitur damnum, econtra dominus re sua iniuste spoliatus totum damnum subire cogitur; sed non est ratio, cur potius dominus damnum pati, quam possessor bonae fidei lucro ex re aliena percepto privari debeat. Haec sententia, quam inter recentes tuentur *Gury* et *Lehmkuhl,* dicitur communis. — Verum dominus, qui semper retinet dominium in rem suam, aliud ius non habet, nisi in

actualem rei possessorem et in furem; quodsi hoc ius prosequi amplius non potest, eius infortunium est.

γ. Alii tandem existimant pretium a possessore bonae fidei retineri posse, quia nemo ius habet illud exigendi: *non emtor*, quia extra casum evictionis venditor in rei venditae pretium plenum dominium acquirit; *non dominus*, quia res naturaliter ei perit. Nec potest dici pretium esse rei aequivalens domino reddendum: cum enim venditor acquisierit dominium in pretium rei venditae, hoc non est rei venditae *aequivalens* seu venditor non amplius aequivalenter habet rem alienam. Tandem venditor non est *iniuste factus ditior ex re aliena:* etenim factus est ditior occasione rei alienae, nec iniuste, quia rem vendens, quam putabat esse suam, nemini iniuriam fecit. Hanc sententiam inter recentes tuetur *Bucceroni,* cui accedit *Génicot*[1]).

c. Si rem alienam emptam alteri donavit, ad nihil tenetur, etsi alias rem suam donasset, quia in nulla re factus est ditior.

d. Si rem alienam emptam alteri sine lucro vendidit, ad nihil tenetur, quia non est factus ditior.

e. Si rem alienam emptam alteri cum lucro vendidit, pretium rei et lucrum ex eius venditione perceptum retinere potest: etenim pretium rei ad dominum non pertinet, lucrum vero occasione rei alienae seu ex industria partum venditoris est, nisi res in se ipsa creverit, quo in casu lucrum domini est.

Quodsi post rei interitum eius dominus detegatur, qui rem sibi reclamat, cum res domino pereat, aliud ius non habet nisi accipiendi a fure rei pretium.

440. Si res apud alium reperitur, iterum diversae hypotheses distinguendae sunt.

a. Si rem alienam gratuito acceptam alteri donavit alias nihil donaturus, ad nihil tenetur, quia non est ditior effectus; si tamen loco illius rei suam donasset, tenetur restituere huius pretium, quia hoc ditior factus est.

b. Si rem alienam gratuito acceptam alteri vendidit, distinguendum est: si *dominus comparet* et rem suam sibi vindicat (in casu evictionis), vel si emptor rem sponte restituit, tenetur pretium emptori reddere, quia in contractu

[1]) *Bucceroni,* Institutiones th. m. I. n. 1341.

venditionis ad hoc implicite se obligavit. Si dominus *non comparet* et rem suam recuperare nequit (extra casum evictionis), ex quorundam sententia, quae probabilis videtur, ad nihil tenetur (n. 439. 2b).

c. Si rem alienam emptam alteri donavit, ad nihil tenetur, etsi alias rem suam donasset: in nullo enim factus est ditior.

d. Si rem alienam emptam alteri vendidit, distinguendum est: si *dominus comparet* et rem sibi vindicat (in casu evictionis) vel si emptor sponte restituit, venditor bonae fidei emptori pretium reddere debet, quia contractus venditionis hanc condicionem implicite semper includit, ipse tamen recursum habet ad suum venditorem, a quo rem alienam emerat. Quodsi dominus *non comparet* (extra casum evictionis) nec emptor sponte restituit, venditor bonae fidei ad nihil tenetur: rem enim non amplius habet et quod ipse recepit vendendo, expendit emendo.

Sunt quidem, qui venditorem bonae fidei obligent ad pretium vel domino vel emptori reddendum, quia venditor nullum titulum habet retinendi pretium, cum venditio rei alienae invalida sit. Verum per venditionem rei alienae bona fide peractam venditor acquirit dominium pretii excepto casu evictionis, quo pretium emptori reddere tenetur[1]).

e. Si rem alienam emptam alteri carius vendidit: α. pretii excessum domino reddere tenetur, si illum ideo percepit, quia res in se ipsa crevit, e. g. pullus adolevit; β. pretii excessum sibi retinere potest, tum si illum ex peculiari industria, tum si illum simplici rei venditione percepit, quia est fructus industriae occasione rei alienae perceptus.

Quoad obligationem *monendi rei dominum*, quam habet possessor bonae fidei, qui rem alienam alteri tradidit, ut dominus rem suam recuperare possit, distinguendum est: *a.* Si rem alienam sive gratuito acceptam sive emptam alteri donavit, ex caritate monere debet aut rei alienae possessorem, ut eam restituat, aut rei dominum, ut eam recuperet, si tamen sine gravi incommodo monere potest. *b.* Quod si rem alienam emptam alteri vendidit non tenetur *monere* emptorem rem esse alienam, nec dominum, ubi sit res sua, si ipse pretium a fure, a quo rem emit, recuperare non potest: non enim tenetur cum magno suo detrimento curare, ut dominus rem suam accipiat.

---

[1]) Cf. *Bucceroni*, Institutiones th. m. I. n. 1339.

441. Obligationes ratione fructuum. Tenetur restituere fructus naturales, civiles et mixtos, in quantum sunt fructus rei, etsi dominus eos fructus non percepisset, quia res fructificat domino; sed non tenetur restituere:

1. fructus industriae, quia non sunt fructus rei, sed eius, cuius labore parti sunt;

2. nec fructus, quos ex re aliena non percepit, quos tamen dominus percepisset, si res in ipsius potestate mansisset, quia nec inde factus est ditior, nec iniuste domino intulit damnum;

3. nec fructus rei, quos praescriptione suos fecit.

a. Qui ergo iumentum alienum pretio alteri locavit, hoc pretium domino reddere debet, etsi dominus ipse iumentum nunquam locasset: fructus enim civiles sunt fructus rei. Qui vero negotiando ex aliena pecunia divitias sibi comparavit, nihil harum domino pecuniae restituere tenetur. Pariter qui alienum triticum cariore pretio vendidit, satisfacit restituendo simile triticum.

b. Fructus ultimi triennii, qui adhuc exstant et qui consumpti sunt, quatenus possessor ex eis factus est ditior, iure naturae restitui debent; alii autem fructus superiorum annorum iam praescripti sunt[1]).

α. Iura moderna plerumque possessori bonae fidei tribuunt *omnes fructus iam perceptos*[2]). Si legislator hac legis dispositione domino rei solum actionem civilem in recuperandis fructibus negare intendit, patet possessorem in conscientia teneri ad fructus domino rei reddendos. Quodsi legislator in possessorem bonae fidei ipsum dominium in fructus perceptos transferre intendit, auctores nunc communiter saltem ut probabilem docent sententiam, possessorem bonae fidei fructus licite sibi retinere posse: dispositio enim legis in bono communi fundatur, ut nempe per eam innumerae difficultates et lites praecaveantur.

---

[1]) De praescriptione fructuum haec notanda sunt: *a.* fructus utpote res mobiles praescribuntur e. g. triennio. Hinc si res frugifera et ipsa res mobilis est ut animalia, eodem tempore praescribuntur fructus et res, quae eos produxit. Quodsi res frugifera immobilis est ut agri, arbores, fructus ex ea percepti praescribi possunt longe antequam ipsa res frugifera praescripta sit. *b.* Si ipsa res frugifera praescripta est, eo ipso etiam fructus non solum pendentes, sed etiam percepti praescripti sunt, etsi tempus, quod ad praescribendos fructus requireretur, si ipsi independenter a re frugifera praescribi deberent, nondum sit elapsum. Sic qui agrum praescribit, etiam fructus ultimi triennii cum eo praescripsit.

[2]) Sic etiam C. A. § 330, non item C. G. 988.

β. Quod hic ex iuribus modernis de fructibus formaliter adhuc exstantibus statuitur, a fortiori valet de fructibus virtualiter seu in aequivalenti solum exstantibus, ex quorum scilicet usu et consumptione possessor factus est ditior. Siquidem iam ex legibus antiquis plures theologi negabant obligationem restituendi fructus aequivalenter tantum exstantes[1]).

442. Obligationes ratione expensarum. Expensas *necessarias* et *utiles* deducere potest: secus enim dominus plus reciperet, quam suum est: pro expensis autem *voluptuariis* nihil repetere potest, nisi communem rei valorem augeant; attamen meliorationes auferre potest, si absque rei detrimento fieri possit.

1. Expensae *necessariae* illae dicuntur, sine quibus res periret, aut nullos vel deteriores fructus ferret; eiusmodi expensae sunt, quae fiunt e. g. in domo reficienda, in agro exstirpando, impinguendo; *utiles* dicuntur, quae fiunt, ut res ad usus communes aptior evadat, plures fructus ferat, ut novas arbores plantare; *voluptuariae* dicuntur, quae ad ornatum et voluptatem fiunt, nec rem vel fructus augent ut expensae pro picturis, statuis, viridariis etc.

2. Nomine expensarum venit etiam aestimatio laboris et industriae ipsius possessoris: etenim non obligatur gratis in commodum domini laborare.

Articulus secundus.

De possessore malae fidei.

443. *Possessor malae fidei* is dicitur, qui rem, quam scit esse alienam, iniuste retinet. Huius obligationes referuntur: *a.* ad ipsam rem; *b.* ad eius fructus; *c.* ad expensas; *d.* ad lucrum cessans et damnum emergens.

Obligationes ratione rei. *In genere* possessor malae fidei praeter rem alienam vel aequivalens pretium tantum restituere debet, quantum est damnum, quod domino ex iniusta rei ablatione secutum est, seu quantum dominus

[1]) Cf. *Holzmann,* Theologia moralis t. 4. n. 367 ss.

haberet, si res ei ablata non fuisset. Ut obligationes possessoris malae fidei *in specie* determinari possint, iterum diversae hypotheses distingui debent.

444. 1. Si rem alienam *adhuc possidet,* eam domino quamprimum restituere debet: res enim clamat ad dominum.

a. Et quidem ipsam *rem ablatam,* non aliam eius loco, restituere debet: nam ad ipsam rem suam dominus ius habet, nisi adiuncta ea sint, ut dominus non possit esse rationabiliter invitus, si rei aequivalens pretium restituatur, ut si fur sine infamia non posset rem ipsam reddere.

b. Probabiliter etiam possessor malae fidei rem emptam venditori (furi) reddere potest ad recuperandum pretium datum, quia eam reddendo nihil fit, quod appareat illicitum: res enim in eodem statu reponitur, in quo antea erat, et proinde domino nullum damnum infertur; nec possessor cum proprio gravi detrimento curare tenetur, ut dominus rem suam recipiat[1]) (n. 438. 2).

2. Si rem *non amplius possidet,* sive adhuc exstat sive non exstat, et in hoc casu, sive cum culpa sive sine sua (furis) culpa periit, *eius pretium* restituere tenetur, etiamsi inde non sit factus ditior: dominum enim laesum indemnem facere debet; duplici tamen casu excepto: *a.* si res ex vitio interno periit; *b.* si ex causa (e. g. incendio) periit, propter quam etiam apud dominum aeque periisset, quia in neutro casu furtum est causa efficax damni, cum res etiam sine furto periisset.

a. Si possessor malae fidei rem alteri vendidit et dominus comparens rem sibi vindicat (in casu evictionis), notandum est discrimen, quod in hoc casu inter possessorem bonae et malae fidei intercedit. Si nimirum emptor sciverit rem a se emptam esse alienam, venditor seu prior possessor malae fidei non tenetur ei restituere pretium, quod acceperat: condicio enim, quae alias in venditione supponitur, scilicet nisi res sit aliena et a domino vindicetur, in hoc casu locum non habet, nisi expresse aliter cautum fuerit, quia emptori, utpote scienti rem esse alienam, nulla fit iniuria[2]).

b. Si res, quae apud possessorem malae fidei quomodocunque periit, apud dominum eodem tempore ex alia causa periisset, complures auctores probabiliter docent, furem ad nihil teneri, quia dominus ex

[1]) Cf. *Lugo* disp. 17. n. 37., cui consentit *s. Alphonsus* n. 570.
[2]) C. A. § 929. C. G. § 434.

furto nullum damnum patitur[1]). Sed si res apud dominum periisset *ex alterius iniustitia*, fur eius pretium restituere tenetur, quia dominus ex furto damnum patitur: etenim re non ablata alii (fures) onus restituendi contraxissent.

445. *Ad quid tenetur possessor malae fidei, si res, quam abstulit, secus apud dominum periisset?*

a. Rem domino restituere debet, sive possessor eam ex ipso periculo eripuit, sive res periculum evasit, eo quod iam antea ablata erat: res enim ex periculo erepta vel a periculo salvata non cessat esse domini, ideoque ad dominum clamat. Deducere tamen potest tum expensas pro re factas tum pretium laboris, quam in re salvanda adhibuit.

b. Rem domino restituere non tenetur, si eam in ipso periculo i. e. moraliter tempore et loco consumit, quo apud dominum periisset: res enim e periculo non liberata, sed certo peritura pro domino nullius est valoris.

Res etiam tum in ipso periculo consumi censetur, si consumitur, ubi periculum, in quo res certe peritura est, iam imminens praevidetur; sic qui praevidet cras domum Titii incendio certe perituram esse, non tenetur ad restitutionem, si cum aliis dolium vini consumit, quod ab incendio eripi non potuisset: res enim in his adiunctis pro domino nihil valet, ideo de eius destructione non est rationabiliter invitus.

446. *Ad quid tenetur possessor malae fidei, si res tempore iniustae possessionis varium valorem habuit?*

Mutatio valoris, quam res tempore iniustae possessionis subit, potest esse interna aut externa. *Interna* dicitur, si res in se ipsa fit melior aut deterior, ut si vitulus adolescit vel bos senescit; *externa* dicitur, si res in se immutata manens ob adiuncta externa varium valorem accipit, ut si vinum nunc ob raritatem maius, postea ob abundantiam vilius pretium habet.

1. *In casu mutationis internae.* *a.* Si res apud possessorem malae fidei facta est melior, domino restituenda est cum incremento: res enim domino crescit, deducto tamen pretio laboris et industriae. *b.* Si res facta est deterior ex

---

[1]) *Lacroix* l. 3. pr. 2. n. 218. *D'Annibale*, Summula theologiae moralis[5] (Romae. Desclée. 1908) II. n. 420. *S. Alphonsus* l. 3. n. 620.

causa, ob quam apud dominum deterior facta non fuisset, restituenda est cum valore decrementi: alias enim dominus damnum pateretur. *c.* Si res facta est deterior ex causa, ob quam idem etiam apud dominum accidisset, sufficit, ut res restituatur in eo statu, in quo reperitur.

2. In *casu mutationis externae.* *a.* Si dominus tempore maioris pretii rem vendidisset, vel si eo tempore rem similem maiore pretio sibi emere debuit, possessor tenetur restituere maiorem valorem. *b.* Si dominus rem tempore minoris pretii vendidisset, sufficit, si ipsam rem restituat vel eius valorem, quem tempore furti habuit.

In praxi ordinarie non est urgenda nisi restitutio rei aut eius pretii secundum valorem, quem tempore furti habuit, quia aut nullo modo aut solum cum magno incommodo adiuncta supra dicta cum certitudine cognosci possunt. Quodsi de illis adiunctis certo constaret, possessor malae fidei ad resarciendum totum damnum compellendus esset.

447. Obligationes ratione fructuum. 1. Restituere debet *fructus rei* tum naturales tum civiles: *a.* quos ipse percepit, etsi dominus eos non percepisset, sive adhuc exstant sive non amplius exstant: res enim fructificat domino; *b.* quos dominus percepisset, etsi ipse nullos percepit: nam totum damnum, quod passus est dominus, reparari debet.

2. Restituere non tenetur *fructus industriae:* etenim suum est, quod propria industria acquirit.

Qui pecuniam furto ablatam ludo exponit, lucrum, quod inde percipit, sibi retinere potest. — Depositarius, qui aliena pecunia suae custodiae concredita utitur ad negotiationem, peccat quidem, quia contra voluntatem domini agere praesumitur, at lucrum, quod negotiando salva ipsa pecunia acquirit, suum facit.

Casus. *Arbores,* quae ex arbusculis furto ablatis et in fundo furis plantatis crescunt, considerandae sunt ut *fructus industriae:* cum enim planta crescere non possit, nisi in fundo radices egerit, dominus fundi est etiam dominus eorum, quae in fundo crescunt, etsi furto ablata sint. Ille ergo, cui ex arbusculis furto ablatis arbores creverunt, domino arbuscularum non ipsas arbores reddere tenetur, sed sufficit, ut illum indemnem faciat, et quidem, si arbusculas non evulsisset, eo

quod duplex pretium, si eas evulsisset, eo quod simplex pretium restituat. — Idem dicendum est de *gallinis*, quas aliquis ex alienis ovis gallinae suae suppositis acquisivit; scilicet domino non tenetur restituere nisi pretium ovorum[1]).

448. Obligatio ratione damni emergentis et lucri cessantis. Reparare debet tum *lucrum cessans* tum *damnum emergens*, modo illud aliquo modo, saltem in confuso, praeviderit: ad aequalitatem enim i. e. ita restituere debet, ut dominus tantum habeat, quantum haberet, si res sua ablata non fuisset. Sic si dominus frumentum furto ablatum seminasset, sed propter furtum messe caruit, damnum emergens ei reparandum est.

Si debita suo tempore non solvantur, lucrum, quod creditori exinde cessat, in rigore compensandum esset; ordinarie tamen tardi solutores ad haec damna compensanda non adiguntur, quia creditores ea raro exigunt, ideoque remittere censentur. *Ordinarie* inquam, quia hoc applicari nequit illis divitibus, qui ultra, quam fas est, differunt solutionem eorum, quae debent opificibus vel parvis mercatoribus eisque sic magnum incommodum et damnum afferunt in conscientia utique compensandum.

Num foenus quoque seu interesse pecuniae restitui debeat. — Certo restitui debet, si dominus ex sua pecunia foenus percepisset. Si autem dominus pecuniam apud se otiosam servasset, sunt, qui illum ab onere restituendi foenus perceptum deobligent[2]); verum immerito: foenus enim ex pecunia perceptum nunc temporis ad fructus civiles ex ipsa re ortos referendum est; quare illud in rigore ipsi domino restitui debet, etsi dominus foenus non percepisset.

449. Obligatio quoad expensas. Possessor malae fidei deducere potest *expensas* tum necessarias tum utiles, quas dominus ad conservandam vel augendam rem suam facere debuisset: alias enim dominus praeter damnum sibi illatum aliquid acciperet; expensas autem voluptuarias de-

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl*, Casus consc. I. n. 654.

[2]) Cf. *Gury*, Compendium theol. mor. I. n. 649.

ducere nequit, eas tamen sibi retinere potest, si salva rei substantia separabiles sunt.

Articulus tertius.

De possessore dubiae fidei.

450. *Possessor dubiae fidei* non is dicitur, qui ex levi solum ratione dubitat, num res, quam possidet, sit aliena: iste enim ad nihil tenetur et rem sibi retinere potest; sed possessor dubiae fidei is dicitur, qui ex gravi et probabili ratione dubitat, utrum res, quam possidet, sit sua an aliena. Id autem dupliciter evenire potest: vel dubia fides est *superveniens,* quando nempe rem bona fide accepit et postea ortum est dubium; vel dubia fides est *antecedens,* quando rem dubia iam fide accepit.

451. In casu dubiae fidei supervenientis. 1. Orto dubio tenetur diligenter investigare veritatem, eoque maiore sollicitudine, quo res, de cuius dominio dubitat, est pretiosior. Durante investigatione rem conservare debet; quodsi dein facta investigatione dubium perseverat, rem retinere atque de ea disponere potest: possessione enim bonae fidei acquirit ius disponendi de re, donec constet eam esse alienam.

Si postea dominus comparet, restituere tenetur ut possessor bonae fidei, scilicet ipsam rem, si adhuc exstat, vel si non amplius exsistit, id, in quo factus est ditior, nisi interim per praescriptionem acquisierit rei dominium: dubium enim superveniens non impedit praescriptionem (n. 403).

2. Si orto dubio inquisitionem culpabiliter negligit, propter ipsam hanc culpabilem negligentiam incipit fieri possessor malae fide. Ideo

a. Si certus dominus postea *comparet,* ei restituere debet ut possessor malae fidei: rem, fructus nondum praescriptos, lucrum cessans et damnum emergens ex eo tempore, quo factus est possessor malae fidei.

b. Si certus dominus postea *non comparet,* et ex omissa inquisitione factum est impossibile, ut dubium solvatur, restituendum est domino, qui ius dubium illius rei possidet, pro ratione spei, quam habuit, rem suam recuperandi. Quodsi nemo determinatus ius dubium habet, rem totam retinere potest, quia possessionem bona fide incepit[1]).

Spes, quam dominus habuisset rem suam recuperandi, multo minus valet, quam dimidium pretii eius rei, de cuius dominio dubitatur. Si tamen constat dominum eo tempore, quo ortum est dubium, nullam spem habuisse rem suam recuperandi, ad nihil tenetur: res enim utpote derelicta tunc iam transierat in dominium possessoris[2]).

3. Qui inquisitionem inculpabiliter omittit, habetur ut possessor bonae fidei; si ergo rem consumpsit, solum id restituere debet, in quo factus est ditior.

Ille solum inquisitionem culpabiliter negligere censetur, qui ex gravi negligentia eam omittit; qui ergo ex inadvertentia vel ignorantia invincibili, vel bona fide putans dominum inveniri non posse, vel ex levi negligentia inquisitionem omittit, eam inculpabiliter neglexisse censetur. Gravis autem negligentia adest, si inquisitio voluntarie omittitur, quamdiu spes probabilis affulget fore, ut dominus inveniri possit.

452. In casu dubiae fidei antecedentis. 1. Qui in dubio possessorem bonae fidei spoliavit, tenetur, si dubium solvi non potest, rem totam possessori bonae fidei restituere; illi ipsi, qui probabiliter putat rem esse suam, solum recursus ad iudicem patet: in dubio enim melior est condicio possidentis.

2. Qui neminem spoliavit, sed rem scienter accepit (e. g. emptione) a possessore dubiae vel suspectae fidei, tenetur, si dubium solvi nequit, restituere pro rata dubii, et quidem domino probabili, si inveniri potest, et si inveniri non potest, pauperibus vel causae piae. Etenim totum retinere non potest, quia dubium obstat, quominus unquam simpliciter rei dominus fiat; sed neque totum reddere debet, quia certum non est rem esse alienam.

---

[1]) *Bucceroni,* Institutiones theol. moral.[4] I. n. 1353. *Génicot,* I. n. 534.

[2]) *S. Alphonsus* l. 1. n. 37. *Ballerini-Palmieri* III. n. 439.

„Artifices et mercatores, qui emunt ab iis, de quibus valde dubitant, utrum sua an aliena vendant, emunt mala aut saltem dubia fide, atque adeo semper tenebuntur restituere aut totum aut partem“[1]).

3. Qui cum dubia fide rem accepit (e. g. emptione) a possessore bonae fidei, si dubium adhibita morali diligentia solvi non potest, probabiliter ad nihil tenetur: uti enim potest iure illius, cui succedit[2]).

Quaestio tertia.

De restitutione ob iniustam damnificationem

453. 1. Iniusta damnificatio hic intelligitur damnum proximo in bonis externis iniuste illatum, quin exinde capiatur emolumentum. Dupliciter proximo damnum inferri potest: *positive* eius bonum destruendo, aut *negative* eum a consecutione boni impediendo (n. 429) vel non custodiendo bona, quae ex officio custodienda erant.

2. Ad taxandam *quantitatem restitutionis*, ad quam tenetur, qui alium a consequendo bono impedivit, considerandum est damnum, quod iste passus est. Ubi ergo laesus boni consequendi plenam certitudinem habuit, totum bonum restituendum est; ubi vero boni consequendi solum spem plus minusve probabilem habuit, pars tantum boni pro valore spei iudicio prudenti determinando restitui debet: spes enim quantumvis magna vix dimidium valoris habet ipsius rei, quia spes multis modis fallere et impediri potest.

Articulus primus.

Condiciones requisitae.

454. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, haec triplex condicio requiritur: *a.* ut actio sit

[1]) *Lugo* disp. 17. n. 81.

[2]) *Lugo* l. c. n. 83.

vere *iniusta; b.* ut sit damni *causa efficax; c.* ut sit *theologice culpabilis,* seu ut actio damnificans sit vere, efficaciter et formaliter iniusta.

§ 1. Actio vere iniusta.

Actio damnificans debet esse *vere iniusta,* quae alium privet bono, ad quod ius strictum habet vel in re vel ad rem, quia solum *damnum iniuste illatum* inducit obligationem restitutionis (n. 431).

a. Qui alteri sua actione damnum infert, nec iustitiam commutativam laedit, etsi illa actione contra aliam virtutem peccet, non tenetur reparare damnum.

Sic ubi Caius animo nocendi Sempronio suadet Titio, ne condat testamentum, quia praevidet, fore ut illud condat in gratiam Sempronii, non tenetur ad restitutionem erga Sempronium, quia actio (suasio) Caii, etsi damnosa, non est iniusta.

b. Qui inculpabiliter causam damni ponit eamque non aufert, etsi posset, contra iustitiam commutativam peccat et ad reparationem damni tenetur: unusquisque enim curare debet, ne actio a se posita alteri noceat, quamdiu eius efficaciam damnosam impedire potest. Attamen haec obligatio non urget cum incommodo relative gravi, quia actio damnificans, utpote materialiter tantum iniusta, minus voluntaria est quam actio formaliter iniusta.

Ex hoc principio sequentes casus solvuntur: α. viator, qui inadvertenter alterius silvam incendit; pharmacopola, qui ex errore venenum pro medicina praebuit; consiliarius, qui inculpabiliter consilium nocivum dedit, tenentur reparare totum damnum, quod sine gravi incommodo impedire potuissent et non impedierunt.

β. Qui ex errore alteri grave crimen imposuit, non tenetur revocare, si id sine gravi propriae famae detrimento non potest[1]).

c. Dominus, qui *re sua ad peccandum abutitur,* propterea non amittit ius in rem suam; quare iniuriam facit, qui eam aufert vel destruit; et qui rem alienam detinet, ex stricto iure eam domino reddere tenetur, etsi dominus ea sit abusurus.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 8. n. 86. *Ballerini-Palmieri* III. n. 349. *Lehmkuhl* I. n. 969. *Génicot* I. n. 513.

Cum tamen unusquisque teneatur proximi sui peccatum, prout moraliter potest, impedire, rem abusuro ad peccatum reddere non licet, nisi incommodum timeatur maius vel minus pro maiore vel minore peccato, quod proximus commissurus est.

d. Iniquus officiorum vel beneficiorum distributor iustitiam commutativam laedit erga personas privatas, quae ius strictum ad officium vel beneficium consecutae sunt. Illud autem consequuntur, ubi proponitur concursus et sub condicione onerosa promittitur electum iri digniorem. Eiusmodi est concursus, qui ea condicione proponitur, ut determinatum praemium accipiat, qui opus optimum perfecerit vel rem optimam exposuerit.

Quoad obligationem restitutionis, quae occasione diversarum expositionum, quae hodie fiunt: machinarum, equorum, fructuum, florum etc., ad hoc imprimis attendendum est, utrum expositio habeat rationem concursus, an rationem medii ad rerum culturam ideoque bonum commune promovendum.

In *priore casu* ius ad praemium (primum) acquirit, qui rem optimam exponit, et proinde ad restitutionem ipsi faciendam tenetur, qui efficit, ne praemium ei adiudicetur. In *altero casu* ius strictum ad praemium nemo habet. Qui ergo causa est, cur praemium ei non tribuatur, cui ratione rei expositae convenit, contra iustitiam distributivam peccat, ad reparationem damni autem non tenetur.

455. De concursu ad beneficia ecclesiastica.

a. Duplex distinguendus est concursus, alter *generalis*, qui ad beneficium vel officium indeterminatum nondum vacans proponitur, alter *specialis*, qui ad certum et determinatum beneficium vel officium vacans proponitur. Si officium aut beneficium confertur post concursum *generalem*, concedendum est superiorem non teneri ex iustitia commutativa ad digniorem ceteris praeferendum, quia dignior, qui omittitur, non habet ius strictum ad beneficium determinatum.

b. Si instituitur concursus *specialis*, omnes docent teneri superiorem ad beneficium digniori conferendum; at non omnes consentiunt, num dignior vi concursus etiam ius strictum ad beneficium acquirat, ut superior ei damnum compensare debeat, si illo omisso minus dignum eligat. Sententia communis quidem docet, digniorem habere ius strictum ad beneficium; sed probabilis videtur sententia eorum, qui ius strictum dignioris negant. *S. Alphonsus* hanc sententiam, quam initio probabilem dixerat, postea retractavit[1]).

[1]) *S. Alphonsus* l. 4. n. 109. Elench. quaest. reform. q. 47. Cf. *Lehmkuhl* I. n. 972.

§ 2. Causa damni efficax.

456. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, requiritur, ut damnum ex actione tamquam ex sua causa reipsa secutum sit: nam ad reparandum damnum ille solus obligari potest, qui est auctor damni et proinde aut ipse damnum efficit aut alium utcunque ad damnum efficiendum movet.

Ergo obligatio reparandi damnum non habetur: *a.* si actio damnificans solum est *occasio damni:* occasio enim non est vera causa, sed id, ad cuius praesentiam vera causa agit; *b.* si solum est *condicio sine qua non* seu id, sine quo causa agere nequit; *c.* si solum est *causa per accidens,* ex qua damnum sequi quidem potest, at ipsum ex ea secuturum esse probabile non est, et proinde secuturum non praevidetur: iustitia enim non obligat ad vitandas actiones, ex quibus remote tantum et per accidens damna aliena sequuntur.

a. Si furtum a Titio commissum ex errore ob alia furta antea a Sempronio patrata huic imputatur, qui propterea ut furti reus punitur, furtum Titii est *occasio* damni, quod patitur Sempronius; eius causa est sententia iudicis ex errore ipsius orta.

b. Si quis gladium ei reddit, qui gladio abutitur ad homicidium patrandum, gladii traditio est *condicio, sine qua* homicidium *non* fuisset patratum.

c. Causa per se effectus ea dicitur, quae natura sua ad illum producendum ordinata est; sic horreo ignem apponere est causa per se conflagrationis horrei. *Causa per accidens* effectus ea dicitur, quae natura sua ad hunc effectum producendum ordinata non est, sed effectum solum concurrentibus externis adiunctis producit; sic ignem in loco remoto accendere, quem ventus ex improviso exortus in horreum coniicit, est causa per accidens conflagrationis horrei. Causa igitur per accidens α. aliquid ad effectum producendum confert, econtra occasio et condicio necessaria nihil conferunt; β. eius nexus cum effectu nec certus nec probabilis, sed solum possibilis est, et proinde effectus ab agente non praevidetur.

457. **Resolutiones.** 1. Qui alios *pravo suo exemplo* ad damnum inferendum allicit, non tenetur reparare damnum ab iis illatum, etsi praevideret, immo etsi agendo intenderit, ut alii exemplum suum sequantur: exemplum enim non est causa, sed mera occasio

actionis aliorum, qui exemplum imitantur. Et sane non exemplum, quod vident, sed mala aliorum voluntas est causa actionis damnificantis, quae ipsa est causa efficax damni. Qui tamen alios ad damnum inferendum vere *inducit,* illud reparare tenetur: inductio enim non mera occasio, sed causa actionis aliorum est.

2. Si alicuius *actio damnificans alteri imputatur,* si e. g. alicuius furtum alteri imputatur, qui inde damnum patitur, distinguendum est.

a. Si damnum aut non praevidit, aut praevidit quidem, immo etiam intendit, sed media non adhibuit, quibus suspicio criminis devolveretur in alterum, non tenetur illud reparare, quia non est causa, sed occasio damni: causa enim damni est error vel mala voluntas eorum, qui innocenti actionem damnificantem adscribunt, et huic errori ipse sua actione occasionem praebet. *b.* Si autem damnum non solum praevidit, sed si insuper media adhibuit, quae grave motivum suppeditarent ad actionem alteri tribuendam, si e. g. ad furandum indutus sit vestimentis alterius, si ad homicidium patrandum usus sit armis alterius et arma sanguine aspersa in eius domum proiecerit, tenetur reparare damnum, quia est illius causa per se.

Ad quaestionem, num reus teneatur seipsum denuntiare, ne innocens pro reo puniatur, ita respondendum est. In priore casu non tenetur seipsum denuntiare tamquam reum, quia, cum non sit causa damni, solum ex caritate alium e poena liberare tenetur; caritas autem non obligat cum tanto incommodo. In posteriore casu seipsum denuntiare tenetur, quia, cum sit causa damni, ex iustitia alium e poena liberare tenetur; iustitia autem obligat sontem etiam cum aequali damno proprio.

3. Si alicuius actio damnificans ex se est damni causa per accidens tantum, sed ab agente *cum unica et directa intentione* ponitur, ut damnum sequatur, haec intentio efficit, ut effectus sit voluntarius et agenti tamquam causae per se imputari possit, dummodo eius actio vere causa damni exstiterit et unice vel saltem primario ex hac intentione posita fuerit. Quodsi actio damnum non vere causat, eius occasio dicenda est, et si ex alia intentione ponitur, est causa damni per accidens.

Qui avaro furatur rem exigui valoris et hoc furto causa est, ob quam avarus in gravem morbum incidat, est morbi causa per accidens; sed si id tantum intendit, ut avarus propter illam ablationem in morbum incidat, est morbi causa per se, et illius damnum reparare debet, quia simul est damni causa iniusta. — Qui laqueum ponit in via, per quam raro ipsius inimicus transit, et tamen intentione, ut inimicus sibi casu transiturus crus frangat, est causa damni per se et ad reparationem tenetur, quia simul iniuste agit. Quodsi ex alio fine

laqueum ponit simul desiderans inimici damnum, interne contra caritatem peccat, et actio externa est causa damni per accidens, quamvis iniusta[1]).

§ 3. Theologice culpabilis.

458. Notiones. A culpa theologica distingui debet culpa iuridica. Culpa *theologica* dicitur, quae verum peccatum constituit sive mortale sive veniale; culpa *iuridica* consistit in omissione diligentiae atque cautelae a iure positivo requisitae ad damnum praecavendum, sive illa omissio coniuncta est cum peccato sive non est. Quodsi prorsus absque peccato seu absque advertentia damnum infertur, habetur culpa *mere iuridica.*

a. Triplex culpa iuridica secundum gradum diligentiae omissae distinguitur: *lata,* quae est omissio diligentiae, quam in suis negotiis homines communiter adhibere solent; *levis,* quae est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines diligentiores et prudentiores; *levissima,* quae est omissio diligentiae, quam solum diligentissimi et accuratissimi quique in actionibus suis adhibere solent. Caio aufertur e. g. res pretiosa commodato accepta; iam vero Caius culpae latae reus est, si noctu domum apertam relinquit; levis, si exeundo ianuam domus claudit, sed non obserat; levissimae, si exeundo ianuam domus claudit et obserat, sed non explorat, num bene obserata sit. Iura recentia expresse quidem hanc distinctionem non habent; quia tamen in aliis adiunctis minorem, in aliis maiorem diligentiam exigunt, eam aequivalenter continent.

b. Culpam latam ordinarie comitatur culpa theologica, tum quia ordinaria diligentia in officio implendo adhiberi debet, tum quia advertentia ad secuturum damnum vix deesse potest; culpam vero levem aut levissimam culpa theologica non comitatur, nisi sit negotium gravissimi momenti. Pro maiore enim gravitate et momento actionis seu officii maior adhiberi debet diligentia atque sollicitudo; hinc in negotiis maximi momenti adhiberi debet accuratissima diligentia. Quocirca fieri potest, ut omissio huius diligentiae, seu ut culpa iuridice levissima sit theologice culpa gravis vel etiam gravissima.

c. Actio damnificans ex triplici capite potest esse theologice leviter culpabilis: α. ex parvitate materiae; β. ex imperfectione actus; γ. ex defectu levi diligentiae debitae, ubi nempe adhibetur aliqua, sed non tota diligentia, quae debetur.

---

[1]) Cf. *Lugo,* disp. 8. n. 75.

d. Complures sunt cautelae, quae vi legis positivae ab architectis in erigendis aedificiis, ab heris in construendis fabricis et officinis, a mechanicis in curandis machinis etc. ad praecavenda infortunia exiguntur. Ii, in quorum favorem eiusmodi leges feruntur, ius habent exigendi, ut accurate observentur; ii vero, pro quibus feruntur, illas in conscientia observare non tenentur, quae moralem diligentiam ad impedienda infortunia necessariam superant, si ii, quorum interest, saltem tacite in omissionem consentiant.

459. Principia. 1. Ut actio damnificans inducat obligationem restitutionis, requiritur, ut sit *theologice culpabilis:* nemo enim obligatur in conscientia ad reparandum damnum, nisi illatum fuerit in conscientia. Insuper nemo tenetur de actionibus suis earumque effectibus, nisi eae sint voluntariae; atqui actio, quae theologice non est culpabilis, plerumque non est voluntaria.

a. Qui rem alienam bona fide accepit et consumpsit, nihil restituere tenetur, nisi inde sit factus ditior: — pueri, qui scienter et voluntarie quidem furantur, sed sine advertentia ad malitiam theologicam suae actionis, quam solum poenae obnoxiam apprehendunt, ad restitutionem non obligantur; — qui ex mera inadvertentia non exstinxit candelam, unde ortum est incendium, non tenetur reparare damnum; — medicus, qui ex errore inculpabili aegroto praebet remedium nocivum, nullam obligationem restituendi contrahit: nam in omnibus hisce casibus culpa theologica non intercedit.

b. Qui *malam voluntatem retractat,* antequam damnum per *causam physicam* producatur, illud reparare tenetur: poenitentia enim voluntatis efficere nequit, ut cesset obligatio restitutionis, quae iam contracta est, quando causa efficax damni cum culpa theologica fuerat posita. Quodsi causa damni *moralis* est, retractatio voluntatis quandoque efficit, ut cesset obligatio reparandi damni, ut infra (de restitutione ob iniustam cooperationem) dicetur.

2. Obligatio restitutionis *ex culpa mere iuridica* solum adest post sententiam iudicis, nisi quia aliter per specialem contractum se obligaverit.

a. Leges, quae ex culpa mere iuridica obligationem restitutionis iniungunt, sunt *leges iustae* a legitima auctoritate latae: conduntur enim in bonum commune, ut nempe cives cautiores et diligentiores reddantur et hac ratione damna praecaveantur; leges autem iustae obligant in conscientia. Sed leges istae *poenales* sunt, eo quod puniunt

omissionem diligentiae praescriptae; leges autem poenales non obligant ante sententiam iudicis, quia nemo obligatur ad poenam sibimetipsi imponendam.

b. Damnum sine culpa theologica *rei alienae ex contractu* (commodati, depositi etc.) *detentae* illatum, in conscientia reparari non debet ante sententiam iudicis, quia ineundo contractum contrahens ad hoc non se obligavit.

Nihil quidem impedit, quominus aliquis speciali contractu se obliget ad damnum ante sententiam iudicis reparandum, quod ex culpa mere iuridica vel ex casu fortuito ortum est; verum absque speciali contractu nemo ad id tenetur, quia non constat ineundo contractum ad hoc se obligare voluisse.

c. Damnum *in implendo officio* (iudicis, advocati, medici, confessarii etc.) sine culpa theologica illatum ante sententiam iudicis in conscientia reparari non debet: nam ex communi iudicio etiam timoratorum is, qui officium suscipit, non censetur se obligare nisi ad ordinariam diligentiam; alias officia cum detrimento boni publici redderentur nimis dura.

Sunt, qui contendant, in contractibus, qui solum cedunt in emolumentum unius ex contrahentibus, et in quasi-contractibus, qui assumendo officium ineuntur, semper contineri hoc pactum implicitum, scilicet damnum reparandi etiam ex culpa mere iuridica ortum, ideoque in his casibus restitutionem faciendam esse in conscientia ante sententiam iudicis. Verum negari potest eiusmodi pactum implicitum in illis contractibus vel quasi-contractibus contineri, quia nec lex naturae nec lex humana eiusmodi pactum exigit. Quia vero illa officia natura sua magnam diligentiam postulant, facile fieri potest, ut negligentia materialiter levis graviter culpabilis sit.

Articulus secundus.

De damnificatione dubia vel cum errore peracta.

460. De damnificatione dubia. 1. Qui dubitat, num *damnum revera illatum* i. e. num actio a se posita causa damni fuerit, si post diligentem inquisitionem dubium perseverat, ad nihil tenetur. non enim est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.

Sic ad nihil tenetur, qui dubitat, num calumnia a se prolata alteri in negotiatione damnum attulerit.

2. Qui dubitat *de influxu causae in damnum,* ut si cui constat de damno, et dubium est, utrum illud ex sua actione an ex causa naturali secutum sit, ex eadem ratione ad nihil tenetur.

Ergo ad nihil tenetur, qui dubitat, utrum mors inimici ex veneno ei a se propinato an ex morbo secuta sit. Idem ad nihil tenetur, qui dubitat, utrum damnum, quod mercator reipsa passus est, ex calumnia a se prolata an ex alia causa ortum sit.

3. Si constat de damno et constat plures posuisse causam per se efficacem damni, sed dubium est, *ex cuius actione damnum secutum sit,* ita distinguendum videtur: *a.* si plures communi conspiratione egerunt aut saltem cum advertentia, qua cognoverunt plures simul causam damni ponere id ideo auctorem damni incertum fieri posse, damnum reparare tenentur: singuli enim sua agendi ratione causa sunt, cur incertum sit, quis damnum intulerit, et sic dominum iniuste impediunt, quominus compensationem exigere possit. *b.* Si singuli non praeviderunt sua agendi ratione auctorem damni posse fieri incertum, cum damnum nemini certo imputari possit, nemo pariter ad restitutionem tenetur.

Sic si duo glandem in alterius vaccam explodunt et una tantum in corpore occisi animalis reperitur, singuli tenentur ad partem damni reparandam, et altero deficiente alter ad totum tenetur, si, id quod raro accidit, praeviderunt se auctorem damni sic facere incertum. *S. Alphonsus* n. 657. coll. n. 562. contendit neminem teneri ad reparandum damnum, nisi morali certitudine constet ipsum fuisse causam damni: etenim ad inducendam obligationem restitutionis non sufficit ponere actionem iniustam, sed insuper requiritur, ut damnum ex ea certo secutum sit.

461. *Ad quid tenetur, qui dubitat, num debitum iam solverit?*

a. Si negative tantum dubitat, certe ad solutionem tenetur: debitum enim semel contractum solvendum est, nisi saltem solida ratio suadeat solutionem iam esse factam.

b. Si positive dubitat, ita ut pro utraque parte stet solida probabilitas, *creditor* certe solutionem sive privatim

sive per iudicem petere et solutionem sive sponte factam sive per iudicem sibi adiudicatam accipere et retinere potest: creditor enim iure petendi solutionem non spoliatur, nisi constet solutionem fuisse factam.

c. Num *debitor* sponte in conscientia solvere debeat, valde controvertitur: alii eum ad integram solutionem faciendam, alii ad partem pro rata dubii solvendam obligant, alii tandem a solutione facienda eum prorsus deobligant: obligatio enim dubia nulla est. Et sane aequalitas inter datum et acceptum, quam iustitia commutativa constituendam exigit, stante dubio constitui nequit, atqui nulla est ratio, ob quam potius creditor plus aequo accipiat quam debitor, supposito quod debitor non sit causa culpabilis incertitudinis[1]).

462. De errore in damnificatione. Qui damnum intulit *ex errore invincibili ignorans eius magnitudinem,* eatenus illud reparare debet, quatenus voluntarium erat, seu quatenus illud saltem in confuso praevidit; sed quoad damni partem, quam non apprehendit, damnum involuntarium ideoque theologice non est culpabile.

a. Qui ergo gemmam in mare proiicit ex invincibili ignorantia existimans esse vitrum, postea cognoscens verum eius valorem, non tenetur nisi de damno, quod cognovit. Quae solutio vera est, si de ignorantia invincibili certo constat; quodsi verum damnum aliquo modo, saltem in confuso, praevisum fuerit, id quod ordinarie contingit, totum reparandum est. Nisi enim error excessive magnus sit, aliquo modo praevisus est dicendus. Hinc qui aufert horologium putans esse aeneum, quod tamen postea deprehendit esse aureum, non excusatur ab integro horologii pretio restituendo[2]).

b. Qui volens occidere capram Pauli per errorem eius equum occidit, damnum caprae reparare debet. Nec admittenda est sententia eorum, qui docent nullam adesse obligationem restituendi, quia hoc damnum per accidens evenerit et proinde involuntarium sit.

---

[1]) Cf. *Waffelaert,* De iustitia (Brugis. Beyaert. 1886) II. n. 261. *De principiis*[8] n. 220.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* l. 3. n. 613; *Lugo* disp. 8. n. 63. *Carriére* n. 1151.

c. Qui domum incendit, totum damnum ex incendio illatum reparare tenetur, etsi eius magnitudinem distincte non cognovit: sufficit enim, quod praeviderit ex sua actione sequi damnum indefinite magnum. Illud solum damnum in hoc casu involuntarium dici potest, de cuius exsistentia ne suspicionem quidem habere potuit.

463. Celebris est quaestio, ad quid teneatur, *qui alicui nocere intendens ex errore invincibili alteri damnum intulit,* qui e. g. incendere volens domum Titii incendit domum Sempronii invincibiliter putans esse domum Titii.

a. Ex hypothesi error damnificantis est invincibilis: etenim si vel minimam suspicionem habet, rem, quam destruit, non esse illius, cui nocere intendit, eam sine dubio restituere tenetur.

b. Omnes concedunt quaestionem solvendam esse ex hocce principio: si damnum illatum est voluntarium ideoque formaliter iniustum, reparari debet; quodsi damnum dicendum sit involuntarium ideoque materialiter tantum iniustum, nulla exsistit obligatio restitutionis. Quaeritur ergo, num error iste impediat, quominus damnum censeri possit voluntarium.

c. Complures iique graves auctores huius sunt sententiae, nullum in hoc casu adesse obligationem restituendi[1]), non Titio, quia hic nullum damnum passus est, neque Sempronio, quia respectu huius actio damnificans est prorsus involuntaria.

Nam involuntaria est actio, cuius obiectum non apprehenditur; qui autem prorsus ignorans Sempronio damnum infert, non apprehendit se ius Sempronii laedere; ergo Sempronio involuntarie damnum infert. Aliis verbis: obligatio restitutionis non oritur nisi ex actione, quae sit formaliter iniusta in eum, cui damnum revera infertur; atqui haec actio in Sempronium non est formaliter, sed solum materialiter iniusta; ergo Sempronio nihil est restituendum.

d. Nihilominus damnificator in hoc casu *theoretice* ab obligatione restitutionis excusari nequit: nam omnes conditiones adsunt, quae ad inducendam obligationem resti-

[1]) Huius sententiae est *Lugo* (disp. 17. n. 77 s.), quem sequitur *s. Alphonsus* (n. 629) cum suis et inter recentes *D' Annibale* (II. n. 232) et *Génicot* (I. n. 522).

tuendi requiruntur: actio iniusta, damni efficax et theologice culpabilis, neque error circa personam impedire potest, quominus actio quoad substantiam sit voluntaria et obligationem restitutionis inducat.

Sane α. Etsi damnificans huic personae damnum inferre non intendit, voluit tamen rem alienam destruere; eo ipso autem in se suscepit onus restituendi rem destructam: etenim sicut actio damnificans verum continet peccatum contra iustitiam commutativam, etsi damnificator erret in persona, quam laedit, ita ex eadem actione oritur obligatio restituendi, quae cum voluntaria laesione damnosa iustitiae commutativae semper connexa est. Iam si quaeritur, *cui* reparandum sit damnum, dicendum est domino laeso, etsi ei damnum inferre explicite non intendit. Qui enim rem alienam destruit, quam erronee putat esse huius domini, quoad dominum duplicem intentionem habet: explicitam putativum et implicitam verum rei dominum laedendi; sed detecto errore nulla est obligatio quoad dominum putativum, manet autem obligatio quoad verum rei dominum. β. Concordat sensus hominum communis: nemo, qui theologorum hac de re controversiam ignorat, eiusmodi damnificantem ab onere restituendi deobligat, quia omnibus a natura insita est haec persuasio: qui advertenter damnum infert, illud reparare tenetur, etsi personam damnificatam ignoret vel circa eam erret[1]). γ. Si quis tamen per errorem occidit Petrum volens occidere Paulum, et si damnum involuntarie occiso reparandum longe maius est quam damnum reparandum Paulo, ad totum reparandum teneri non videtur (n. 462).

e. Attamen si quis innixus auctoritati theologorum et praesertim *s. Alphonsi* iuxta sententiam contrariam sibi informare potest conscientiam illamque sequi intendit, *practice* ad restitutionem faciendam obligari nequit.

Articulus tertius.

De quibusdam damnificationibus in specie.

§ 1. De damnificatione in bonis spiritualibus.

464. Obligatio restituendi. Hoc loco opportuna se offert occasio agendi etiam de obligatione restituendi ob

[1]) *Ballerini-Palmieri* III. n. 441. *Lehmkuhl* I. n. 977. *Marres* l. 2. n. 69. *Vermeersch* n. 165.

damnum in bonis spiritualibus illatum. Bona *spiritualia* intelliguntur non solum *supernaturalia,* quae ad aeternam salutem animae conducunt, sed etiam *naturalia* ut scientiae et artes, usus rationis et liberi arbitrii. Ad bona supernaturalia pertinet etiam bonum status sacerdotalis et religiosi.

Asserta. 1. Qui medio iniusto (fraude, mendacio, vi. metu incusso) alteri infert damnum spirituale, vel alterum impedit a consecutione boni spiritualis, damnum illatum reparare tenetur, si in eodem ordine reparari potest: quilibet enim ius habet exigendi, ne medio iniusto sibi malum inferatur.

a. Qui ergo alium fraude vel metu incusso *induxit ad peccatum,* ex iustitia tenetur eum revocare, si per se in pristinum statum redire non potest. Quodsi per se id potest, sed non facit, damnificator ad nihil tenetur: cum enim damnificatus voluntarie in malo perseveret, hoc ipso damnificatori iniuriam remittere censetur.

b. Qui alium fraude induxit in *errorem practicum,* ex quo aliud malum sequi potest e. g. quod non sit restituenda fama proximo iniuste ablata, tenetur revocare errorem et compensare damna exinde orta et aliquo modo praevisa.

c. Qui alium fraude induxit in *errorem speculativum* e. g. non esse purgatorium, gravem iniuriam generatim non committit, nisi error versetur circa praecipua dogmata fidei, vel errores sint multi magnique momenti.

d. Qui alium veneno aliisve mediis illicitis *privat usu rationis, memoria, libero arbitrio,* iustitiam laedit, ad restitutionem autem non tenetur ob ipsum hoc damnum spirituale illatum, quia in eodem ordine reparari nequit, tenetur autem reparare damnum temporale, si quod passus est is, qui usu rationis privatus est. — Idem dicendum est, si quis alium vi, metu, fraude a studio literarum vel artium avertit aut scientia vel arte acquisita uti non sinit.

2. Qui absque medio iniusto alteri infert damnum spirituale, vel eum impedit a consecutione boni spiritualis, non tenetur ex iustitia, sed solum ex caritate damnum illatum reparare, si potest: ubi enim non irrogatur iniuria, nulla habetur obligatio restitutionis.

Qui pravo exemplo vel suasione alium inducit ad peccatum, solum ex caritate non autem ex iustitia eum revocare tenetur[1]).

---

[1]) Cf. de hac re *Lugo* disp. 9. n. 1 ss. *Elbel-Bierbaum,* Theologia moralis II. pr. 6. n. 180—205.

§ 2. De damnificatione propter homicidium.

465. Praenotiones. *a.* Patet ex solo *homicidio voluntario* et *iniusto* obligationem restitutionis oriri; qui ergo alterum casu vel defensionis causa occidit, ad nihil tenetur.

b. Quod hic de homicidio statuitur, idem servata proportione valet etiam de damno per *mutilationem* aut *vulnerationem* illato.

c. Obligationes homicidae transeunt ad ipsius *heredes,* quia sunt obligationes reales eius bonis inhaerentes; et pariter restitutio, quae ipsi occiso fieri non potest, debetur eius *heredibus,* nisi obtenta sit condonatio, quia heredes in omnia occisi iura succedunt.

Remissio iniuriae, quam moribundus occisori concedit, per se non est condonatio damnorum seu restitutionis. Pari modo si occisor a iudice punitur, hac poena non exstinguitur obligatio reparandi damna heredibus.

d. Homicidio occisor *duplex genus debitorum* contrahit, alia erga occisum propter damnum ipsi occiso illatum, alia erga personas cum occiso aliquo modo coniunctas propter damnum, quod ex homicidio illis personis secutum est.

Personae cum occiso aliquo modo coniunctae sunt: *uxor, filii, parentes, consanguinei et affines, amici, pauperes,* quibus occisus benefacere solebat, et *creditores.* Damna autem, quae his personis cum occiso coniunctis obveniunt, in eo consistunt, quod privantur bonis, quae ipsis sive gratuito sive ex debito ab occiso conferebantur vel conferri sperabantur, ut debita sustentatio filiis, eleemosynae pauperibus, solutio creditoribus.

e. Restitutionem damnorum, quae homicida intulit ipsi occiso, occisus *condonare* potest; restitutionem autem damnorum, quae homicida intulit *personis cum occiso coniunctis* (sive heredes sunt sive alii), occisus condonare non potest, quia aliena iura remittere nequit[1]).

466. Obligatio restituendi. 1. Occisor reparare debet omnia *damna temporalia,* quae ex occisione ipsi occiso ante eius obitum obvenerunt.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 11. n. 63. 64.

a. Ergo reparari debent expensae (necessariae, non item superfluae) pro curatione, damnum emergens vel lucrum cessans ortum ex omisso labore vel ex omissa negotiatione tempore infirmitatis.

Lucrum cessans, quod ipsi laeso, si vivat, compensandum est, non est ea quantitas, quam lucratus fuerat, antequam infortunium ei accidit, sed multo minor, „quia, ut notat *Lugo*, agitur de lucro non in re habito, sed in spe; lucra vero in spe minus valent propter pericula et impedimenta, quae evenire possunt; maxime vero incerta sunt lucra ex negotiatione." Praestat cum laeso hac de re transactionem inire, quia quantitas damni determinatu valde difficilis est.

b. Reparari non debent expensae factae pro *funeralibus*, quae pariter fieri debuissent, si morte naturali occubuisset: nec pro *damnis corporalibus*, nempe pro doloribus toleratis vel pro membro amputato vel pro ipsa vita amissa ex iustitia commutativa quidquam restituendum est, quia restitutio fieri non debet in alio genere bonorum, nisi per sententiam iudicis iniuncta fuerit.

2. Reparari debent damna illis *personis* illata, quae occiso adeo coniunctae sunt, ut occisio sit illorum damnorum *causa per se*, et non solum occasio vel causa per accidens.

a. Ad has personas pertinent uxor, filii et parentes[1]), quibus ab occiso debita erat sustentatio: damnum enim illorum, quibus ex pietate debita est sustentatio, ex occisione patrisfamilias sequitur per se, quia unam veluti personam cum eo constituunt, et ideo damnum ex occisione proxime et necessario consequitur.

α. Ut occisor occisi coniunctis restituere debeat, non sufficit, quod sustentatio iis ex pietate debita sit, sed requiritur, ut eam ab occiso revera acceperint: si enim sustentationem ab ipso non acceperunt, sive quia occisus ob impotentiam eam praebere non potuit, vel ob malitiam praebere noluit, sive quia propter abundantes divitias labori pater non incumbebat, ex occisione damnum reipsa non sunt passi[2]). Quin etiam in eo casu, quo familiae occisi post eius mortem aliter providetur, ex eadem ratione restitutio eis non debetur.

---

[1]) Ex C. A. § 1327 solum uxor et filii.

[2]) *S. Alphonsus* n. 631.

β. Quantitas restitutionis, quae his personis debetur, non est totum id, quod ante mortem occisi accipere consueverant vel ad quod ius haberent, sed determinanda est iuxta spem sustentationis. Haec spes autem aestimanda est ex condicionibus personae occisae, scilicet quamdiu adhuc vixisset et quantum pro sua peritia et sedulitate lucrata fuisset[1]). Attamen propter difficultatem determinandi quantitatem damni ab occisore reparandi practice plerumque licebit sequi sententiam in se parum probabilem, quae tenet occisi coniunctis restituendam esse sustentationem, quam ab occiso accipiebant, quamdiu aliunde non habent, unde sustententur[2]).

Si viduae occisi providetur pensione ex aerario publico soluta, ipsa aut nullum aut parvum damnum patitur; ideo aut nulla aut parva tantum restitutio ei debetur. In rigore iuris aerario publico facienda esset restitutio. Verum aerarium publicum, et idem dicendum de societate assecurationis (vitae), obligationem reparandi damnum sibi illatum fortasse non urgent: de eiusmodi enim casibus, etsi praevisis, in eorum statutis nihil est cautum.

b. Ad has personas non pertinent α. *pauperes* vel causae piae, etsi ab occiso eleemosynam certo accepissent; β. nec *consanguinei* alii praeter supra nominatos: damna enim illorum, quibus bona ex mera liberalitate occisi obveniebant, ex occisione non sequuntur per se, sed *per accidens,* quia non constituunt moraliter unam personam cum occiso, et ideo damnum remote tantum sequitur.

467. Num occisor reparare debeat damna, quae **creditoribus occisi** ex homicidio obvenerunt, seu num *solvere debeat occisi debita.*

a. Duo imprimis certa sunt, homicidam non teneri creditoribus solvere debita occisi, quae nullo modo praevidit, ut patet, deinde ipsum restituere debere damna, quae creditoribus inferre ita directe intendit, ut damnum creditorum sit unica causa occisionis: haec enim intentio efficit, ut occisio fiat causa damnorum illorum directe voluntaria ideoque causa per se.

b. Damna, quae creditoribus occisi obveniunt, *sed non intenduntur, practice* occisor reparare non tenetur, quia illa

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 11. n. 42. ss.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 631.

aut non praevidit aut, etsi ea praevidisset, illorum est causa per accidens: quod enim ex aliqua actione raro aut remote tantum sequitur, ex ea per accidens evenire dicitur.

Theoretice disputant, utrum occisor horum damnorum sit causa per se an per accidens. Qui occisionem dicunt damnorum causam per se, consequenter homicidam obligant ad reparanda damna, si ipse praevidit occisum certam spem habuisse satisfaciendi creditoribus, quia hi ius habent, ne a consequendo bono suo iniuste impediantur.

468. Qui alium occidit in duello, *ad restitutionem non tenetur,* etsi fuerit provocans, neque erga occisum neque erga coniunctos occisi, excepto casu, quo occisus solum ad grave damnum vitandum acceptasset. Ratio *primi* est, quia libere acceptando duellum in damna sibi inferenda implicite consentit et consentiendo remittit occisori obligationem illa damna reparandi; ratio *secundi* est, quia in duellum consentiens ipse suo consensu causa est, ne illa damna iniuste inferantur; ratio *tertii* est, quia provocans, vi et metu alterum coëgit, ut se exponeret periculo.

a. In damna, quae proxime coniunctis inferuntur, occisus eatenus quidem consentire non potest, ut obligatio ea reparandi remittatur, quia solum suis, non autem alienis iuribus cedere potest. Nihilominus occisor obligari nequit ad damna coniunctorum reparanda. Eatenus enim ea reparare teneretur, quatenus occisio esset iniusta sive adversus occisum sive adversus familiam eius. Atqui consensus occisi efficit, ut occisio non sit iniusta neque adversus occisum neque adversus occisi familiam. Non adversus occisum, quia scienti et volenti non fit iniuria; non adversus occisi coniunctos: hos enim impedivit a consequenda sustentatione, et quoniam sustentatio eis non ex iustitia sed ex pietate debetur, occisio relate ad familiam eatenus esset iniusta, quatenus eam per iniustam vim impedivisset ab obtinenda sustentatione; atqui cum occisus in sui occisionem consentiat, occisor non per vim iniustam a consequenda sustentatione familiam impedivit[1]).

b. Cum hodie non raro accidat, ut ad duellum provocentur, qui illud religionis causa non acceptaturi et proinde officio suo cum magno suo damno privatum iri praevidentur, quaeritur, num provocantes hoc damnum reparare teneantur. Atqui provocatio atque duelli reiectio con-

[1]) *Lugo* disp. 11. n. 71. 72. *Bucceroni,* Casus consc. n. 82. 6°.

stituunt occasionem damni, non eius causam, quam constituit sententia tribunalis honoris (Ehrengericht), vi cuius ab officio dimissus damnum incurrit. Ex eo vero, quod provocans damnum praevidit, quin et intendit, provocatio, quae ex se est occasio, non fit causa efficax damni. Quare provocans damnum reparare non tenetur.

§ 3. De damnificatione propter stuprum vel fornicationem[1]).

Obligationes stupratoris aliae referuntur ad virginem oppressam, aliae ad prolem forte susceptam; et obligationes erga virginem aliae sunt, si stuprator matrimonium ei promisit, aliae, si matrimonium non promisit. Obligationes erga virginem laesam stuprator contrahit, quia virgo (id quod ad verum stuprum requiritur) vi ac violentia oppressa fuit: etenim fornicator, qui peccatum consentiente virgine committit, si excipias prolem, ad nihil tenetur, neque erga virginem, quia volenti et consentienti nulla irrogatur iniuria, neque erga parentes eius, quia parentibus eatenus tantum fit iniuria, quatenus iniuria filiae minorenni illata in parentes redundat; filiae autem consentienti nulla irrogatur iniuria; ergo in parentes nulla redundat.

469. Erga virginem. 1. *Si stuprator matrimonium non promisit,* tenetur reparare omnia damna, quae ex peccato virgini obvenerunt, quia horum ipse est causa efficax et iniusta. Haec autem damna duplici modo reparare potest, aut eam uxorem ducendo, aut ei dotem praebendo vel aliter curando, ut aeque bene nubere possit ac nupsisset, si violata non fuisset; et si ideo nubere non potest, eam sustentare debet.

a. Mulier tamen stupratorem, qui se in coniugem offert, accipere non tenetur, nisi ultro velit: nam aequitati prorsus repugnat, ut, quae per stuprum iniuriam passa est, insuper amittat libertatem, cui vult, nubendi; quare si ipsa stupratori nubere recusat, eam dotare debet.

b. Stuprator virginem, quae recusata dote matrimonium exigit, ducere non tenetur: nam solum damnum per stuprum illatum reparare tenetur, hoc autem reparatur eam ita dotando, ut aeque bene nubere possit.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 12. n. 1—37.

2. *Si matrimonium promisit,* adeo ut copulam per matrimonii promissionem obtinuerit, vi contractus promissionis, etsi ficte promiserit, eam ducere debet, exceptis hisce casibus: α. si timendum est matrimonium infaustum, ut si inter ipsos magna est status (non solum divitiarum) inaequalitas; β. si virgo facile advertere potuit promissionem non fieri serio; γ. si parentes rationabiliter dissentiunt.

3. Pro *bono virginitatis* ablato nihil restituere debet, quia virginitas bonis fortunae compensari nequit. Ideo si stuprum mansit occultum, adeo ut mulier praeter iacturam virginitatis nullum aliud passa sit damnum, stuprator ad nihil tenetur.

470. Erga prolem. Si ex copula proles nascitur, tenetur *stuprator:*

a. Solvere expensas partus;

b. Prolem alere i. e. solvere sumptus pro victu, vestitu, habitatione et educatione, idque ipse solus, quia solus est causa peccati.

c. Prolem agnoscere et per subsequens matrimonium legitimare; quae tamen obligatio solum caritatis seu pietatis est, ideoque non urget cum gravi incommodo.

471. Obligationes fornicatoris: *a.* Fornicator ad partus expensas solvendas non tenetur, si mater eas ferre potest, quia mater in peccatum libere consensit.

b. Onus alendi prolem ex iure naturae utrique parenti incumbit.

Quantitatem, quam unaquaeque pars ad alendam prolem conferre debet, communi consensu statuere possunt. Quodsi pater renuat conferre partem suam, mater adire potest iudicem: lex enim civilis onus alendi prolem illegitimam saltem ex parte viro fornicatori tribuit, excepto codice gallico, qui hoc onus soli matri iniungit.

c. Si mulier duos amatores admittit et cum utroque peccat, ita ut ignoretur, quis prolis sit pater, per se neuter tenetur prolem alere (excepto casu sane raro, de quo in n. 460), quia mulier causa est, cur de patre non possit constare.

Si tamen lex civilis cuilibet viro fornicatori, qui prolis potest esse pater, in poenam delicti onus iniungit alendi prolem, mulier ab utrolibet solutionem per iudicem exigere potest: eiusmodi enim lex nequit dici iniusta, tum quia in favorem prolis lata est, tum quia uterque fornicator actum, quo prolis pater fieri potuit, reipsa posuit[1]). Ubi autem lex civilis hoc ius mulieri non tribuit, ipsa iniuste agit et ad restitutionem tenetur, ubi alterutrum virum pro arbitrio tamquam patrem prolis denuntiat, huius rei certitudinem non habens, cum ipsa sit incertitudinis causa.

§ 4. De damnificatione propter adulterium.

Quaeritur: *a.* quis damna ex adulterio orta reparare debeat; *b.* quae damna reparanda sint; *c.* quomodo reparanda sint.

472. Quis damna reparare debeat. 1. Si ex adulterio nulla proles nascitur, adulteri ad nihil tenentur excepto casu, quo marito adulterium innotescit: cum enim marito per adulterium irrogatur iniuria, haec pecunia quidem compensari nequit, at per satisfactionem reparari debet.

2. Si ex adulterio proles nata est, et mulier vi ad consensum adacta fuit, adulter solus omnia damna, quae ex adulterio sequuntur, reparare debet.

3. Si mulier libere in adulterium consensit, uterque in solidum damna ex adulterio orta reparare tenetur.

4. Si maritus in adulterium consensit, cessat obligatio restituendi, dummodo heredes necessarii non priventur parte legitima[2]).

5. Si uxor adultera *dubitat,* utrum proles sit mariti an adulteri, nulla restitutio facienda est: proles enim praesumitur legitima, nisi de contrario certo constet, ex noto adagio: *pater est, quem nuptiae demonstrant.*

6. Quodsi proles certo est adulterina et dubium est, quis ex pluribus adulteris, quos mulier admisit, eius pater

---

[1]) Cf. C. A. § 163, ubi praesumitur pater, qui tempore apto ad matrem accessit; econtra C. G. § 1717 eiusmodi matri omne ius negat.

[2]) Cf. *D'Annibale* II. n. 281.

sit, nullus ad reparanda damna tenetur, excepto casu, quo singuli noverint mulierem plures admittere et adverterint se hac agendi ratione impedire, ne cognoscatur, quis prolem alere debeat, et proinde ne mulier obtineat id, ad quod ius habet.

Antiquorum quorundam sententia affirmans utrumque adulterum ad alendum prolem teneri nulla ratione fulcitur, cum nemo reparare debeat damna, quorum ipse non est causa certa[1]).

473. Quae damna reparanda. 1. Omnis fere difficultas evanescit, si proles spuria a familia separari et extra familiam ali atque educari potest; ideo si hoc facile fieri possit, curandum est, ut fiat.

2. Quod si fieri non possit: *a.* adulter reparare debet *expensas* partus et educationis, quas maritus fecit; *b. detrimenta,* quae alia familiae membra patiuntur, eo quod spurius aeque atque alii hereditatem paternam accepit: haec enim damna ex adulterio sequuntur *per se.*

3. Si spurio a consanguineis, qui eum legitimum putant, quidquam legatur vel donatur, ab adultero quidem restitui non debet, quia hoc damnum ex adulterio *per accidens* sequitur.

4. Patet filium spurium, qui suam condicionem cognoscit, nec hereditatem paternam nec dona sibi unice tamquam legitimo facta retinere posse, quia donatio utpote ex errore procedens nulla est, nisi sit parvi momenti vel intuitu personae facta.

474. Quomodo reparanda. 1. Mulier adultera crimen suum manifestare non tenetur, nec marito, ne spurio quidquam tribuat, nec spurio, ut ipse restituat: *a.* quia manifestatio fieri non potest absque gravissimis malis a restitutione excusantibus scilicet odio et tristitia mariti, discordiis domesticis, gravi infamia; *b.* quia manifestatio inutilis est:

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 13. n. 19. *S. Alphonsus* n. 658.

filius enim non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, cum non teneatur credere uni testi[1]).

2. Mulier tamen adultera aliis modis damna reparare tenetur: diligentius laborando, industrius rem domesticam administrando, proprios sumptus minuendo, si propria bona habet, in favorem legitimae prolis de iis disponendo.

3. Si adulter restitutionem absque gravissimo incommodo (periculo vitae, detrimento famae, discordia familiarum) facere nequit, ab ea facienda excusatur.

§ 5. De damnificatione propter laesam legem militiae.

475. Ob negatam militiam. 1. Qui mediis illicitis e. g. mendaciis, fictis morbis, mutilatione militiae *se subtrahunt,* etiam supposita obligatione legis in conscientia, *a.* certe non agunt contra iustitiam commutativam nec ad restitutionem tenentur, ubi omnes ad militiam vocantur: nullius enim iura laedunt: non societatis, quae solum ex iustitia legali ad servitium militare obligat, non aliorum, qui ex hac agendi ratione nullum damnum patiuntur. *b.* Sed neque ad restitutionem tenentur, ubi determinatus numerus tantum ad militiam assumitur, sive ante sive post sortitionem se subtrahunt, quia eorum agendi ratio adversus eos, qui ipsorum loco vocantur, nec iniusta est nec efficax damni.

Non iniusta, quia solum ex iustitia legali militare tenentur et proinde stricta iustitiae obligatione non tenentur aliorum damna impedire, nec alii ius habent manendi a militia immunes. *Non efficax damni:* etenim agendi ratio iuvenum occasio, et lex conscriptionis causa est, cur alii eorum loco assumantur.

2. Qui medicos aliosve officiales pecunia vel aliis largitionibus *corrumpunt,* ut ab eis inepti declarentur, etsi nullo defectu laborent, contra iustitiam commutativam agunt aeque ac medici et officiales et ad restitutionem te-

[1]) Cf. *Lugo* disp. 12. n. 62. Haec sententia inter doctores est satis communis, neminem scilicet teneri credere uni testi etsi fidei sit nullatenus suspectae: id enim lex positiva (apud *s. Alphonsum* n. 651) in bonum commune statuit ad praecavendas hominum fraudes.

nentur, non quidem erga rempublicam, quae damnum non patitur, sed erga eos, qui ipsorum loco ad militiam vocantur. Cum enim medici aliique officiales, vi muneris teneantur reiectis solis ineptis aptos eligere, omnes strictum ius habent ab iis exigendi, ut munere suo rite fungantur.

a. Qui medicos corrumpunt: etenim qui solum eorum benevolentiam sibi conciliare studeat, ut in dubio de idoneitate in ipsorum favorem sententiam dicant, illicite non agunt.

b. Contra communem aliorum sententiam dubium movet *Lehmkuhl* (n. 888), utrum medici et officiales ex iustitia commutativa an ex iustitia legali teneantur rite i. e. iuxta leges fungi officio suo. Qui hanc sententiam probabilem iudicat, item qui legem conscriptionis probabiliter existimat iniustam, iuvenes corrumpentes et medicos corruptos ab obligatione restituendi erga militem substitutum excusare potest.

c. Si illi, qui lege ecclesiastica (divina) vel naturali a servitio militari exempti sunt (n. 319), fraudibus utuntur vel medicos corrumpunt, ut militiae inepti declarentur, ad restitutionem non tenentur, quia prosequuntur ius suum: eatenus autem peccant, quatenus id faciunt mediis illicitis.

d. Erga *rempublicam* ad restitutionem non tenentur, ne in casu quidem conscriptionis universalis. Etsi enim respublica strictum ius habeat exigendi a medicis, ut omnes iuvenes non ineptos ad militiam assumant, attamen nec de materia gravi agitur nec verum damnum patitur respublica, eo quod inter tantos unus alterve indebite eximatur. Inde etiam fit, ut hoc munus non ita rigorose interpretari soleant, ut alia munera publica.

3. Qui mercede accepta pro alio militat et militiam deserit, tenetur ad restitutionem erga eum, a quo pretium acceperat, si hic aut ipse militiam subire aut alium conducere cogitur.

Si ille, qui desertorem conduxerat, nullum damnum patitur, desertor ad restitutionem obligari non potest: ille enim, qui desertorem conduxerat, aliud exigere non potest, nisi ut ipse liber sit ab onere militari, non autem ut alter revera pro ipso militet.

§ 6. De damnificatione propter defraudata tributa.

476. Obligatio restituendi. 1. Quaestio, num fraudantes tributa teneantur ad restitutionem, significat, num

teneantur postea supplere solutionem omissam, num ergo lex tempore determinato non observata elapso tempore adhuc obliget. Cum non sit obligatio solvendi tributa indirecta, quaestio refertur ad *tributa directa*.

a. Qui leges tributorum *leges poenales* dicunt, consequenter quamcunque obligationem restitutionis negant, nisi solutionem poenae iniunctae in casu, quo punita fuerit defraudatio, restitutionem vocare placeat.

b. Qui docent leges tributorum in conscientia et quidem *ex iustitia commutativa* obligare, consequenter affirmant etiam obligationem restitutionis i. e. ex eadem iustitia commutativa reipublicae solvendum esse tributum defraudatum.

c. Qui tandem docent leges tributarias in conscientia obligare *ex iustitia legali*, quaerunt de obligatione postea solvendi tributum, quod antea solutum non fuerat; quaerunt ergo, num legi tributorum, quae suo tempore servata non est, postea adhuc satisfaciendum sit. Iam vero ad postea solvenda tributa fraudantes non tenentur, nisi per sententiam iudicis ad id obligentur.

Neque dicatur fraudantes integrum tributum alios cives cogere, ut plus solvere debeant: ex quorundam enim defraudatione non augentur aliorum tributa, quia tanta est copia tributorum, ut ea, quae solvuntur, reipublicae sufficiant; si tamen ostendi posset, aliis ideo plus esse solvendum, ab eo, qui tributum non solvit, iustitia commutativa laederetur; id autem vix unquam ostendi poterit.

2. Ad restitutionem tenentur illi fraudatores, qui pacto expresso vel tacito cum exactoribus inito, vi vel fraudibus utuntur, ut solutionem tributorum declinent. Etenim medio iniusto impediunt rempublicam, quominus iustum tributum obtineat, et proinde etiam cives, quominus bono libertatis a solvendis amplioribus tributis gaudeant.

Notandum est discrimen inter tributum, quod lege praeceptiva, et tributum, quod lege poenali imponitur. Ad evitandam huius solutionem is solum medium iniustum adhibet, qui vi vel pacto, non autem, qui mendaciis vel periuriis utitur: in hoc enim casu fiscus non habet ius in tributum, sed solum ius occupandi tributum; quare medium, quod versatur circa bona tributo obnoxia (occultatio, mendacium) non est iniustum, sed solum medium, quod versatur circa personam occupantem tributum (vis, pactum). Simili modo pauperi in extrema necessitate exsistenti non infert iniuriam, qui bona sua mendaciis occultat, sed solum is, qui impedit occupare volentem bona, quibus indiget.

3. Exactores ad restitutionem *tributi* tenentur, si exactionem culpabiliter negligunt: ad ea enim exigenda ex officio obligantur; at non tenentur ad restitutionem *mulctae*, quae defraudantibus imposita fuisset, si exactores eos indicassent, quia eis non incumbit officium curandi, ut fiscus mulctam accipiat.

Restitutio, quae ob defraudata tributa sive ab exactoribus sive a civibus debetur, non est facienda reipublicae, quae ideo damnum non patitur, sed fieri potest pauperibus vel in communem utilitatem aliquid contribuendo.

Quaestio quarta.

De restitutione ob iniustam cooperationem.

Articulus primus.

De iniusta cooperatione in genere.

477. Praenotiones. *Cooperatio* in genere est concursus cum alio operante. Prout hic accipitur, est concursus cum alio iniuste damnum inferente; *cooperans* ergo dicitur, qui cum alio est causa damni iniusta.

a. Cooperatio haec aut positiva aut negativa est: *negativa* consistit in omissione actionis ex iustitia debitae ad damnum impediendum; *positiva* consistit in actione, qua cum alio iniuste damnum infertur; utraque physica et moralis esse potest.

b. Cooperatio *positiva moralis* in voluntatem damnificantis influit; *physica* cum actione damnificantis concurrit seu damnificantem in damno inferendo adiuvat. Cooperatio *negativa moralis* consistit in omissione actionis ex iustitia, debitae, qua damnum per influxum in voluntatem damnificantis impediri debet, ut si quis omittit consilium. vel mandatum, quo alium a damno inferendo avertere potest et debet; cooperatio *negativa physica* consistit in omissione actionis, qua per influxum in actionem damnificantem damnum impediri potest, ut si custos furem non abigit.

c. Haec cooperatio ab ea, de qua supra (n. 116 ss.) sermo erat, eo differt, quod hic agitur α. de cooperatione ad peccatum contra iustitiam, supra de cooperatione ad peccatum contra quamcunque virtutem; β. de cooperatione formali, ex qua oritur obligatio restitutionis, supra de cooperatione formali et materiali; γ. de cooperatione quacunque, sive cooperans est causa aeque principalis sive secundaria, supra de cooperatione cum altero principaliter agente.

478. Obligatio restitutionis. 1. Iniusta cooperatio *inducit obligationem restitutionis:* etenim est causa damni iniuste illati saltem partialis, sive cooperatio positiva sive negativa fuit[1]).

Ergo etiam cooperatio negativa, qua non impeditur damnum alterius, quod ex iustitia impediri debuisset, inducit obligationem restitutionis. Impedire damnum aliorum per se quidem ad caritatem pertinet aeque ac conservare et promovere aliorum bonum, quia iustitia commutativa id solum exigit, ne aliorum iura violemus neve eis damna inferamus; per accidens tamen, scilicet ex contractu vel ex officio seu quasi-contractu, adesse potest obligatio iustitiae procurandi aliorum bonum et impediendi aliorum damna.

2. Ut iniusta cooperatio obligationem restitutionis inducat, hae *condiciones requiruntur:* ut ea sit vere iniusta, damni efficax et theologice culpabilis: etenim actio, qua proximo damnum infertur, solum sub hac triplici condicione obligationem restitutionis inducit (n. 454).

Ergo nulla exsistit obligatio restituendi, si actio cooperantis nihil in damnum influxit, id quod in *cooperatione morali* plerumque tum locum habet, ubi damnificans ex se et independenter a cooperante ad damnum inferendum iam determinatus est.

479. Diversi modi cooperationis his versibus continentur:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans[2]).

Horum novem modorum alii exhibent cooperationes *negativas,* (mutus, non obstans, non manifestans), alii cooperationes *positivas,*

---

[1]) Ideo damnata est ab *Innocentio XI.* propositio 39: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

[2]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 62. a. 7.

et quatuor quidem (iussio, consilium, palpo, recursus) exhibent cooperationes *morales,* duo vero (consensus et participans) cooperationem *physicam.*

Patet cooperationes morales esse todidem inductiones ad peccatum, physicas vero ad illam cooperationem pertinere, de qua supra (n. 116 ss.) sermo erat.

Articulus secundus.

De mandante.

480. Declarationes. 1. *Mandans* (iubens) hoc loco intelligitur is, qui aliquem inducit, ut suo nomine alteri damnum inferat.

a. Nihil refert utrum mandatarius gratis an pro mercede negotium gerendum suscipiat, dummodo mandantis nomine agat. Pari modo nihil refert, utrum mandans mandatarii superior sit, qui huic pro sua auctoritate negotium gerendum iniungit, an vero mandatario sit aequalis: de ratione enim mandati solum est, ut mandatarius nomine mandantis agat.

b. Mandans est *causa* damni *principalis* et primaria; mandatarius seu exsecutor est eius causa instrumentalis et *secundaria.*

2. Ut mandatum obligationem restitutionis inducat, debet esse vera *causa damni illati;* causa autem damni illati est, si in voluntatem mandatarii vere influit.

a. Ergo approbatio vel ratihabitio actionis damnificantis post exsecutionem facta non est mandatum; approbatio autem vel ratihabitio ante exsecutionem facta aequivalet mandato, si in damnum influit.

Si quis ergo propositum in tuum favorem alteri damnum inferendi tibi manfestat, illud reparare teneris, si non contradicis, ubi absque difficultate contradicere potes, quia tacite approbando in damnum influxisse censeris; si quis autem te inscio in tuum favorem alteri damnum infert, illud reparare non teneris[1]).

b. Mandatum diversis modis dari potest: α. ratione *mandati* vel ineundo contractum sive gratuitum sive onerosum, vel sine contractu: imperio, precibus, approbatione; β. ratione *modi* expresse vel tacite, ut si quis aliquo signo ostendit sibi gratum fore, si damnum inferatur.

---

[1]) Cf. *Vogler* n. 283.

481. Obligationes mandantis erga damnificatum hoc principio continentur: mandans reparare debet omnia damna, quae mandatarius vi mandati intulit: horum enim ipse est causa efficax. *Vi mandati* inferri censentur non solum ea damna, quae expresse in mandato continentur, sed etiam ea, quae in exsequendo mandato difficulter vitari poterant.

1. Damna, quae mandatarius ex errore invincibili, non item damna, quae ex errore vincibili (quem moraliter vitare potuit) intulit, mandans reparare tenetur, quia in illa, minime vero in haec efficaciter influit mandatum.

2. Damna, quae mandatarius infert *excedendo* limites mandati, mandatarius reparare tenetur, quia ipse solus eorum causa est. Neque, si mandans ea postea rata habeat, ideo ipse fit eorum causa efficax.

Ad quid tenetur mandans, si mandatum revocavit?

a. Si mandati revocatio mandatario innotuit ante eius exsecutionem et mandatarius nihilominus damnum infert, ad nihil tenetur: per revocationem enim cessat mandantis influxus in damnum.

b. Si mandati revocatio mandatario ex quacunque causa inculpabili non innotuit, sive quod nuntius ob temporis angustias ad eum pervenire non potuit, sive quod casu delatus non fuit, ad reparandum damnum tenetur: reipsa enim mandatum est causa damni.

c. Si mandati revocatio mandatario non innotuit, quia causa libera culpabiliter id impedivit, impediens ad reparandum damnum tenetur: iste enim eius causa exsistit.

482. Obligationes mandantis erga mandatarium his continentur: mandans reparare debet damna mandatario in exsecutione mandati obvenientia, quorum ipse est causa efficax et iniusta.

1. Si mandatarium vi, fraude vel gravi metu adegit ad mandatum exsequendum, reparare tenetur omnia damna ei in exsecutione obvenientia, quae aliquo modo saltem confuse praevidit: horum enim ipse est causa efficax et iniusta; *iniusta* quidem, quia mandatarium vi compellendo iniuriam ei intulit, *efficax* vero, quia damna aliquo modo praevisa ex mandato per se consequuntur. Damna autem,

quae praevidere non potuit, reparare non tenetur, quia eorum est solum causa per accidens.

Hinc si gravibus minis iussus patrare furtum ad carceres condemnatur, damnum exinde ortum mandans reparare tenetur: iste enim effectus utpote non improbabiliter cum actione nexus ex actione per se sequitur. Quodsi iussus patrare furtum ex equo decidit et brachium frangit, damnum exinde ortum mandans reparare non tenetur: iste enim effectus, utpote possibili solum nexu cum actione coniunctus, ex actione per accidens sequitur.

2. Si mandatarius sponte vel mercede conductus mandatum suscipit, mandans damna in exsecutione ei obvenientia reparare non tenetur, quia ipse horum non est causa nec iniusta nec efficax: mandatario enim, qui libere actionem suscepit, a mandante nulla infertur iniuria; insuper ipse est causa omnium effectuum actionis suae, quam libere suscepit.

Nota. *Iubens,* prout a mandante distinguitur, dupliciter ab eo differt: *a.* Iubens mandatarii superior est atque pro sua auctoritate ei actionem iniungit; *b.* iubens mandatario reparare tenetur omnia damna, quae in exsecutione mandati passus est et quae iubens probabiliter praevidere poterat.

Articulus tertius.

De consulente.

483. Praenotiones. *Consulens* dicitur, qui suasione sua alium movet ad damnum proximo inferendum.

a. Consulens a mandante eo *differt,* quod mandatarius nomine mandantis, exsecutor consilii autem non consulentis, sed proprio nomine et ordinarie in propriam utilitatem agit; quare consulens relate ad exsecutorem causa damni *secundaria,* exsecutor consilii eiusdem causa *primaria* est. Si tamen consulens unice in proprium commodum consilium dat, ipse mandanti aequiparatur estque causa damni primaria.

b. De ratione *consilii* est, ut voluntatem exsecutoris tamquam causa moralis ad damnum moveat. Consilium diversis modis dari potest: rationes et motiva suggerendo, precibus, hortationibus, promissis, blanditiis, viam et modum ostendendo etc.

c. Consilium vel est *impulsivum,* si alium ad damnum inferendum movet et determinat, vel *doctrinale,* si de bonitate vel malitia, de validitate vel invaliditate actionis e. g. contractus sententiam dicit.

Consilium impulsivum est *nudum,* si motivis non innititur, sed in sola hortatione consistit, vel *vestitum,* si motiva ad nocendum determinantia adduntur, vel si media nocendi suggeruntur.

d. Notandum est *discrimen inter consilium nudum et vestitum,* quod consilium nudum retractatione amittat rationem causae et vim influendi in voluntatem alterius et fiat mere occasio damni; consilium autem vestitum pergit influere, etsi retractatum fuerit, nisi motivis contrariis aeque efficacibus elidatur.

484. Obligationes consulentis quoad consilium. Qui iniquum consilium dedit, sive bona sive mala fide egit, ex iustitia illud retractare tenetur: unusquisque enim ex iustitia efficere tenetur, ne ex actione sua, sive formaliter sive materialiter mala, alteri damnum sequatur.

Quodsi exsecutorem a damno inferendo avertere nequit, tenetur damnificandum monere, ut sibi caveat, si absque nimio incommodo eum monere potest, et quidem *ex iustitia,* si dederit consilium impulsivum et vestitum, quia impedire debet, quantum potest, ne ex actione sua iniusta damnum sequatur, et *ex caritate,* si dederit consilium nudum, quia malum proximi avertere debet, cuius ipse est occasio.

a. Qui consilium *bona fide* dedit illudque retractare nequit vel facta retractatione damnum tamen impedire nequit, ad nihil amplius tenetur: etenim non est causa damni theologice culpabilis. Quodsi retractationem culpabiliter negligit, de damnis tenetur.

b. Si consilium *mala fide* dedit illudque retractavit, distinguendum est: α. si consilium est doctrinale vel impulsivum et nudum, consulens non tenetur reparare damna ab exsecutore nihilominus illata; nam vis consilii atque ideo causa damni ipsa revocatione tollitur. β. Si consilium est impulsivum et vestitum, iterum distinguendum est. Si consulens retractando consilium non adhibet motiva contraria saltem aeque efficacia, damna reparare debet, quia consilium suum revera manet causa damni efficax et theologice culpabilis. Quodsi in retractatione adhibet motiva contraria saltem aeque efficacia, ab obligatione restituendi excusari potest: qui enim eiusmodi motivis non cedit, ex sua malitia, non ex alterius consilio agere convincitur[1]). Quaenam motiva ad retrahendum alium a damnificatione sint magis efficacia, a qualitate personae dependet; ordinarie vero in homine christiano efficacissima motiva ea sunt, quae a fide petuntur.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* III. n. 362.

c. Qui damnificatori ostendit modum inferendi damnum, quod sine illo consilio inferri non potuisset e. g. modum patrandi furtum, quod alias patrari non potuisset, per retractationem a restitutione non excusatur: in hoc namque casu retractatio non est efficax, nisi damnificator a damno inferendo impediatur vel damnificandus de damno, quod ei imminet, moneatur.

485. Obligationes erga damnificatum. Consulens tenetur reparare omnia damna, quae ab exsecutore vi consilii illata sunt: horum enim ipse est causa moralis efficax.

a. Consulens ad nihil tenetur, si exsecutor ad damnum inferendum iam determinatus sine consilio aeque damnum intulisset, excepto casu, quo damnificans non suis motivis, sed motivis consulentis ad damnum inferendum movetur.

b. Si dubium est, num consilium in exsecutorem influxum habuerit, pariter ad nihil tenetur, quia de damno per consilium illato non constat[1]).

c. Si consilium certe in exsecutorem influxit, ad totum damnum reparandum tenetur: est enim efficax *concausa* damni.

d. Si consulens suadet maius malum, quam alioquin illatum fuisset, tenetur tantum de excessu, quia huius tantum est causa efficax.

e. Si consulens exsecutori ad damnum inferendum iam determinato consulit alium modum inferendi damnum, eatenus ad restitutionem tenetur, quatenus iste modus damnum auget.

f. Ad quid teneatur consulens minus malum, infra dicetur (n. 487).

486. Obligationes erga exsecutorem. Consulens non tenetur compensare damna, quae exsecutor in exsequendo consilio passus est: scienti enim et volenti non fit iniuria. In duplici tamen casu erga exsecutorem ad restitutionem tenetur:

a. Si dolo, fraude vel mendaciis alteri auctor fuit, ut damnum inferret: in hoc casu utrique damnum reparare debet, tum ei, cui fraudulenter consilium dedit, tum ei, cui vi consilii damnum illatum est.

b. Si ille, qui ex iustitia consilium dare debet, consilium nocivum dedit. Ex iustitia consilium dare debet, qui vi status vel officii ad id tenetur, ut advocatus, me-

---

[1]) *S. Alphonsus* (n. 562) hanc sententiam *satis probabilem* dicit.

dicus, consiliarius, confessarius, ut ex inferius dicendis (n. 488) clarius apparebit.

487. *Quaeritur, ad quid teneatur, qui alium ad damnum inferendum iam determinatum inducit ad minus damnum inferendum.*

a. Si agitur de damno eidem personae inferendo, ad nihil tenetur: qui enim ei, qui determinatus est auferre centum, suadet, ut eidem personae solum viginti auferat, non solum contra iustitiam non agit, sed opus bonum exercet, cum suadeat imminutionem mali, id quod bonum est.

b. Si agitur de damno diversae personae inferendo, ut si quis determinato ad auferendum Cantio centum, suadeat, ut potius Cantiano auferat viginti, auctores dissentiunt. Dicendum videtur eum ad reparandum damnum teneri excepto casu, *quo laesus in damnum sibi inferendum consentire debet* vel quo minus damnum *non consulitur inferendum determinatae personae,* ut si volenti furari ecclesiae dicatur, ut potius alibi sumat[1]).

Scilicet eatenus hoc consilium licitum est nec obligationem restitutionis inducit, quatenus alter in damnum sibi inferendum consentire debet; iam vero si ille, cui inferendum erat damnum (Cantius), propter hoc incidisset in extremam necessitatem, alius (Cantianus), sin minus ei subvenire, saltem illum sibi prospicientem non impedire, ideoque in damnum consentire tenetur.

488. De consilio doctrinali. 1. Qui *vi officii* ad danda consilia deputatur et mala intentione vel ex ignorantia graviter culpabili nocivum consilium dedit, reparare debet damna, quae ex malo consilio obveniunt tum petenti consilium tum tertiae personae, quia consilium petens ius strictum habet exigendi, ut is, qui ex officio dare debet consilia, debitam scientiam habeat et moralem diligentiam adhibeat.

2. Qui ratione officii *consilia dare non debet*, non tenetur reparare damna, quae ex malo consilio obveniunt

[1]) Cf. *Lugo* disp. 19. n. 44. ss. *Ballerini-Palmieri* III. n. 365

ei, qui consilium petit et acceptat, nisi dolose scientiam affectet: petens enim consilium non potest esse rationabiliter invitus de consilio nec de damno ex eo orto; reparare autem debet damna, quae ex malo consilio tertiae personae obveniunt, modo consulens propriam ignorantiam cognoverit et damnum secuturum saltem in confuso praeviderit: consulens enim positive ad damnum inferendum concurrit, laesus autem in damnum non consentit.

Articulus quartus.

De consentiente.

489. Notio. *Consentiens* dicitur, qui approbatione externa, suffragio vel sententia sua in damnum proximi influit; eiusmodi esse potest iudex iuratus, qui cum aliis sententiam fert, deputatus, qui cum aliis suffragio suo legem condit, elector, qui cum aliis quemdam ad officium vel beneficium eligit.

Consentiens, qui suo consensu non influit in damnum, peccare potest contra caritatem vel etiam contra iustitiam affective, non autem effective.

490. Obligationes quoad ipsum consensum. *a.* Qui culpabiliter consensum dedit ad damnum inferendum, illum revocare tenetur; quod si fecerit ante damnum illatum, ad nihil tenetur; quod si aut non fecerit aut facere non potuerit, de damno tenetur.

b. Si bona fide consensum dedit ad damnum inferendum, errore detecto illum revocare tenetur; si id fecerit aut facere non potuerit, ad nihil tenetur.

491. Obligationes erga damnificatum. 1. Consentiens damna reparare tenetur, in quae consensus efficaciter influit; in illa autem damna certe efficaciter influit, ad quae inferenda consensus necessarius est.

Num teneatur ad restitutionem, qui dat suffragium iniustum, quod non est necessarium.

a. Qui ex condicto (e. g. inter membra alicuius factionis) vel eodem tempore (e. g. assurgendo) vel secreto (e. g. schedulis secretis) dant suffragium, omnes aeque ad restitutionem tenentur. Ratio *primi* est, quia inita conspiratione singuli in aliorum suffragium atque ideo in damnum influunt; ratio *secundi* est, quia nullus prior, nullus posterior suffragium dedit, ideo omnes et singuli actionem moraliter unam ponunt ad effectum producendum, qui proinde aeque singulis tribuitur; ratio *tertii est,* quia ignoratur, quis prior vel posterior fuerit, ideo singulis aeque effectus tribuitur, cum singuli posuerint actionem de se efficacem effectus.

Si tamen etiam in secreta suffragatione constare posset alicuius suffragium in damnum certe non influxisse, a restitutione aeque atque in suffragatione, quae palam fit, excusaretur[1]).

b. Si palam et successive dant suffragium, certe primi, quorum suffragium est necessarium, ad reparandum damnum tenentur, etsi praevideant non defuturos alios, qui eodem modo suffragaturi sint: hi enim reipsa vere in damnum influunt.

c. Qui suffragantur, quando numerus ad rem definiendam necessarius certo iam expletus est, (probabiliter saltem) ad nihil tenentur, quia in damnum, quod ab aliis iam illatum est, non amplius influunt.

Probabilis haec sententia dicitur, quia sunt, qui existiment reipsa omnia suffragia in effectum influere, quia res non definitur i. e. sententia plene non fertur, nisi quando omnia suffragia data sunt.

2. Qui dat suffragium iniustum, quod est unicum medium ad impediendum maius damnum, non tenetur reparare damnum, immo etiam licite agit, si res, in quam suffragio suo consentit, non sit intrinsecus mala, et si publice notum sit id solum fieri ad maius malum praecavendum.

Articulus quintus.

De palpone, receptante et participante.

492. 1. Palpo (adulator) dicitur, qui laudando aut vituperando alterum movet ad damnum proximo inferendum.

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 366, 5.

In ipsum damnum ordinarie influxum habet, ubi alter sine palpatione damnum non intulisset.

2. Palponis eaedem *obligationes* sunt, quae consulentis: etenim dat veluti consilium vestitum, cuius motiva plerumque desumpta sunt ex falso conceptu gloriae mundanae.

a. Ut palpo ad restitutionem teneatur, requiritur, ut advertat se laudibus vel vituperiis suis causam damni exsistere; at non requiritur, ut damnum ipse intendat.

b. Patet palponem ad restitutionem teneri, non solum si causa damni exsistit, sed etiam si laude aut vituperio causa est, cur damnum illatum non reparetur.

493. 1. **Receptans** vel recursum praebens dicitur, qui scienter damnificanti securitatem praebens ad damnum proximi cooperatur. Duplici modo id fieri potest, aut rem alienam receptando aut damni auctorem protegendo.

De ratione receptantis est, ut sua agendi ratione in damnificantis voluntatem influat eamque vel ad damnum denuo inferendum vel ad retinendum ablatum determinet.

a. Ergo receptantes non sunt: α. qui malefactores domi recipiunt ut amicos et consanguineos, vel ratione officii ut caupones, vel ad grave damnum a se avertendum; β. qui fures vel malefactores defendunt in iudicio in iis, in quibus ipsi se defendere possent.

b. Sed receptantes sunt: α. tabernarii, qui fures in hospitium recipiunt eosque occultant, ne capiantur; β. caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasve res clam parentibus ablatas; γ. parentes, qui non impediunt furta filiorum eisque hoc modo animum addunt ad furta iteranda.

2. Receptans tenetur reparare damna, quorum ipse est causa efficiens; ergo si praebens recursum effecit, ut damnum inferretur vel ut ablatum retineretur.

494. Participans duplex est: *a.* participans *in praeda* est, qui partem rei iniuste ablatae accipit; *b.* participans *in actione* est, qui in ipsa actione iniusta principalem damnificatorem adiuvat.

1. *Participans in praeda* restituere debet id, quod iniuste accepit: est enim iniustus rei alienae possessor; aliam autem obligationem non habet.

2. *Participans in actione* reparare debet damna, quorum ipse est causa efficax et culpabilis. Quaenam haec sint, determinari debet ex principiis de cooperatione statutis (n. 118 s.). Ergo si cooperatio licita est, nulla ex ea oritur obligatio restitutionis.

Num licitum sit ad proprium damnum vitandum immediate cooperari ad actionem alteri damnosam, alibi (n. 118) *dicitur.*

Articulus sextus.

De cooperationibus negativis.

495. Praenotiones. Cooperatores negativi dicuntur, qui damnum proximi, quod ex iustitia impedire tenentur, non impediunt. Tres numerantur: mutus, non obstans, non manifestans.

a. Mutus dicitur, qui ante damnificationem damnum non impedit, e. g. clamore fures non deterret, de damno inferendo non monet.

b. Non obstans dicitur, qui, dum infertur damnum, illud non impedit, e. g. rem non defendit vel actionem damnificantem non avertit ut custos, qui furem non abigit.

c. Non manifestans dicitur, qui post damnificationem damnum illatum non revelat sive superioribus sive damnificato, ut damnum reparetur.

496. Eorum obligatio. Qui *ex iustitia* damnum impedire tenentur illudque non impediunt, ubi *sine gravi incommodo* possunt, damnum illatum reparare debent.

a. Si de restitutione propter damnum non impeditum agitur, praeprimis investigandum est, utrum is, qui damnum non impedivit, illud ex iustitia an ex alia virtute impedire tenebatur.

Omnes ex caritate tenentur damna aliorum impedire tum morali tum physico influxu, si facile possunt, idque dupliciter, tum ut damnificans a peccato avertatur, tum ut malum a damnificando praecaveatur.

Quibus officium superioris incumbit, ii speciali obligatione, quae ex superioritate oritur, damna a subditis suis avertere tenentur. Sic pater, qui ex pietate bonum filiorum suorum procurare debet, ex pietate tenetur tum filium a damno aliis inferendo avertere, tum alios impedire, quominus filio noceant; princeps, qui ex iustitia legali bonum commune procurare debet, per se ex iustitia legali praecavere tenetur, ne quis communitati, cui praeest, damnum inferat. Attamen ipsa condicio superioris per se non obligat ex iustitia commutativa ad cavenda damna, sive quae subditis, sive quae a subditis inferuntur, nisi speciali officio superiores ad id obligentur.

b. Solum qui *ex iustitia commutativa* damnum impedire tenetur et non impedit, illud reparare debet. Illi autem ex iustitia commutativa tenentur, qui vi contractus expliciti vel vi officii seu contractus impliciti tenentur.

α. Damnum *a filio* illatum, qui usum rationis nondum habet, pater supposita culpa theologica ante sententiam iudicis reparare tenetur, quia filiis usum rationis nondum habentibus ex iustitia invigilare debet; damnum autem a filio illatum, qui usum rationis iam habet, pater reparare non tenetur, quia filiis usum rationis habentibus solum ex pietate invigilare debet; filius id reparabit, cum primum potuerit. Attamen post sententiam iudicis etiam tale damnum reparandum est, dummodo revera illatum sit, quia nequit dici iniusta lex, quae parentes et superiores ad maiorem curam atque vigilantiam incitet. Idem dicendum est, si pater filium damnum inferentem deprehendit, atque in iis adiunctis silet, in quibus silentium approbationi aequivalet. Sed in hoc casu consensu suo positive cooperatur.

Sunt, qui parentes obligent ad reparandum damnum a filiis usum rationis nondum habentibus illatum, etsi sine parentum culpa theologica factum sit. Recte tamen ab obligatione restitutionis immunes habentur, si damnum illatum sit, quamvis parentes cum ordinaria diligentia filiis invigilaverint[1]).

β. Non tenetur restituere, qui *a fure rogatus tacet,* immo nec ille ad restitutionem tenetur, qui, ut taceat, pecuniam a fure accepit, nisi ex officio clamare debeat. Si autem pecuniam accipiat, ut observet, num aliquis adveniat, tenetur de damno, quia furto positive cooperatur.

γ. *Custodes vinearum et silvarum,* qui damnificationes non impediunt aut damnificatores non denuntiant, reparare tenentur damna ab illis illata, nisi dominus censeri possit minus invitus, ut si agatur de rebus minoris momenti vel si pauperibus aliquid

[1]) Consentit C. A. § 1309.

permittatur. Mulctam autem compensare non tenentur, quia solum conducti sunt ad damna a dominis avertenda.

δ. Idem dicendum de *praepositis gabellarum*, qui gabellas defraudari permittunt aut defraudantes non denuntiant, nisi agatur de rebus minoris momenti, vel de rebus, pro quibus ex usu non solet adeo exacte vectigal exigi. Mulctas tamen poenales restituere non tenentur nec pretium, quod a defraudantibus acceperunt, ut defraudationem permitterent.

ε. Dominus reparare tenetur damnum *ab animalibus suis* illatum, et quidem ante sententiam iudicis, si cum gravi culpa theologica eorum custodiam neglexit; quodsi culpa theologica non intercessit, post sententiam iudicis, modo damnum revera illatum fuerit. Ubi notandum est dominum etiam tum custodiam animalium culpabiliter negligere, cum eis scienter ineptum vel negligentem custodem praeponit[1]).

c. Cum *gravi* autem *incommodo* non tenetur damna impedire, quia per se nemo contractum ineundo aut officium suscipiendo ad hoc se obligare censetur.

Num ad restitutionem teneatur, qui non fert suffragium, ubi de damno alteri inferendo agitur?

Ad restitutionem non tenetur, si suffragio suo damnum impedire non potest, quia nemo tenetur de damno ab alio illato, quod ipse impedire nequit. Si suffragio suo damnum impedire potuisset, distinguendum est: si damnum, quod ex omissione suffragii oritur, ex iustitia commutativa impedire tenetur, illud reparare debet; si autem damnum solum ex alio titulo, sive ex caritate sive ex iustitia legali vel distributiva impedire tenetur, omissione suffragii peccabit contra illam virtutem, quae illum ad suffragandum obligat, ad restitutionem non tenetur.

Ex iustitia commutativa suffragium dare tenetur, qui ex officio iura damnificati tueri et proinde eius damna ex officio impedire debet. Ut in particulari casu obligatio restitutionis adsit, insuper requiritur, ut is, qui ex officio suffragari debet, suffragationi interesse debuerit seu culpabiliter ab ea abfuerit et damnum ex omissa suffragatione oriturum praeviderit.

497. Obligatio confessarii. Ex his iam sine negotio colliguntur obligationes confessarii, qui poenitentem aut ad restitu-

[1]) C. A. § 1299. 1315. 1320.

tionem faciendam obligat, ad quam non tenetur, aut a restitutione, ad quam tenetur, facienda deobligat. Nam *a.* confessarius respectu poenitentis considerari debet tamquam consulens, qui consilium doctrinale praebet; *b.* insuper confessarius non solum ex caritate, sed etiam ex officio ideoque ex iustitia sana consilia dare debet in iis, quae spirituale poenitentis bonum concernunt; *c.* in iis autem, quae ad temporale poenitentis bonum pertinent, obligationem iustitiae, quatenus confessarius est, nullam habet. Itaque

α. Confessarius, qui cum gravi culpa poenitentem, qui restituere debet, positive a restitutione facienda deobligat, ipse ad restitutionem erga tertium tenetur, quia consilio suo est causa moralis efficax damni, quod tertius patitur.

β. Confessarius, qui cum gravi culpa poenitentem, qui restituere non debet, inducit, ut restituat, ad restitutionem erga poenitentem tenetur, quia est causa moralis efficax damni, quod poenitens patitur.

γ. Confessarius, qui culpabiliter poenitentem falso existimantem se teneri ad restitutionem de errore non monet, non tenetur reparare damnum, quod poenitens restituens patitur: confessarius enim tenetur quidem ex iustitia impedire damna spiritualia, non autem damna temporalia sui poenitentis. Si tamen confessarii silentium a poenitente merito acciperetur pro affirmatione obligationis restituendi, confessarius utique ad reparandum damnum teneretur.

δ. Qui culpabiliter poenitentem de restitutione facienda non monet et sic causa est, ob quam domino laeso non reparetur damnum, ad restitutionem non tenetur, quia non obligatur ad damna temporalia aliorum ex officio praecavenda[1]).

Articulus septimus.

De restitutione a cooperatoribus facienda.

De restitutione facienda, quando plures ad idem damnum inferendum concurrunt, quaeritur: *a.* quid seu quantum; *b.* quo ordine singuli restituere debeant.

§ 1. De quantitate restitutionis.

498. Notiones. 1. *Quantitas restitutionis,* quando plures ad idem damnum inferendum concurrunt, potest

[1]) Cf. *De sacramentis*[7] n. 420.

esse tripliciter diversa: aut enim tenentur in solidum absolute, aut in solidum condicionate, aut pro rata tantum.

2. *Solidaritas* seu obligatio restituendi *in solidum* est onus singulis cooperatoribus incumbens totum seu solidum damnum reparandi, quod a pluribus illatum est. Solidaritas dicitur *absoluta,* si quis totum damnum solus reparare debet, alii vero solum hoc deficiente tenentur; dicitur *condicionata,* si quis integrum damnum reparare solum tenetur, ubi alii non restituunt. Si integrum damnum restituit, in primo casu ab aliis cooperantibus compensationem exigere nequit; in altero vero casu ab illis compensationem iure exigere potest. Obligatio restituendi *pro rata* est onus singulis cooperatoribus incumbens solum partem damni illati restituendi.

499. Principia. In genere dicendum est ad restitutionem *in solidum* illum tantum teneri, qui est causa (sive physica sive moralis) totius damni. In specie:

1. Qui simul cum aliis est *causa* (sive physica sive moralis) *totius damni* et quidem *principalis*, tenetur restituere in solidum absolute: etenim quia est causa totius damni, *in solidum* tenetur, et quia est principalis causa, illud *absolute* reparare debet: alii enim eius nomine et tamquam instrumenta eius operati sunt, ideoque solum eo deficiente ad restitutionem tenentur.

Causa principalis est mandans respectu mandatarii et consulens qui consilium solum in suum favorem exsequendum curat. Qui ergo mandato suo famulos ad furandum inducit, qui socios quaerit ad rem furtivam asportandam, in solidum absolute ad restitutionem tenetur; cooperantes solum hoc deficiente tenentur.

2. Qui simul cum aliis est *causa* (sive moralis sive physica) *totius damni* et quidem *aequalis,* restituere tenetur in solidum condicionate: in solidum quidem, quia totum damnum intulit, condicionate vero, quia illud non solus, sed simul cum aliis intulit.

Quaeritur, quando aliquis haberi debeat causa efficax totius damni.

a. Totum damnum infert, qui *communi conspiratione* cum aliis ad damnum inferendum concurrit, ut si complures conspirant ad exspoli-

andam domum, quia singuli saltem moraliter in integrum damnum influunt, modo conspiratio sit vera et efficax. Vera autem conspiratio habetur, quando singuli ceteros suasione, hortatione etc. ad damnum inferendum determinant.

b. Totum damnum infert is, cuius cooperatio sive moralis sive physica ad damnum inferendum *necessaria* est, adeo ut ipso non concurrente damnum non fieret, ut si duo exspoliant viatorem, quem unus exspoliare non potuisset, vel si quis fert suffragium necessarium ad iniustam sententiam, quam alii eo absente vel contradicente numquam tulissent. Etsi enim eius cooperatio non sufficiat ad totum damnum inferendum, tamen negata cooperatio totum damnum impedire potuisset. Si quis adiuvat furem ad auferendam arcam, quam neuter solus ferre posset, uterque totum damnum reparare tenetur, quia uterque est causa totius effectus, quatenus sine eius auxilio nullus effectus fuisset[1]).

c. Totum damnum infert, qui est causa *moralis per se sufficiens* totius damni, ut si duo dant consilium damni inferendi, quod utrumque ita in totum damnum influit, ut etiam unum ad idem inferendum suffecisset, seu ut etiam sine altero damnum illatum fuisset: non potest enim negari causas morales plures esse posse causas totales seu adaequatas eiusdem effectus[2]).

3. Qui simul cum aliis est *causa* (sive moralis sive physica) *damni partialis,* tenetur restituere pro rata influxus in damnum, ut si complures absque mutua conspiratione concurrunt ad exspoliandam arborem, ad vastandam segetem.

a. Causa partialis damni is est, cuius actio *nec sufficiens nec necessaria* est ad totum effectum producendum, adeo ut etiam sine illa effectus evenisset, etsi eum faciliorem reddiderit, ut si quatuor trabem alienam asportant, quam etiam tres asportare potuissent; si tres agrum devastant, quem etiam duo devastassent; vel si quis furi ad furandum determinato suggerat motivum furandi, quod eum quidem movet, sed per se solum movere non potuisset. Singuli ergo in hoc casu pro rata cooperationis restituere tenentur.

b. Utrum is, cuius actio *physica sufficiens* quidem est ad totum effectum producendum, sed non necessaria, adeo ut etiam sine illa effectus evenisset, damni causa partialis sit an totalis, disputant, quia non satis constat, num etiam plures causae physicae possint esse causae totales et adaequatae eiusdem effectus. Cum sententia affirmans eum esse solum causam partialem, sit vere probabilis, non est statuenda in

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 376.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 380 et 388.

hoc casu obligatio restituendi in solidum, sed pro rata tantum. Si ergo duo sine mutua conspiratione cistam auferunt rebus refertam, quam unus auferre potuisset et altero absente revera abstulisset; si duo simul in alienam capram explodunt eamque occidunt, quam etiam unus occidisset, uterque ad partem damni solum tenetur.

Sunt, qui distinguant, utrum plures *simul* actionem ad effectum per se sufficientem ponant, ut si duo simul in alienam capram explodant eamque occidant, an vero actionem ad effectum per se sufficientem *non simul* ponant, ut si quis ex alia parte ignem domui apponat, cui alius ignem iam apposuit. Verum haec distinctio non videtur esse necessaria, cum in utroque casu actio damnificans sit causa partialis, ex qua non oritur obligatio nisi partem damni restituendi.

4. Quid *in dubio* faciendum sit, ex principiis probabilismi resolvitur. Itaque

a. In dubio, num quis in totum damnum influxerit, non tenetur restituere in solidum, quia certo non constat de obligatione in solidum restituendi.

b. In dubio, num alii suam partem restituerint, pariter non tenetur integrum damnum reparare, si vere probabile sit alios iam restituisse aut restituturos esse: obligatio enim restituendi partem aliorum dubia est.

Pro praxi sapienter monet *s. Alphonsus:* „Advertendum, quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit eos obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quin immo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum“[1]).

§ 2. De ordine restitutionis.

500. Inter cooperatores, qui ad totum damnum concurrunt, in restitutione facienda ordinem statuendum esse inde provenit, quod in actione damnificante non semper omnes eodem gradu cooperentur, sed alii in ea partem magis, alii minus principalem habeant; quare haec statuenda sunt:

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 579

1. Si omnes eodem gradu ad totum damnum inferendum cooperati sunt, nullus inter ipsos est ordo, sed singuli aeque primo et immediate restituere debent partem suam.

Quando plures, qui ad damnum inferendum concurrunt, solum *in partem damni influunt,* proindeque solum pro rata restituere debent, pariter nullus inter ipsos necessario servandus est ordo, sed singuli partem suam pro ratione influxus in damnum restituere tenentur.

2. Si diverso gradu ad damnum inferendum cooperati sunt, ordo inter ipsos servandus his regulis continetur.

a. Primo loco tenetur *possessor* rei alienae, sive bona sive mala fide eam habet, et si mala fide eam destruxit, tenetur restituere eius pretium aequivalens.

Si possessor rem alienam restituit, alii cooperatores ad nihil amplius tenentur: damnum enim iam reparatum est; et si alius loco possessoris restituit, hic illum indemnem reddere debet.

b. Secundo loco tenetur *mandans,* qui est causa principalis damni illati.

c. Tertio loco tenetur *exsecutor* mandati, qui est instrumentum mandantis et ideo simul cum eo causa primaria damni.

De *consulente* notandum est: si consilium utile est *soli consulenti,* hic mandanti aequiparatur et restituere debet ante exsecutorem; si utile est *soli exsecutori,* hic tenetur primo loco et consulens in eius defectu; si utile est *utrique,* uterque tenetur pro rata, et uterque in alterius defectu in solidum.

d. Quarto loco tenentur *cooperatores positivi:* consulens, consentiens, palpo, receptans et participans in actione iniusta.

e. Quinto loco tenentur *cooperatores negativi*, qui, cum damnum non inferant sed solum non impediant, minus ad illud concurrunt quam positive cooperantes.

501. Ex hoc ordine statuto sequentia inferuntur:

a. Si *causa principalis restituit,* causae secundariae, quae solum in defectu illius obligantur, ad nihil tenentur.

Si una *ex causis secundariis* restituit, causa principalis eam compensare debet.

Si una *ex causis aequalibus* totum restituit, aliae suam partem ei solvere tenentur.

Si ergo unus cooperantium totum damnum reparavit, in hunc modum distinguendum est: α. si ad restitutionem tenetur ante alios, hi liberi sunt; β. si alii ante ipsum tenentur, hi ei totum compensare debent; γ. si omnes aeque primo tenentur, alii partem, quae ipsis convenit, ei compensare debent.

b. Si *causae principali* a domino facta est *condonatio,* etiam alii ab obligatione sunt immunes.

Si *causae secundariae* facta est condonatio, non ideo principalis ab obligatione liberatur.

Si *causae aequali* facta est condonatio, non ideo liberantur aliae aequales, nisi condonatio plena praesumi possit.

Quaestio quinta.

De circumstantiis restitutionis.

Articulus primus.

Cui restituendum sit.

Ut ad propositam quaestionem apte responderi possit, triplex casus distingui debet: *a.* dominus certus et notus est; *b.* dominus plane ignotus est vel notus adiri non potest; *c.* dominus est incertus. *Incertus* dicitur dominus, quando inter plures dubium est, an hic vel ille dominus sit.

502. 1. **Si dominus certus et notus est,** restitutio per se facienda est ipsi *domino* vel iusto possessori, cui res ablata est, quoties sine alterius iniuria et sine magna debitoris difficultate fieri potest, quia hinc quidem res clamat ad dominum, inde vero lex affirmativa non urget cum incommodo proportionate gravi.

a. Si ergo damnum illatum est *reipublicae vel communitati,* ipsi reipublicae vel communitati restitutio facienda est, si sine magna difficultate fieri potest. Facilius tamen in hoc casu, quam si ageretur de restitutione privatis facienda, concedi potest, ut restitutio fiat pauperibus, quorum cura reipublicae vel communitati incumbit[1]).

b. Si damnum illatum est communitati, cuius *bona pravo fini consequendo inserviunt,* distinguendum est: si communitas ipsa nullum habet ius exsistendi nec legitime in foro conscientiae possidendi, quia eius finis malus est, ut secta francomurariorum, societas socialistarum, restitutio non est facienda communitati, sed eius membris; si autem communitas ipsa ius exsistendi atque ideo ius possidendi habet, ut secta religiosa, restitutio ipsi facienda est, etsi quaedam bona in pravum usum adhibeantur: nam malus bonorum usus non impedit, quominus ipsa secta dominium in haec bona retineat[2]). Facilius autem etiam in hoc casu admitti potest ratio, ob quam restitutio fiat pauperibus, e. g. quia exiguum est damnum singulis illatum, quia magna est difficultas singulis restituendi.

c. Si ablata est res, quae apud alium *deposita vel locata vel commodata* erat, non domino, sed possessori restituenda est, alias possessori iusto titulo rem detinenti iniuria fit, nisi aut ipse in restitutionem domino faciendam consentiat, aut rem cum detrimento domini consumpturus iure merito timeatur. Hinc qui a lotore aufert linteamina, ablata linteamina non domino, sed lotori reddere debet, quia hic alias grave damnum pateretur.

d. Qui culpabiliter incendit domum assecuratam, per se *societati assecurationis* tantum restituere debet, quantum ipsa domino solvit et insuper domino eam partem damni, quam societas non reparat. Quandoque tamen pauperibus fieri potest restitutio, ut inferius dicetur.

e. Etsi restitutio per se facienda sit domino, non eius *creditori,* restitutio tamen facta creditori valet, quia indirecte ipsi domino restituitur, et si adsit rationabilis causa restituendi creditori, dominus in hunc modum restitutionis consentire censetur. Quodsi nulla adsit causa restituendi creditori domini, restitutio in foro externo, lege ita statuente, invalida est; in foro interno autem valet, quia hoc modo reducta est aequalitas, inter debitorem et creditorem.

f. Etsi restitutio per se facienda sit domino, non creditoribus eius, si tamen *dominus coactus fuit cessionem bonorum facere,*

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* I. n. 1020.

[2]) *S. Officium* 21. sept. 1842.

restitutio seu debitorum solutio non domino, sed administratori bonorum a publica auctoritate constituto facienda est: creditores enim domini ius habent, ut ex bonis eius indemnes serventur. Si tamen dominus in gravi necessitate reperitur, ipsi fieri potest restitutio, quia in gravi necessitate de bonis suis subducere potest, quae sibi et familiae suae ad vitam sustentandam necessaria sunt.

g. Domino defuncto restitutio facienda est eius *heredibus*, et solum his deficientibus fieri potest pauperibus: omnia enim iura defuncti ad eiusdem heredes transeunt. Nec licet rem restituendam erogare in requiem animae defuncti domini, nisi ex voluntate rationabiliter praesumpta non defuncti sed heredum, quia defunctus dominium iam nullum habet[1]).

h. Si dominus defunctus *complures heredes* habuit sive necessarios sive ex testamento, res restituenda inter ipsos servata proportione hereditatis dividenda est. Idem dicendum est, si dominus omnia bona sua inter complures legatarios distribuit, scilicet servata proportione legatorum inter legatarios res restituenda dividi debet, nisi certo constet de alia dispositione, quam dominus de hac re fecisset.

2. Qui pauperibus vel piis causis restituit, quamdiu dominus vel eius heredes noti sunt et adiri possunt, suae obligationi non satisfacit et denuo restituere debet, quia restitutio omnino fieri debet ipsi domino. Quandoque tamen prudentia suadebit confessario, ut hanc obligationem potius dissimulet.

Ut debitor excusetur a restitutione ipsi domino facienda, ita ut huius loco pauperibus fiat restitutio, requiritur, ut damnum debitoris *plus quam duplo* superet valorem debiti seu damnum domini laesi[2]).

503. Si dominus ignotus est, aut notus quidem, sed adiri non potest, ita distingui debet:

1. Si rei alienae possessor est *bonae fidei,* eam sibi retinere potest; res enim habetur pro derelicta, ideoque iure occupationis transit in dominium possessoris.

Contraria sententia *S. Thomae*[3]), iuxta quam restitutio ab eo quoque facienda est pauperibus vel causis piis, qui rem alienam bona fide possidet, in praxi suaderi quidem potest, at stricta obligatione iniungi

---

[1]) *S. Poenitent.* 7. febr. 1899.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 598.

[3]) *Summa* II. II. q. 62, a. 5. ad 2.

nequit, praesertim cum etiam *s. Alphonsus* (n. 589) sententiam s. Thomae solum habeat probabilem.

2. Si rei alienae possessor est *malae fidei,* eam erogare debet pauperibus; et pari modo *iniustus damnificator,* qui ex damnificatione lucrum non percipit, restituere tenetur pauperibus vel causis piis, si dominus, cui damnum intulit, omnino ignotus est.

a. Rem *erogare* debet. Etsi auctores omnes conveniant in statuenda obligatione reddendi in hoc casu rem alienam et damnum illatum reparandi, alii tamen obligationem tum ex iure naturae (propter bonum commune) tum ex lege positiva, alii eam deducunt ex sola lege positiva, cuius fundamentum sit ratio boni communis[1]).

b. Pauperibus autem vel causis piis eam erogare debet, tum quia hac ratione bonum commune procuratur, tum quia recte praesumitur hanc esse voluntatem domini, ut bona ipsius ita erogentur, ut in ipsius utilitatem cedant.

c. Cum tamen haec obligatio, utpote ex lege positiva, ut videtur, orta, fidelibus plerumque ignota sit, qui insuper de ea moniti aegre obtemperent, confessarius a monitione facienda prudenter abstinebit, si eam nocituram praevideat.

3. Si ille, qui restituere debet domino ignoto vel incerto, ipse vere pauper est, ex sententia complurium auctorum rem vel eius partem tamquam eleemosynam sibi retinere potest: etenim qua pauper non debet esse peioris condicionis quam alii pauperes, etsi mala fide rem possideat[2]).

Ex his iam patet, quid de *bonis incertis* et pari modo de *debitis incertis* statuendum sit. Bona incerta ea dicuntur, quae certo aliena sunt, quorum autem dominus plane ignotus est aut adiri non potest. Debita incerta dicuntur debita certa quidem, quando tamen dominus, cui debentur aut plane ignotus est aut adiri nequit. Scilicet non solum bona incerta a possessore malae fidei restituenda, sed etiam debita incerta pauperibus vel causis piis solvenda sunt[3]).

---

[1]) C. Quum tu 5 *De usuris* (V. 19). C. Quum sit 16 De iudaeis, sarracenis etc. (V. 6). Hae leges, quae immediate solum ad pretium usurarium et ad lucrum ex officio illegitime suscepto referuntur, universali consuetudine ad omnia debita ex delicto extenduntur. Cf. *Laymann,* De restit. c. 9. n. 2. *Lessius* l. 2. c. 14. n. 33 ss.

[2]) Cf. *Lessius,* l. 2. c. 14. n. 41. *Lugo* disp. 6. n. 148.

[3]) Cf. *Sporer-Bierbaum* II. tract. 4. n. 386 ss.

504. Si dominus incertus, res autem certo aliena est, praeprimis verus dominus investigari debet; quodsi instituta diligenti investigatione dubium perseverat, restitutio, quantum ex adiunctis licet, ipsi domino probabili facienda est; quodsi domino fieri nequit, iuxta praesumptam domini voluntatem facienda est. Ex his pro adiunctis tripliciter diversis haec statui possunt.

1. Si verus dominus reperitur inter paucos (tres vel quatuor), de quibus dubium est, quis sit verus rei dominus, res vel eius pretium inter ipsos dividi debet, vel, si id fieri potest, ad compositionem faciendam inducendi sunt.

2. Si verus dominus vel pauci veri domini reperiuntur inter habitatores loci, inter quos discerni non possunt, restitutio non est necessario facienda incolis loci, sed pauperibus et cuiuscunque quidem loci fieri potest.

3. Si veri domini plures sunt et inter habitatores loci discerni non possunt, restitutio facienda est incolis loci, ut restitutio, quantum fieri potest, iis ipsis fiat, qui damnum passi sunt. Si tamen damnum singulis illatum leve fuit, restitutio facilius fieri potest pauperibus, eiusdem vero loci.

Si mercator compluribus emptoribus damnum intulit adulterando merces aut diminuendo pondera vel mensuras, restituere debet augendo pondus vel mensuram aut minuendo pretium, si ordinarii emptores sunt iidem, qui damnum passi sunt; si vero emptores nunc alii sunt et damnificatis restitui nequit, restitutio facienda est pauperibus loci.

Articulus secundus.

Quo ordine restituendum sit.

§ 1. Ordo inter creditores ex lege positiva.

505. Quo ordine creditoribus facienda sit restitutio seu solutio, solum quaeritur, quando debitor omnibus creditoribus satisfacere non potest: etenim si omnibus satisfacere potest, non est necesse, ut in solvendis debitis ordo

servetur; quodsi omnibus restitui nequit, aliis per se damnum infertur, ubi uni prae aliis fiat restitutio.

1. Ordinem in solvendis debitis inter creditores servandum *lex positiva* potissimum determinat, et quidem lex *de cessione bonorum* (Konkursordnung), de qua inferius sermo redibit. Lex ista, quae in diversis regnis quoad particularia statuta variat[1]), imprimis *generatim* haec duo statuit: *a.* ut priori generi creditorum integre satisfiat, nulla ratione habita creditorum generis posterioris; *b.* si bona non sufficiant ad integre solvendum creditoribus eiusdem generis, singulis eorum pro rata satisfaciendum est.

506. 2. *In specie* vero quatuor genera creditorum lex distinguit: creditores *proprietarios, privilegiatos, hypothecarios* et *communes,* de quibus haec statuit:

a. Primo loco satisfaciendum est creditoribus *proprietariis,* iis nempe, quorum res adhuc in se apud debitorem exsistunt: in rem suam enim creditor ius reale habet.

α. Ergo ante omnia alia debita restituendae sunt res furtivae, depositae, locatae, commodatae, inventae, quae adhuc in se exstant.

β. Si res non amplius in se, sed solum *in aequivalenti* apud debitorem exsistit, creditor non est aliis praeferendus, quia in aequivalens rei non habet ius reale, sed solum personale.

γ. Si debitor apud se retinet *rem emptam,* cuius pretium nondum solvit, distinguendum est. Si per venditionem pretio nondum soluto non transfertur dominium rei emptae in emptorem, ex iure naturae res venditori restituenda est, quia eius est. Quodsi per venditionem dominium transfertur in emptorem, etsi pretium nondum solutum sit, venditor non est quidem amplius dominus rei; num vero nihilominus res ipsi sit restituenda, antequam aliis creditoribus satisfiat, non satis liquet. Itaque si leges positivae de hac re aliquid statuunt, istae servandae sunt; quodsi leges positivae nihil habent, probabile est venditorem aliis creditoribus praeferri posse. Utrum in contractu venditionis dominium in rem emptam transferatur rei traditione an tandem pretii solutione, a dispositione iuris dependet.

b. Secundo loco satisfaciendum est creditoribus *privilegiatis,* quibus scilicet a lege positiva propter qualitatem crediti speciale privilegium conceditur.

---

[1]) Cf. C. A. Konkursordnung und Anfechtungsgesetz.

α. Hoc privilegium est ius in ipsa qualitate crediti situm, vi cuius creditor aliis creditoribus praeferri debeat.

β. Credita privilegiata sunt expensae iudiciales, expensae funerales, stipendia medicorum, salaria famulorum, debita pro alimentis etc.

γ. Inter ipsos creditores privilegiatos a lege ex qualitate crediti quandoque determinatus ordo statuitur; sic salaria famulorum prae stipendio medicorum plerumque privilegiata sunt.

c. Tertio loco satisfaciendum est creditoribus *hypothecariis,* qui vi hypothecae non solum personam debitoris, sed ipsa eius bona sibi devincta habent.

Si plures sunt creditores hypothecarii, lex ordinem in ipsa rei natura fundatum inter eos determinat secundum axioma: *qui prior est tempore, potior est iure:* cum enim creditori hypothecario ipsa bona debitoris sint devincta, priori iniuria fieret, si ex bonis iam devinctis alteri solutio concederetur.

d. Quarto loco satisfaciendum est pro rata creditoribus *communibus,* de quibus lex positiva nil amplius statuit.

§ 2. Ordo inter creditores ex lege naturae.

507. Si debitor omnibus suis creditoribus satisfacere nequit, quaeritur, utrum ante cessionem bonorum vel praecisione facta ab ea singulis pro rata solvendum sit, an aliquis ordo inter creditores servari possit vel debeat. Iam vero ex iure naturae haec statui possunt:

1. Domino reddendae sunt res alienae, quae apud debitorem *in se exstant,* e. g. res depositae, locatae, ut supra (n. 506) dictum est.

2. Prae omnibus aliis satisfaciendum est creditoribus, qui *per hypothecam* ius reale in quaedam debitoris bona acquisierunt. His autem ita satisfaciendum est, ut anteriores praeferantur posterioribus: hi enim eatenus solum acquirunt ius in bona debitoris, quatenus prioribus nondum sunt devincta.

3. Sequentibus creditoribus licite integrum debitum solvi *potest,* quamvis inde pars aliis creditoribus solvenda minuatur: his enim sic agendo non fit proprie dicta iniuria, quia hinc quidem in certa bona ius non habent,

inde vero alii non accipiunt, nisi quod stricto iure eis debetur:

a. Creditoribus *pauperibus;*

b. Creditoribus *tempore prioribus;*

c. Creditoribus *prius petentibus.*

α. Si debitor iustam causam habeat, uni prae aliis integre solvendi, nihil impedit, quominus eum moneat, ut solutionem debiti petat.

β. Quandoque leges irritas declarant solutiones brevi tempore ante cessionem bonorum factas. Si ergo creditores, quibus integre satisfieri nequit, ad iudicem recurrant, iudex autem solutiones factas declaret invalidas, creditores solutiones acceptas in conscientia reddere debent.

508. *Quid agendum famulo, qui advertit herum suum aere alieno ita gravatum esse, ut creditoribus satisfacere non possit?*

a. Famulus, qui ad conservandum honorem et statum iuste acquisitum necessarius est, in famulatu manere et salarium recipere potest: quae enim ad hunc finem necessaria sunt, dominus aere alieno gravatus licite expendere potest.

b. Famulus, qui ad hunc finem necessarius non est, petere et recipere potest salarium, si domino bona fide famulatum praestitit et nunc demum advertit eum imparem esse, qui omnibus creditoribus solvat, tum quia ad creditores privilegiatos pertinet, tum ex ratione infra afferenda.

c. Utrum famulus, qui ad conservandum honorem et statum familiae necessarius non est, discedere debeat, quando advertit dominum suum tot famulos sine damno creditorum alere non posse, an vero manere et salarium recipere possit, auctores non conveniunt. Probabiliter dici potest dominum quidem famulos superfluos in damnum creditorum suorum licite retinere non posse, famulos autem, quos dominus ultro non dimittit, ordinarie manere et salarium accipere posse: considerandi enim sunt tamquam materialiter cooperantes ad peccatum domini; ordinarie autem aderit ratio sufficiens, propter quam licite ad peccatum domini cooperari possint, praesertim ubi ipsis discedentibus non desint alii, qui famulatum ingressuri sint[1]).

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 526.

Articulus tertius.

Quomodo restituendum sit.

509. Quoad modum restituendi aliud non requiritur nisi ut violata iustitia plene reparetur, si absque gravi incommodo debitoris fieri possit.

a. Non est necesse, ut actus restitutionis sit actus humanus, neque ut dominus *restitutionem advertat,* modo habeat, quod suum est; hinc restitutio fieri potest augendo pondus et mensuram vel libere assumendo et augendo laborem in utilitatem domini, vel ultra debitum parcius vivendo. His modis uxores, filii et famuli patrifamilias debitam restitutionem facere possunt.

b. Fieri potest per *simulatam donationem:* immo si debitor debiti immemor creditori suo aequivalens donum largitur, adhuc probabiliter obligationi suae satisfacit; quare debitor in hoc casu, fatente ipso *s. Alphonso,* non potest obligari ad ulteriorem restitutionem, quia obligatio restituendi dubia est. Si tamen creditor ex gratitudine aliud donum rependat, hoc ei restituendum est[1]).

c. Quin etiam *eleemosynae* a debitore factae post contractam obligationem restituendi computari possunt in restitutionem, si ad causas pias vel pauperibus restitutio facienda est.

510. Ad quaestionem, **cuius expensis facienda sit restitutio,** ita distinguendum est:

a. Possessor bonae fidei non tenetur suis expensis restituere, sed eas ferre debet dominus rei: etenim cum iste domino nullum damnum intulerit, non tenetur eum indemnem facere, sed solum permittere, ut sibi sumat rem suam. Ergo satis est, ut dominum de re sua moneat.

b. Debitor ex delicto restituere debet suis expensis: dominus enim omnino servari debet indemnis; ideo rem suam accipere debet in eo loco, in quo eam haberet, si ablata non fuisset. Solum si expensae transmissionis valorem rei notabiliter (plus duplo) superarent, non rem ipsam, sed pretium rei transmittere, et si id quoque fieri nequiret, pauperibus restituere posset: creditor enim rationabiliter

[1]) *S. Alphonsus* n. 700.

exigere non potest, ut cum tantis sumptibus sibi restituatur[1]). Spectatis tamen mediis communicationis, quae nunc habentur, vix fieri potest, ut saltem rei pretium non facile restitui possit.

511. Ad quaestionem, **num debitor iterum restituere debeat, si res restituenda pereat,** antequam ad dominum pervenerit, haec notanda sunt.

a. Possessor bonae fidei ad nihil tenetur: res enim quae sine culpa perit, domino perit. Si tamen in eligendo nuntio culpam iuridicam commisit, a iudice ad restitutionem obligari poterit.

b. Quoad debitorem ex delicto distinguendum est: si dominus vel iudex nuntium designavit, vel si ipse debitor cum consensu creditoris nuntium elegit, qui rem a debitore accepit, hic ad nihil tenetur, etsi res causa aut culpa nuntii aut tertii pereat: res enim, eo quod traditur nuntio sic designato, fit creditoris, ideoque ipsi perit. Quodsi debitor ipse sine consensu creditoris nuntium elegit, manet obligatio restituendi[2]).

α. *Lugo* censet sententiam negantem obligationem denuo restituendi, si ipse debitor nuntium elegerit, non esse probabilem, cui fere consentit *s. Alphonsus* (n. 705). Praecipuae Lugonis rationes sunt: α. Pecunia nuntio tradita plene manet debitoris, ergo ipsi perit, non creditori. β. Qui per nuntium libere electum mittit pecuniam ex contractu debitam, certe iterum solvere tenetur, si pecunia pereat; ergo etiam si pecunia ex delicto debetur. γ. Debitor ex delicto ferre debet omne damnum fortuitum, quod dominus eo patitur, quod res illi iniuste ablata est; ergo ferre debet etiam hoc damnum, cuiuscunque sit culpa, ob quam perierit; dominus autem restituendus est in eum statum, in quo reperiretur, si res nunquam ei ablata fuisset[3]).

β. Iuxta haec eadem principia solvenda est quaestio, num debitor iterum restituere debeat, *si pecuniam restituendam dedit confessario,* apud quem casu vel culpa tertii periit. Sunt tamen, qui opinentur probabilem esse sententiam, quae docet confes-

[1]) Cf. *Lugo*, De iustit. disp. 20. n. 186 ss.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 705. *Ballerini-Palmieri* III. n. 501.

[3]) *Lugo* disp. 21. n. 58 ss.

sarium considerari posse ut nuntium ex praesumpto consensu creditoris electum, ideoque debitorem in hoc casu liberari ab onere denuo restituendi. Hanc sententiam tuentur *Lessius, Sporer, Tamburini* et recentissime *Frassinetti* et *Lehmkuhl.* Eorum rationes hae sunt: Cum debitor alia via citra infamiam restituere non possit, rem tradens confessario facit, quod moraliter potest et debet; atqui ab eo, qui restituit in quantum moraliter potest et debet, non est exigenda ulterior restitutio. Insuper cum alia via restitutio fieri non possit, creditor implicite in hunc modum restitutionis consentire censetur. Cum haec sententia, quam s. Alphonsus non iudicat quidem probabilem, sed neque damnare audet, appareat vere probabilis, confessarius in praxi eam sequi poterit, adeo ut poenitentem ad restitutionem denuo faciendam obligare non teneatur. Verum etiamsi sententiam severiorem iudicet unice veram, praestabit poenitentem, qui putat se obligationi suae iam satisfecisse et de restitutione denuo facienda monitus vix obtemperaturus praevidetur, in bona fide relinquere.

512. De restitutione facienda fisco vel societati assecurationis. 1. Restitutio, quae facienda est *fisco*, diversis modis fieri potest: *a.* summam debitam erogando *pauperibus:* cum enim potestati politicae incumbat obligatio subveniendi pauperibus, eius onus hoc modo minuitur; *b.* summam debitam solvendo iis, qui a potestate civili in bonis fortunae *laesi* sunt, quibus proinde a fisco debetur restitutio; *c.* destruendo *tesseras,* quibus pretium pro transvehendis litteris solvitur (Briefmarken), ubi illae ad gubernium pertinent; *d.* destruendo *syngraphas* mensae nummariae (Banknoten), ubi illae ad gubernium pertinent; *e.* destruendo *titulos* debiti publici (Staatsobligationen).

2. Restitutio facienda est ipsi societati assecurationis, si haec fundatur in mutua assecuratione inter assecurantes et damnificatos, adeo ut assecurantes eo minus solvere debeant, quo minus est damnum, quod passa est societas. Si restitutio facienda est *assecurationi publicae,* quae ad fiscum pertinet, attendenda sunt ea, quae dicta sunt de modo restituendi fisco. Quodsi societas assecurationis est privata nec mutuam assecurationem stipulata est, damnificator absolute loquendo obligationi suae satisfacit restituendo administratoribus societatis, etsi forte compensa-

tionem ii non accipiant, qui damnum passi sunt: exigi namque non potest, ut damnificator certitudinem sibi comparet de personis laesis, cum id non solum difficile, sed fere impossibile sit. Verum restitutio, quae societati assecurationis sine mutua assecuratione debetur, ordinarie fieri etiam potest pauperibus vel causis piis: *a.* quia dubium est, num compensatio debita ipsis personis laesis obveniat; *b.* quia saepe dubium est, num ulli personae grave damnum illatum sit: frequenter enim personae laesae sunt possessores actionum, quibus singulis forte damnum leve tantum illatum est; *c.* quia societates retro-assecurationis, sicubi institutae sunt, efficiunt, ut damnificator in cognitionem domini laesi nullo modo devenire possit[1]).

Articulus quartus.

Quando restituendum sit.

513. De tempore restitutionis. 1. Restitutio, et quidem *integra, per se quamprimum* facienda est: etenim rei alienae detentio est iniuriae continuatio; sed sicut iniuriam inferre ita etiam continuare illicitum est.

b. Iniuste agit et de damnis tenetur, qui, etsi statim totum restituere possit, vult solum *per partes* restituere vel heredibus restituendi obligationem relinquere.

b. Qui *totum* restituere non potest, tenetur saltem ad partem, quam reddere potest: dominus enim ius habet ad singulas totius rei partes. Hinc ad restitutionem partis statim urgendi sunt poenitentes, praesertim si pars sit notabilis et totum nonnisi post longum tempus restitui possit.

c. Qui *statim* restituere nequit, tenetur interim curare, ut suae obligationi quamprimum satisfacere possit: qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media fini consequendo necessaria.

2. Restitutionis *dilatio,* dummodo seria restituendi voluntas retineatur, tum solum *grave peccatum* est, si domino exinde novum grave damnum oritur, vel si restitutio impossibilis redditur.

---

[1]) Cf. *Fr. A. Göpfert* Moraltheologie[5]) (Paderborn. Schöningh 1906) II. n. 126.

a. Qui voluntatem habet non restituendi eamque retinet, licet ad obligationem restituendi saepius advertat, numerice unum peccatum committit, quod eo gravius evadit, quo diutius restitutio differtur. Sed qui propositum restituendi concepit illudque retractat, toties graviter peccat, quoties a proposito restituendi recedit[1]).

b. Qui restitutionem *ex iusta causa notabiliter differt,* non tenetur reparare damna, quae domino ex dilatione obvenerunt, sive debitor ex contractu sive ex delicto est: qui enim habens voluntatem restituendi licite restitutionem differt, non est causa iniusta nec theologice culpabilis damnorum, quae domino exinde obveniunt, cum ex *iusta* dilatione solutionis proveniant[2]).

c. Ut diutius differri possit restitutio, requiritur, ut damnum, quod debitor ex restitutione statim facienda incurrit, longe maius sit, quam damnum, quod ex dilata restitutione domino obveniat.

Nota 1. Qui restitutionem usque ad mortem differentes *curam restituendi heredibus relinquunt,* non solum propter dilationem restitutionis peccant, sed etiam propter periculum, cui dominus exponitur, nunquam accipiendi rem suam: etenim fieri potest, ut heredes restituere aut nolint aut non possint. Quia tamen debitores restitutionem heredibus demandantes soleant esse in bona fide, praesertim si restitutio facienda sit pauperibus vel causis piis, cavendum est, ne sine spe fructus hac bona fide priventur[3]).

Nota 2. Fideles quandoque huius sunt opinionis, animas tamdiu in purgatorio detineri, donec facta sit restitutio ab ipsis debita. Huius quidem persuasionis ratio theologica afferri nequit, sed tota nititur apparitionibus animarum, quae neglectam restitutionem causam prorogatae poenae indicasse et restitutionem flagitasse narrantur. Etsi concedatur haec per exceptionem quandoque fieri posse, ea tamen ordinarie vel saepius a Deo statui negandum videtur; quare fidelibus erronea haec persuasio eximenda est[4]).

---

[1]) Cf. *De principiis*[8] n. 306.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 680. *Ballerini-Palmieri* III. n. 508. *Burghaber,* Casuum conscientiae centuriae tres. cent. 1. cas. 10.

[3]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 509.

[4]) Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 764.

Quaestio sexta.

De causis a restitutione excusantibus.

514. Declarationes. Causae a restitutione excusantes numerantur potissimum quatuor: *a.* condonatio creditoris; *b.* impotentia debitoris; *c.* cessio bonorum; *d.* compositio.

1. Harum causarum aliae omnino excusant (condonatio et compositio), quia obligationem restituendi auferunt; aliae solum ad tempus excusant (impotentia et cessio bonorum), quia obligationem restituendi suspendunt, quamdiu durat causa.

2. Excepta condonatione omnes aliae causae excusant ex parte debitoris. Harum causarum principium commune est: ex parte debitoris excusant ea omnia, quae efficiunt, ut creditor non possit esse rationabiliter invitus, etsi reipsa invitus sit. Creditor autem tum non potest esse rationabiliter invitus, cum debitor restituendo subiret incommodum notabiliter maius, quam sit incommodum creditoris ex restitutione non percepta. Quodsi dominus omissa restitutione aequale incommodum pateretur ac debitor, hic a facienda restitutione non excusatur.

Articulus primus.

De condonatione.

515. Quae condonatio et quando excuset. Condonationem a restitutione sive statim sive simpliciter facienda liberare manifestum est: potest enim creditor iuri suo renuntiare.

1. Non solum condonatio *expressa* et *tacita*, sed etiam *praesumpta* a restitutione facienda excusat.

a. Condonatio *expressa* locum habet, quando creditor aut ab ipso debitore aut ab alio eius nomine rogatus debitum remittit. Con-

fessarius hoc officium nomine poenitentis condonationem petendi tum potissimum assumere potest, quando moribundus restitutionem diviti faciendam praestare nequit, ut condonatione accepta debitor tranquillius moriatur.

b. Creditor *tacite* debitum condonare censetur, si e. g. chirographum debiti lacerat vel debitori restituit, sed non censetur condonare debitum, si pignus restituit.

c. Condonatio *praesumpta* habetur, quando prudenter iudicari potest creditorem, si vel ab ipso debitore vel ab alio e. g. a confessario eius nomine rogaretur, debitum liberaliter remissurum esse.

d. Ad condonationem revocatur etiam *conventio*, qua creditor debitori concedit, ut per restitutionem exiguae partis ab integro debito liberetur. Creditores nempe deprehendentes labilem debitorum fortunam haud aegre ad aliquam compositionem faciendam adiguntur, qua saltem partem bonorum, quae sibi debentur, accipiant. Compositione hac debita exstincta censentur; quare debitor, qui postea ad meliorem fortunam devenerit, ad nihil amplius tenetur.

2. Ut condonatio a restitutione excuset, *a.* fieri debet *ab ipso* rei ablatae vel destructae *domino:* qui enim dominium non habet, nec ius donandi habet; hinc non valet per se condonatio circa bona familiae ab uxore vel filiis facta, quippe qui in ea bona dominium non habeant; *b.* debet esse *libera:* etenim est donatio; de ratione autem donationis est, ut sit libera. Ergo condonatio vi, fraude, gravi metu extorta vel ex errore facta invalida est.

Condonatio non immerito praesumitur:

a. In furtis etiam maioris momenti, quae *a filiisfamilias* domi facta sunt, si res ablatae non amplius exsistunt: parentes enim ordinarie non tam inviti sunt propter rem ablatam, quam propter modum (clam) auferendi et propter peccatum ablatione commissum; ideo restitutionem raro urgent. Idem valet de furtis uxorum.

b. In furtis minoris momenti, quae *a famulis* in esculentis vel in aliis rebus ipsorum custodia commissis perpetrantur, nisi extra domum asportentur aut vendantur. Si furta sive pecuniae sive aliarum rerum in materia gravi fiunt, condonatio tum praesumi potest, ubi famulus re deprehensa a domino corripitur aut e famulatu dimittitur, quin iste restitutionem exigat, alias non potest facile praesumi.

c. In furtis minutis, quae *ab operariis* de rebus heri, apud quem laborant, committuntur; sic operarii in silvis vel vineis vel fabricis laborantes quandoque aliquid secum asportant, quod dominus non multum curat, cuius proinde restitutionem non urgere supponitur.

d. In furtis minutis *pauperum*, quae diversis dominis fiunt. Si furta eidem domino facta sunt, exigendum est, ut pauperes quoque, si fieri potest, aliquam saltem partem restituant. Qua restitutione facta, si propositum concipiunt non amplius furandi, quoad reliquam partem facilius condonatio supponi potest.

Articulus secundus.

De impotentia.

516. Quae impotentia et quando excuset. A restitutione excusat tum *impotentia physica,* quando debitor non habet nec postea habere potest, unde restituat, tum *impotentia moralis,* quando restitutio fieri non potest sine gravi damno, quod exinde debitori vel tertio oriretur. Hinc impotentia restituendi vel potius iusta causa differendi restitutionem adesse censetur:

1. Si debitor restituendo incideret in gravissimam vel gravem necessitatem.

2. Si debitor restituendo decideret ex statu suo iuste acquisito e. g. ex statu mercatoris ad condicionem operarii.

Iuste acquisito: qui enim statum suum iniuste (fraudibus, dolis, rebus alienis) acquisivit, non potest licite ideo differre restitutionem, quia alias statum suum amitteret: etenim restituendo non amittit statum suum, sed potius ad statum suum redit.

3. Si debitor restituendo grave damnum pateretur in bonis fortunae, quod differendo restitutionem vitaret, ut si agricola restituendo se privare deberet frumento ad colendos agros necessario, vel si negotiator „obligationes“ cum magno detrimento vendere deberet.

4. Si restitutio fieri nequit sine gravi damno in bonis altioris ordinis e. g. sine periculo peccati vel vitae vel famae.

517. *Num ingressus in religionem a restitutione excuset.*

1. Si debitor religionem nondum ingressus est, cum distinctione responderi debet. Ubi spem habet intra breve tempus debita solvendi, ingressum differre tenetur, quia creditores rationabiliter inviti sunt, quod propter exiguum damnum spirituale non

satisfaciat suis obligationibus temporalibus. Quodsi debitor ad solvendum diu in saeculo manere deberet, spectato iure naturae licite ingredi potest religionem, quia creditores nequeunt esse rationabiliter inviti, quod cum tanta iactura in bonis spiritualibus non satisfaciat suis obligationibus temporalibus.

2. Si religiosus debitor est, sive quia debitis gravatus religionem ingressus est, sive quia debita in religione contraxit, haec tenenda sunt.

a. Religio non liberat ab obligatione solvendi debita, nisi quatenus solutionem impossibilem reddit; sed neque praelatus tenetur debita solvere de bonis monasterii, nisi debitorem mala fide suscepisset aut religiosus eius nomine debita contraxisset.

b. Ideo religiosus debitor tenetur ad labores statui et condicioni convenientes, ut lucretur ea, quibus solvere possit, si praelatus licentiam dederit; ad labores autem extraordinarios et statui non convenientes non tenetur, etsi superior licentiam dedisset.

Praelatus, qui ad labores ordinarios licentiam negat, *iustitiam* non laedit, quia ipse nihil debet et ius habet in subditi sui labores; *caritatem* autem laedere videtur, si absque iusta causa hanc licentiam neget.

c. Si religiosus debitor bona monasterio acquirit sive hereditate sive donatione sive stipendio laboris sui e. g. doctione, deductis expensis debita ex iis solvi debent: haec enim bona monasterio acquiruntur cum illo onere, quod adnexum habuissent, si in dominio religiosi debitoris mansissent[1]).

Articulus tertius.

De cessione bonorum.

518. Declarationes. *Cessio bonorum* dicitur ille actus, quo debitor, qui omnibus debitis solvendis impar est, bona sua creditoribus tradit, ut exinde debita ipsis solvantur.

1. Duplex distinguitur cessio bonorum, altera *voluntaria,* qua cessio a debitore oblata sponte a creditoribus acceptatur, altera *iudiciaria,* quae fit interveniente iudice, et quidem dupliciter: vel enim ipse debitor bonis suis

[1]) Cf. *Lugo,* disp. 3. n. 220. *Lacroix* l. 3. pr. 2. n. 441 ss. *Reuter* III. n. 362. *Lehmkuhl,* I. n. 1039.

coram iudice *sponte* cedit, vel ad actionem unius e creditoribus bonis suis cedere *cogitur*.

Cessio *voluntaria* eos effectus habet, de quibus debitor et creditores conveniunt; in cessione *iudicaria* re ad iudicem quomodocunque delata indicitur *concursus*, scilicet creditores ad iudicem concurrunt et iura sua probant, ut ex bonis debitoris (venditis vel subhastatis) solutionem accipiant.

2. Cessio ex parte debitoris potest esse *culpabilis* aut *inculpabilis*, prout debitor aut propria culpa aut absque culpa ex mero infortunio factus est ad solvendum impar.

519. Principia. 1. Ordo iuridicus cessionis bonorum ex communi theologorum sententia in conscientia obligat, quatenus non adversatur iuri naturae.

2. Cessione bonorum iuridice declarata debitor a lege privatur administratione et libera dispositione bonorum suorum; creditores vero ius acquirunt ex bonis illis solutionem percipiendi.

a. Ideo non licet ei, qui bonis cessit, bona vel credita sua i. e. ea, quae ab aliis sibi debentur, subducere creditoribus suis. Immo ne ante cessionem quidem hoc facere licet, quia debitor sic directe intendit se impotem facere ad satisfaciendum creditoribus. Quare iniuste agit, qui sive ante sive post intimatam cessionem ad illum finem bona sua vendit filiis suis vel credita sua transcribenda curat in uxorem, nisi iusta causa hanc agendi rationem licitam reddat, ut si uxor ad creditores pertineret, vel si ea, quae in uxorem transcribuntur, sustentationi necessaria essent.

b. Hinc si debitor facta bonorum cessione donationes facit vel debita remittit, actiones istae invalidae sunt; item cessoris debitores debita non cedenti, sed eius creditoribus solvere debent.

3. Debitor, qui bonis suis cedit, iure naturae occulte sibi retinere potest, quae ad suam suorumque honestam sustentationem, si iuxta statum suum parce vivit, necessaria sunt[1]): nam obligatio restitutionis saltem statim faciendae cessat, si absque gravi incommodo fieri non potest; ideo non tenetur in gravem necessitatem se coniicere, nec e statu suo iuste acquisito decidere, ut restituere possit.

[1]) C. A. in hac re consentiens cum iure romano non permittit, ut debitor de bonis suis quidquam retineat; ius tamen, quod natura ad necessariam sustentationem concedit, auferre non potest.

a. Ergo contra iustitiam peccat, qui praeter haec necessaria alia bona e. g. pretiosiora occultat aut vendit aut alio modo creditoribus subtrahit, nisi agatur de re, quam ipsi cedentes maximi faciunt e. g. ob memoriam parentum, alii vero in magno pretio non habent.

b. Iniustitiae damnandus non est, qui sibi reservat media, quibus aliud negotium a parvis initiis inchoare possit: ad sustentationem enim necessariam pertinet etiam inchoatio alicuius negotii.

c. Defuncto marito debitis obstricto, eius heredes, uxor nempe et filii, de bonis defuncti, antequam creditores ea accipiant, clam subducere possunt, quantum ad honestam sustentationem necessarium iudicant.

4. Cessio bonorum per se non exstinguit obligationem plene solvendi, sed eam solum suspendit usque ad illud tempus, quo debitor ad meliorem condicionem pervenerit, nisi creditores explicite vel implicite declaraverint se reliquam debiti partem condonare.

a. Causa enim a restitutione excusans in hoc casu cessionis bonorum est impotentia; impotentia autem non omnino, sed tamdiu solum excusat, quamdiu ipsa perdurat; quare cessante impotentia iterum urget obligatio restituendi.

b. Iurium recentium alia expresse statuunt manere obligationem postea restituendi, alia vero eum, qui bonis cessit, in foro externo a restitutione postea facienda deobligant. Hinc factum est, ut theologi quaerere inciperent, num ille, qui bonis cessit, etiam in conscientia ab onere restitutionis deobligaretur. Omnes quidem concedunt eum, qui propria culpa ad solvenda debita factus est impotens, ab obligatione restituendi non liberari; eum vero, qui inculpabiliter factus est impotens, nonnulli ab hac obligatione immunem declarant, nisi creditores expressam condicionem addant, quod maneat obligatio postea solvendi. Iam vero cessorem ab obligatione immunem esse concedi potest, ubi communis persuasio invaluit ipsam obligationem restituendi cessare, si lex civilis creditoribus propter cessionem bonorum actionem iudicialem contra debitorem negat: nam iuxta hanc persuasionem creditores cessionem acceptare censentur, nisi aliud expresse declarent.

Articulus quartus.

De compositione.

520. Declaratio. A restitutione excusat etiam *compositio* cum summo pontifice. Compositio est debiti remissio auctoritate summi pontificis facta. Compositione

quandoque conceditur integri debiti remissio, quandoque maiore eius parte remissa exigua pars in pias causas erogari debet. Duplex eaque diversa distingui debet compositio: *a.* pro bonis incertis; *b.* pro bonis ecclesiasticis.

521. Compositio pro bonis (debitis) incertis. 1. Cum haec bona licite retineri non possint, nisi praescriptione evaserint propria debitoris, aut eorum restitutio facienda (n. 503) aut eorum condonatio a summo pontifice petenda est.

2. Hanc condonationem s. pontifex ita facere solet, ut aliquam debiti partem causis piis applicandam decernat, reliquam partem remittat ac tandem fructum spiritualem, qui ignoto domino hac condonatione subtrahitur, ex thesauro ecclesiae suppleat[1]).

a. Iusta condonationis *causa* haec est, quia per eam debitoris conscientiae consulitur, qui omissa restitutione facile in mala fide mansisset, et quia per eam piis causis, quae forte nihil accepissent, saltem pars debiti acquiritur.

b. Hac condonatione obligatio restituendi penitus exstingui censetur, ita ut debitor domino casu postea comparenti non teneatur quidquam restituere[2]).

3. Ad compositionem obtinendam recurrendum est ad s. poenitentiariam; sed ubi viget bulla *Cruciatae,* cuius ultima pars est bulla *Compositionis,* obtinere potest compositionem, qui praedictam bullam sibi comparet.

522. Compositio pro bonis ecclesiasticis. 1. Posse summum pontificem condonationem facere, ubi agitur de bonis ecclesiae ablatis eique restituendis, facile conceditur, cum ipse sit supremus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum. Haec condonatio tum *gubernii*s tum *privatis* conceditur, non solum pro bonis *immobilibus,* sed etiam pro bonis *mobilibus* ecclesiae ablatis.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 6. n. 150.
[2]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1024.

2. *Gubernia,* quae bona ecclesiastica occuparunt, fere ubique a summo pontifice condonationem impetrarunt, adeo ut tum gubernia tum privati, qui a gubernio eiusmodi bona acceperant, ea legitime possideant.

Recenti tempore complures eiusmodi compositiones guberniis catholicis concessae sunt, ita quidem ut bona ecclesiastica sine obligatione alicuius oneris implendi tamquam propria retineri et libere alienari possint.

a. Pro *Gallia* conventione inita inter Pium VII. et Napoleonem 15. iul. 1801 condonatio facta est quoad bona ecclesiastica, quae usque ad illud tempus a gubernio occupata et alienata erant; postmodum condonatio extensa est ad omnia bona a gubernio usque ad illud tempus occupata, etsi nondum alienata fuissent[1]).

b. Pro regno utriusque *Siciliae* condonatio facta est 17. mart. 1819 quoad bona ecclesiastica ante annum 1818 alienata.

c. Pro tota *Sardinia* condonatio facta est 14. maii 1828 quoad omnia bona ecclesiastica usque ad illud tempus a gubernio occupata et alienata.

d. Pro *Belgio* condonatio facta est 16. sept. 1833 quoad omnia bona ecclesiastica a gubernio occupata.

e. Pro *Hispania* condonatio facta est per concordatum a. 1851 et 1859, ita ut omnes, qui bona ecclesiastica a gubernio usurpata emerunt, ea tuta conscientia sine ulla priorum onerum obligatione possidere possint.

f. Pro Archid. *Coloniensi* et pro dioec. *Trevirensi* et *Monasteriensi* condonatio facta est 27. nov. 1891 quoad occupationes a gubernio gallico usque ad finem anni 1814 in sinistra Rheni ripa continuatas.

Haec condonatio 7. febr. 1894 extensa est ad bona ecclesiastica, quae in toto regno Borussiae usque ad finem anni 1824 saecularizata sunt et de praesenti a privatis tamquam propria possidentur vel in posterum possidebuntur.

3. *Privatis,* qui bona ecclesiastica aut ipsi occuparunt aut emerunt a gubernio usurpatore, cui condonatio facta non est, universalis condonatio nunquam concessa est, quare, ut legitime ea possideant, in singulis casibus ad s. sedem pro compositione recurrere debent, *nisi bona iam sint praescripta.*

---

[1]) *S. Poenitent.* 20 mart. 1818. Breve *Pii VII.* 20. oct. 1821.

Praescriptio horum bonorum admittenda videtur, modo adsint condiciones a iure canonico ad id requisitae (n. 406). Quia tamen quoad bona ecclesiastica immobilia raro de exsistentia illarum condicionum et praesertim de bona possessorum fide constare potest, consulendus est recursus ad compositionem cum s. sede.

4. Quoad *bona mobilia* haec statuit s. sedes[1]): *a.* Iis, qui acquisierunt bona ecclesiastica mobilia, quae servari nequeunt, imponenda est aliqua eleemosyna in favorem locorum piorum, ad quae illa bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod iudicio ordinarii vel confessarii fuerit minus iusto. *b.* Si agitur de bonis, quae servari possunt (vasa sacra, suppellectilia), imponatur poenitentibus obligatio quam primum recurrendi ad ordinarium, qui iuxta facultatem sibi concessam providebit.

---

[1]) *Poenitent.* 1. iun. 1869.

Caput quartum.

De contractibus[1].

Quaestio prima.

De contractibus in genere.

Articulus primus.

De natura contractuum.

523. Notiones. Frequentissimus modus acquirendi dominii sunt *contractus*, quibus magna pars vitae socialis continetur (n. 382).

Termini *pactum, contractus, stipulatio,* qui in iure romano distinguuntur, nunc sine discrimine adhiberi solent.

1. *Contractus* definiri potest: duorum vel plurium de iure transferendo consensus.

a. Distingui debet contractus *in fieri*, qui in mutuo consensu consistit, quo alter ius aliquod transfert, alter illud acceptat, et contractus *in facto esse,* qui est effectus ex mutuo consensu ortus. Iste effectus est acquisitio et possessio iuris translati et acceptati, quocum cohaeret obligatio, ex translatione iuris orta, aliquid faciendi vel omittendi. Porro allata definitio contractum in fieri exhibet.

b. Effectus igitur immediatus cuiusvis contractus est *commutatio iuris,* ex qua oritur *obligatio* aliquid faciendi vel omittendi, quae obligatio pro diversitate contractus vel ex utraque vel saltem ex una parte oritur.

---

[1]) *Ioan. de Lugo,* De iustitia et iure tom. II. De contractibus. *Lud. Molina,* De iustitia et iure tom. II. De contractibus. *L. Lessius,* De iustitia et iure. 1. 2. c. 17.—28. *Ios. Carrière,* de contractibus 3 tom. (Parisiis Mequignon. 1839). *Ios. Schwane,* Die theol. Lehre über die Verträge[2] (Münster. Theissing. 1872). *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert 1904) q. 7—10. Accedunt auctores, qui integram theologiam moralem exararunt, supra p. 382 citati.

c. Ipse contractus ciusque obligatio a contrahentium libera voluntate potissimum dependet, adeo ut contractus sine voluntate contrahentium non subsistat et ultra eorum voluntatem non obliget.

2. Ad contractum valide ineundum *quatuor condiciones* essentialiter requiruntur: *a. materia apta; b. personae habiles; c. mutuus consensus; d. causa consensus;* de quibus singulis dicendum est. Essentia tamen contractus in mutuo consensu circa aliquod ius consistit, adeo ut contractus tamdiu sit quoad essentiam imperfectus, quamdiu uterque contrahens non dederit consensum.

3. In omni contractu *tria distingui* debent: essentialia, naturalia et accidentalia.

a. Essentialia contractus ea dicuntur, sine quibus certus contractus substantialiter perfici non potest, ut consensus contrahentium et merx atque pecunia in venditione: nam sine consensu non esset contractus, et sine merce et pretio non esset venditio.

b. Naturalia contractus ea dicuntur, quae sive ex lege sive ex consuetudine in contractu contineri censentur, nisi expressa contrahentium voluntate excludantur, ut in venditione securitas emptoris in casu evictionis.

c. Accidentalia contractus ea dicuntur, quae a contractu exclusa censentur, nisi expressa contrahentium conventione in illum recipiantur, ut solutio in determinata pecunia vel dilatio solutionis ultra tempus a lege statutum.

524. Contractuum divisiones. 1. Ratione *effectus: a. Unilaterales,* qui in uno tantum contrahentium obligationem pariunt ut promissio et donatio; et *bilaterales,* qui in utroque contrahente obligationem pariunt ut emptio-venditio, locatio-conductio, mutuum, commodatum.

b. Nudi, qui solum naturalem seu conscientiae obligationem gignunt; *vestiti,* qui obligationem naturalem et civilem seu in foro externo pariunt.

Contractus nudi solo contrahentium consensu nituntur; hos forum externum non agnoscit neque ad eorum exsecutionem auxilium praebet. Contractus *vestiti* praeter contrahentium consensum alias insuper sollem-

nitates a lege praescriptas adiunctas habent e. g. scripturam et proinde in foro civili agnoscuntur et actionem civilem pariunt. Contractus, qui actionem civilem non pariunt (nicht klagbare Verträge), pro diversitate codicum civilium diversi sunt.

c. Gratuiti, in quibus unus tantum contrahentium onus assumit, alter solum commodum habet ut in donatione, commodato, deposito; *onerosi,* in quibus uterque contrahentium onus et commodum habet ut in venditione, locatione, in quibus uterque aliquid accipit et aliquid reddere debet.

2. Ratione *modi: a.* Contractus *consensuales,* qui solo consensu essentialiter perficiuntur ut in nonnullis iuribus venditio; et *reales,* qui rei traditione tandem essentialiter perficiuntur ut mutuum, pignus.

Sunt contractus, quorum ipsa natura et nomen realem obiecti traditionem exigit ut mutuum, commodatum, depositum; nonnulli autem contractus ad sui essentiam praeter mutuum consensum exterius manifestatum aliud non exigunt ut venditio, locatio etc. In his contractibus realis materiae traditio ex iure naturae non ad essentiam, sed ad eorum exsecutionem et complementum pertinet.

b. Sollemnes, qui certis formalitatibus in iure praescriptis fiunt; *simplices,* qui sine formalitatibus ex solis condicionibus iuris naturalis contrahuntur.

Ex iure naturae in celebrandis contractibus nullae formalitates requiruntur, adeo ut sine illis validi sint; iure positivo autem pro quibusdam contractibus determinatae formalitates seu sollemnitates praescribuntur, sine quibus in iure civili non valent; sic pro testamentis, hypotheca certae formae legales praescribuntur.

c. Contractus *formaliter initi,* qui fiunt verbis aut signis consensum expresse exhibentibus; *virtualiter initi* seu quasi-contractus, qui fiunt tacito contrahentium consensu; sic ille, cui confertur officium iudicis vel parochi, acceptando officium tacite se obligat ad subeundas omnes obligationes illius officii; susceptio igitur officii est *quasi-contractus.*

Iurisperitis autem quasi contractus est *contractus praesumptus,* in quem unus contrahentium non consentit quidem, quia contractum ignorat, in quem tamen consentiret, si illum cognosceret; sic qui absentis negotium utiliter gerit, merito praesumit absentem in negotii gestionem consentire. Sane negari nequit validos esse contractus, praesertim permutationes, ex praesumpta alterius contrahentis voluntate, dummodo

haec rationabiliter praesumi possit, quod obtinet, si permutatio alteri non nocet, sibi vero prodest.

3. Contractus *certi eventus,* in quibus aliquid dandum vel faciendum est independenter a fortuito eventu ut in donatione, locatione; contractus *aleatorii* (Glücksverträge), in quibus aliquid dandum vel faciendum est solum dependenter a fortuito eventu ut in ludo, sponsione, assecuratione.

4. Contractus *nominati,* qui nomen proprium in iure habent ut venditio, locatio etc.; et *innominati,* qui proprio nomine carent et ideo solum generico nomine contractus significantur. Contractus innominati ad *quatuor species* revocantur: *a. do ut des; b. do ut facias; c. facio ut facias; d. facio ut des.* Notandum est verbo facere etiam *non facere* significari e. g. do tibi pecuniam, ne me accuses.

5. Contractus *principales* et *accessorii,* prout subsistunt in se et independenter ab alia conventione ut venditio, vel pendent ab alia conventione aut eam supponunt ut hypotheca.

6. Contractus *puri,* quibus nullus modus aut nulla condicio additur; et *qualificati,* quibus modus vel condicio additur; quare contractus qualificati subdividuntur in contractus *modificatos,* quibus modus, et *condicionatos,* quibus condicio additur.

Aliae sunt contractuum divisiones, quae tamen vel in codicibus recentibus non occurrunt ut contractus *bonae fidei* et *stricti iuris,* vel ex ipsis terminis per se intelliguntur ut contractus *validi, firmi, irriti* et *rescindibiles.*

Articulus secundus.

De materia contractuum.

525. Quae sit materia contractuum. Quidquid obiectum dominii constituit, sive est res sive actio sive actionis omissio, generatim potest esse materia contractus; in specie vero nonnullae qualitates necessario requiruntur, ut contractus validus iniri possit: materia contractus

debet esse *possibilis, exsistens, propria, honesta, pretio aestimabilis.*

1. **Possibilis** tum physice tum etiam moraliter, nisi quis sponte etiam ad rem valde difficilem se obligare voluerit: ad physice impossibile enim nemo obligari potest, et ad moraliter impossibile nemo se obligare velle censetur, nisi id expresse dicat.

a. Si quis ergo sponte se obligavit ad rem valde difficilem vel ad actum heroicum, contractus, nisi aliunde sit irritus, ratione obiecti valet. Si quis autem per contractum ad rem praestandam se obligavit, quae postea ex adiunctis non praevisis facta est valde difficilis, ad contractum amplius non tenetur.

b. Si materia contractus est divisibilis et tota praestari nequit, manet obligatio praestandi partem possibilem, nisi ex natura rei vel ex mente contrahentium constet eos vel ad totum vel ad nihil se obligare voluisse. Qui tamen sua culpa effecit, ut materia contractus impossibilis redderetur, damnum alteri contrahenti exinde ortum reparare tenetur.

2. **Exsistens** in re aut saltem in spe ut fructus pomarii nondum nati: etenim non potest ius transferri in rem, quae non exsistit nec unquam exstitura speratur.

526. 3. **Propria contrahentis:** nemo enim potest in alium transferre dominium, quod ipse non habet: ideo invalida est donatio rei furto ablatae.

a. Si duo contrahunt de re ab aliquo tertio praestanda, contractus ita intelligendus est, ut contrahens se obliget ad curandum, ut alter rem praestet; alias non de facto proprio, sed de facto alieno iniret contractum.

b. Fieri potest contractus de re, quae eo tempore, quo fit contractus, adhuc est in dominio alterius, modo futura sit in dominio contrahentis; iura tamen moderna fere omnia invalidam declarant venditionem hereditatis, quae a persona adhuc superstite exspectatur[1]).

4. **Honesta et licita:** ad actionem enim inhonestam vel illicitam nulla est obligatio; alias daretur obligatio ad idem simul faciendum et omittendum. Quare nullam ob-

[1]) C. A. § 879.

ligationem inducunt contractus de re mala e. g. de patrando homicidio, furto etc.

Ad valorem contractus sufficit, ut res *quoad substantiam* sit honesta, quamvis accidentalis aliqua circumstantia illicita sit, quo in casu contractus de re honesta *illicite* perficitur; sic venditio armorum contra prohibitionem reipublicae valida est, sed illicita.

5. **Pretio aestimabilis,** si contractus fit de re pro pretio permutanda. Pretio aestimabile est, quod uni quidem laboriosum est vel quod eum commodo privat, alteri vero utile vel delectabile est; quare iniuste pecuniam exigit, qui transeunti viam ostendit, quia labor ad id necessarius minor est, quam qui pretio aestimari possit, et pari modo non valent contractus de re prorsus inutili.

a. Ergo pretio aestimabilis est non solum res vel actio, quam quis praestandam assumit, et commodum, quo quis se privat, sed etiam obligatio, quam quis in se suscipit.

b. Nihil impedit, quominus *res spirituales* possint constituere obiectum contractus sive gratuiti sive onerosi, modo vitetur simonia i. e. modo non permutentur pro pretio temporali; sic de oratione vel de missa potest fieri promissio aut donatio aut permutatio cum alia re spirituali.

527. *Num validus sit contractus de re aliunde iam debita, adeo ut pro ea mercedem accipere liceat.*

a. Non potest valide contrahi de re, quae alteri contrahenti iam est ex iustitia debita, quia contractus fieret de transferendo iure, quod alius independenter a contractu iam habet. Sic iudex non potest contractum inire accipiendi aliquid pro ferenda iusta sententia, nec inventor pro restituenda re inventa.

b. Potest autem valide et licite contrahi de re, quae tertiae personae ex iustitia iam debita est, si etiam alteri ita prodest, ut priori non noceat; ergo potest aliquis pro eadem actione a pluribus integrum pretium ex pacto accipere: opera enim, quam praestat, digna est pretio nec minus utilis est pluribus quam uni[1]).

[1]) Cf. *Holzmann,* Theologia moralis t. 4. n. 279.

Sic qui a Petro conductus est ad iter alicuius negotii causa suscipiendum, potest etiam a Paulo eiusdem itineris pretium accipere, si illius etiam negotium simul conficere potest. Etsi enim iter iam uni sit ex iustitia debitum, non tamen secundum totum suum valorem, sed eatenus tantum ei debitum est, quatenus ad finem, ob quem a Petro conductum est, requiritur.

c. Per se validus, sed illicitus est contractus de re, quae alteri contrahenti ex caritate vel ex alia virtute iam debetur, ut si medicus vel advocatus pretium exigit a paupere, cui ex caritate operam suam gratis praestare tenetur: inito enim contractu pauper non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia operam exigere potest, id quod pretio aestimabile est.

d. Validus et per se etiam licitus est contractus de re ex alio titulo seu ex alia virtute, sed non alteri contrahenti iam debita e. g. de audienda missa die festo, de deponendo odio: pretio enim respondet ius, quod alter contrahens acquirit et antea non habebat. Qui tamen ita dispositus est, ut rem debitam non praestaret, nisi pretium solveretur, hoc actu voluntatis peccat, contractus autem validus est.

Articulus tertius.

De personis habilibus.

528. Quae sint personae habiles. 1. *Iure naturae* habiles ad contrahendum sunt omnes, qui usu rationis pollent: ad validum enim contractum ex parte contrahentis aliud non requiritur, nisi ut sufficientem consensum exhibere possit i. e. consensum, qui sit actus perfecte humanus.

Ergo per se *inhabiles* sunt, qui usu rationis carent ut infantes et perpetuo amentes, ebrii et furiosi eo tempore, quo incapaces sunt actus perfecte humani; praeterea inhabiles sunt semifatui, semiebrii, semidormientes, semidelirantes, quia perfectum usum rationis non habent. Inhabiles autem non sunt impuberes, nec qui monomania laborant, modo circa rem, de qua contrahunt, sana ratione utantur.

2. *Iure positivo* ad contrahendum habiles sunt omnes, qui iure naturae valide contrahere possunt, nisi inhabiles declarentur a lege. Iamvero a lege generatim ad contrahendum inhabiles declarantur, qui liberam bonorum suorum administrationem non habent; in specie vero *minores*, *interdicti*, qui scilicet per iudicis sententiam declarantur incapaces exercendi actus civiles, et *uxores*. Quid personae istae quoad contractus possint, quid non possint, desumendum est ex codice civili[1]).

a. Lex positiva, dum contractus quarundam personarum infirmat, *ius naturae* unicuique insitum *limitat* et coarctat, idque iuste ob bonum commune, tum ne personae minus peritae decipiantur et damnum subeant, tum ut familiarum paci consulatur. Quare dispositio legis, quae in communi periculo fundatur, valet, etsi in casu particulari nullum incommodum sequatur.

b. Hac legis dispositione contractus personae de iure inhabilis in codicibus modernis plerumque non constituitur invalidus, nisi iudicis sententia irritetur, sed solum *infirmus*, qui scilicet ad arbitrium personae inhabilis, non autem alterius contrahentis, intra tempus a lege determinatum rescindi possit. Quare accedente condicione a lege praescripta eiusmodi contractus fit omnino firmus; sic contractus filii minoris aut uxoris accedente consensu patris aut mariti, vel contractus, qui non rescinditur tempore a lege determinato, evadit firmus.

c. Ad firmandos contractus minoris momenti sufficit consensus praesumptus patris vel tutoris. Ideo firmi sunt contractus, quibus minores parva donant aut emunt aut vendunt aut in lusum expendunt.

529. *Num minores (interdicti, uxores) in conscientia uti possint beneficio legis civilis.* — Beneficium a lege civili minoribus etc. concessum duplex est: *a.* quod eorum contractus, si condicione a lege requisita careant, rescindibiles sint; *b.* quod minores, si contractus rescindatur, rem acceptam restituere non teneantur, nisi vel in se vel in aequivalenti adhuc exsistat[2]).

---

[1]) C. A. § 865. 270. Uxor ex C. A. § 1237 ss. *de bonis suis* libere contractus inire potest. C. G. § 106 ss.

[2]) C. A. § 865. C. G. § 108; alii codices hos contractus non simpliciter, sed tum solum rescindibiles declarant, si minorennis laesus fuerit, ut C. Gall. et C. Angl.

Si *absque fraude* egerint, uti possunt utroque beneficio, quia tum firmitas contractus tum obligatio restituendi (si res non amplius exsistat) ob bonum commune a lege sublata est. Quin immo, ne lex prorsus irrita fiat, hoc beneficio uti possunt, etsi specialem promissionem dederint solvendi in omni hypothesi vel renuntiandi beneficio legis.

α. Si ergo minorennis absque consensu patris aliquid emit, venditor nondum tradita merce non potest eum cogere ad dandum pretium; si tamen minor velit stare contractui, potest cogere venditorem ad tradendam mercem pro statuto pretio: venditor enim servare debet contractum, emptor autem minorennis illum rescindere potest. Si res tradita sit, venditor cogi potest, ut recipiat rem et reddat pretium. Quodsi minorennis rem emptam nondum soluto pretio inutiliter consumpsit, venditor nequit exigere solutionem pretii.

β. Minorennis, qui sine consensu patris aut curatoris mutuam accepit pecuniam eamque in usus inutiles consumpsit, facta contractus rescissione non obligatur ad restitutionem, etsi postea maior effectus restituere posset. Qui enim cum minoribus, etsi bona fide, contrahunt, sibi imputare debent damnum, si quod exinde patiuntur. Tenetur autem ad restitutionem, si pecuniam in usus necessarios et utiles impendit, quia tunc ea ditior factus est[1]).

γ. Si minorennis apud iudicem rescissionem contractus petit, quem ex lege rescindere potest, *caritas* exigit, ut altera pars non exspectata iudicis sententia contractum rescindat, ne minorennis expensas inutiles facere cogatur.

Articulus quartus.

De consensu contrahentium.

De consensu contrahentium exponendum est: *a.* quaenam sint *qualitates* validi consensus; *b.* quaenam sint *vitia* consensus.

§ 1. De qualitatibus consensus.

530. Ut contractus iure naturae validus sit, consensus debet esse:

---

[1]) Cf. *Reuter,* III. n. 151; *s. Alphonsus* n. 757.

Verus seu internus, non externus tantum seu *fictus*, nam translatio iuris, quae fit per contractum, et obligatio, quae inde sequitur, ex voluntate contrahentis procedit; hac ergo deficiente nullus potest esse contractus.

a. Consensus *fictus* habetur, quando aliquis exterius quidem contrahit, attamen interius animo contrahendi seu, quod ad idem redit, animo se obligandi caret: animus enim se obligandi cum voluntate contrahendi necessario nexu cohaeret. A voluntate contrahendi et se obligandi distinguenda est voluntas contractum implendi.

b. Qui ficte consentit seu qui contrahit *sine animo se obligandi*, nullum contractum init, ideo ratione contractus ad nihil tenetur; quodsi fingens consensum eoque alterum decipiens ei damnum intulit, hoc damnum reparare tenetur, et si illud aliter reparare nequit, tenetur implere, quod ficte promisit.

c. Qui contractum init cum voluntate contrahendi, sed cum voluntate contractum *non implendi*, valide contrahit ideoque veram obligationem suscipit eamque vi contractus implere tenetur.

d. Fictio in contrahendo non praesumitur, sed *probanda est.* Si tamen fictio in illis adiunctis accidit, in quibus ab altero contrahente facile deprehendi potuit, in utroque foro praesumitur alterum fictionem sufficienter deprehendisse, ideoque ille, qui ficte consentit, ad compensationem obligari nequit: etenim scienti et volenti non fit iniuria.

531. Liber et deliberatus, i. e. praestitus cum illa advertentia, deliberatione et libertate, quae ad actum perfecte humanum requiritur, sive contractus est de materia gravi sive de materia levi: contrahens enim veram et perfectam obligationem iustitiae sibi imponit; haec autem solum ex actu perfecte humano procedere potest.

Ideo contractus initus cum consensu semideliberato etiam unius solum contrahentis nullus est. Atque haec est ratio, propter quam semifatui, semiebrii, semidormientes etc. validum contractum inire nequeunt, ad eundem modum, quo iidem validum votum, etiam sub levi solum obligans, emittere non possunt.

532. Mutuus, i. e. ab utroque contrahente de eodem obiecto praestitus: nequit enim unus sua voluntate alteri acquirere ius eumque sibi obligare, nisi ipse velit et consentiat. Ideo contractus unilateralis non perficitur, nisi alter ius oblatum acceptet; contractus vero bilateralis non perficitur, nisi uterque ius oblatum acceptet.

a. Non requiritur, ut consensus utriusque contrahentis *eodem tempore* eliciatur et exprimatur, sed sufficit, ut consensus unius non sit revocatus, sed virtualiter seu moraliter adhuc perduret, quando alter consensum suum elicit et exprimit. Quare consensum contrahentium debere esse *simultaneum* aliud non significat nisi unius consensum praestari debere, quamdiu alterius consensus perdurat.

b. Qui alteri contractum offert, ipse de iure naturae etiam *determinare potest tempus*, intra quod alter in contractum consentire debeat, ac proinde determinare potest, quamdiu suus consensus virtualiter perduret. Quare si alter intra hoc tempus consentit, contractus est validus, si autem post hoc tempus consentit, contractus non valet ex defectu mutui consensus. Item qui alteri contractum obtulit, de iure naturae *ab oblatione sua recedere potest,* quamdiu alter nondum consensum dedit. Ad excludendas autem lites, quae ex hoc capite circa valorem contractuum oriri possent, leges positivae constituere solent, quamdiu consensus eius, qui alteri contractum offert, perdurare censeatur, et quamdiu offerens contractum ab oblatione resilire possit. De hac re igitur consulendi sunt codices civiles[1]).

c. Si contrahitur per procuratorem, contractus tum essentialiter perficitur, cum procurator consentit, etsi ipse contrahens nondum consenserit: consensus enim procuratoris moraliter censetur esse consensus ipsius contrahentis.

533. Signo sensibili manifestatus, ita ut ab altero percipi et acceptari possit: actus enim, qui ad mutuum hominum commercium pertinent, signis externis manifestari debent. Hinc si quis alteri offert contractum, is non perficitur, quando alter interne consentit, sed quando eius consensus exterius manifestatur.

a. De iure naturae ad valorem contractus non requiruntur verba, sive ore prolata sive scripta, sed sufficit quodcunque signum externum, quod ad exprimendum consensum aptum sit; attamen leges positivae ad praecavendas lites quandoque praecipiunt, ut contractus verbis vel scripto perficiantur, adeo ut contractus sine hisce signis initi aut invalidi sint aut saltem obligationem civilem non pariant.

b. Num taciturnitas eius, cui contractus offertur, sit signum sufficiens consensus. — α. Taciturnitas pro consensu habetur, si contractus sit favorabilis tacenti ut in promissione aut donatione: acceptatio enim favoris merito praesumitur et accedente vel levissimo signo fit certa. β. Taciturnitas pro consensu habetur etiam in contractibus onerosis,

---

[1]) C. A. § 862. Handelsgesetz 318—322. C. G. § 147. 149.

si tacens facile contradicere potest et, si non consentit, dissensum manifestare debet. γ. Taciturnitas autem in contractibus onerosis non habetur pro consensu, si tacens aut facile contradicere non potest aut dissensum exprimere non tenetur.

Quo temporis momento contractus inter absentes perficiantur; aliis verbis: *Utrum ad valorem contractus requiratur, ut consensus acceptantis sit offerenti intimatus,* an contractus perficiatur eo tempore, quo acceptans consensum suum exterius signo manifestat, antequam haec manifestatio offerenti innotescat.

a. In contractibus unilateralibus non requiritur, ut acceptatio offerenti sit manifestata; valet ergo promissio aut donatio, quando alter eam acceptavit, etsi promittenti aut donanti acceptatio nondum innotuerit: nam praeter acceptationem iuris oblati ad perficiendos hos contractus de iure naturae aliud non requiritur; iura tamen positiva quandoque exigunt, ut acceptatio alteri parti debeat esse intimata.

b. In contractibus bilateralibus probabilius necessarium est, ut alterius acceptatio offerenti nota fiat: sicut enim consensus offerentis hunc non obligat, nisi alteri contrahenti manifestatus sit, ita per se consensus acceptantis hunc non obligat, nisi offerenti notus sit, quia in contractibus bilateralibus etiam acceptans ex sua parte aliquid offert. Contractus ergo eo momento perficitur, quando offerenti acceptatio alterius nota fit. Hinc si inter absentes per litteras contrahitur, contractus probabilius tunc perficitur, quando offerenti acceptantis consensus ex litteris responsoriis innotescit. Attamen contrahentes statuere possunt, ut contractus valeat, quando acceptans consentit, antequam offerenti consensus innotescat[1]). Iura item positiva quandoque statuunt, ut contractus sola acceptatione iam perficiatur.

§ 2. De vitiis consensus.

534. Declarationes. 1. Vitia consensus dicuntur illa impedimenta, quae obstant libertati consensus et proinde efficiunt, ut contractus aut omnino invalidus aut saltem rescindibilis sit. Eiusmodi vitia sunt *error* et dolus, vis et *metus.*

2. Contrahens in contrahendo dupliciter decipi potest, aut proprio errore, qui a nullo alio causatus est, aut errore,

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 22 n. 26 ss. *Marres* I. 3. n. 53. s. *Vermeersch* n. 316 ss.

qui ab alio inductus est. Prior deceptio simpliciter *error* posterior autem *dolus* (passive acceptus) dicitur.

a. *Dolus* active est dictum vel factum ad alterum decipiendum adhibitum. Dolus iste committi potest aut ab altero contrahente aut ab aliquo tertio in ordine ad contractum ineundum.

b. Quoad valorem contractus nihil refert, utrum error a contrahente dolo causatus sit necne; hoc autem inter utrumque contrahentem interest, quod contrahens, qui alterum decepit, teneatur reparare damnum alteri contrahenti exinde ortum, modo illud saltem in confuso praeviderit; contrahens autem, qui alterum non decepit, de damnis non tenetur.

3. *Vis* absoluta, quae tollit voluntarium, manifesto contractum reddit invalidum; vis autem non absoluta, quae non tollit voluntarium, a *metu* non distinguitur; quare eadem principia de vi et de metu valent. Nihil autem refert, utrum ille, qui metum incutit, malum minetur ipsi contrahenti an personae contrahenti arcte coniunctae.

535. Divisiones erroris, *quae aeque valent etiam de dolo.*

1. Error potest esse substantialis aut accidentalis. *Substantialis* dicitur: *a.* si versatur circa substantiam rei, de qua fit contractus, ut si quis putet se emere aurum, emat autem aurichalcum; *b.* si versatur circa qualitatem substantialem seu circa qualitatem redundantem in substantiam rei, de qua fit contractus, sive quia illa qualitas primario intenditur sive quia est condicio, sine qua non datur consensus; *c.* si versatur circa substantiam ipsius contractus, ut si contrahens putet agi de donatione, cum agatur de venditione.

Si pictura ideo emitur, quia existimatur opus celeberrimi pictoris, haec circumstantia primario intenditur. — *Condicio, sine qua non,* non est necessario exprimenda, sed implicita cognosci potest vel ex dispositione legis, vel ex usu locorum, vel ex natura contractus, vel ex fine, ad quem res, de qua fit contractus, adhibetur, ut si emitur vinum pro aegroto, pro missae sacrificio.

Accidentalis dicitur: *a.* si versatur circa qualitatem accidentalem (non redundantem in substantiam) rei, de qua fit contractus, ut si quis emat vinum duorum, quod putabat esse quatuor annorum; *b.* si versatur circa quali-

tatem accidentalem contractus, ut si quis putet solutionem pretii faciendam esse in hac pecunia, cum facienda sit in alia.

Error circa personam, quacum fit contractus, quandoque est substantialis, quandoque accidentalis. Et in matrimonio quidem semper est substantialis, quia in hoc contractu persona non solum habet rationem contrahentis, sed etiam rei, de qua fit contractus; in aliis autem contractibus est substantialis, si persona per se et principaliter intenditur, id quod facilius in contractibus gratuitis quam onerosis accidit; sic si quis rem pretiosam donat Petro putans eum esse Paulum, error est substantialis; si quis autem equum vendit Titio putans eum esse Caium, error est accidentalis. Idem dicendum est de errore *circa qualitatem personae:* si nempe contrahens a determinata qualitate dependentem reddit consensum, quia est motivum principale contractus, error est substantialis, ut si quis donat Titio, quia eum putat consanguineum, cum non sit; alias error est accidentalis, ut si quis alicui det eleemosynam, quia pauper est, sed simul putatur consanguineus.

2. Error dicitur *antecedens,* quando contractui causam dat, adeo ut contrahens ablato errore contractum non fecisset; et dicitur *concomitans,* si non dat causam contractui, adeo ut contrahens etiam ablato errore contractum fecisset.

536. De contractibus ex errore initis. 1. Omnis *error substantialis* etiam mere concomitans contractum reddit invalidum ex defectu consensus in substantiam contractus: qui enim circa substantiam rei errat, non consentit in rem, de qua fit contractus, sed in aliam, de qua putat fieri contractum; et qui non vult contrahere nisi sub certa condicione, quod nempe res instructa sit determinata qualitate, is deficiente illa condicione in contractum non consentit, etsi condicio in se nullius sit momenti; ergo iure naturae eiusmodi contractus invalidus est.

a. Ergo si quis emit vinum ex pomis putans esse vinum de vite, vel si sacerdos emit pannum ceruleum ad conficiendam vestem talarem putans pannum esse nigrum, contractus propter errorem substantialem nullus est. Et si error substantialis unius contrahentis dolo ab altero causatus est (dolo substantiali), decipiens tenetur reparare damnum alteri exinde ortum, quod si aliter reparari nequeat, tenetur implere contractum.

b. In foro externo satis non est, ut quis asserat se errasse circa substantiam contractus, sed errorem etiam probare debet, quem si non probaverit, standum est pro valore contractus; in foro interno autem irritus est contractus, modo error vere acciderit, etsi probari non possit.

c. Non est necesse, ut eiusmodi qualitas, cui consensus alligatus est, a contrahente expresse indicetur: etenim cognosci potest etiam ex fine, ad quem res, de qua fit contractus, destinata est, ut si sacerdos emat vinum pro missae sacrificio.

2. *Nullus error accidentalis,* etsi fuerit antecedens et ab altero contrahente causatus, contractum reddit invalidum: nam ad valorem contractus sufficit, ut adsit consensus in substantiam contractus, alias cum perturbatione humani commercii nimis frequenter contractus essent invalidi; atqui error accidentalis, etsi antecedens et ab altero causatus, non impedit consensum in substantiam contractus; ideo validus est contractus, quo quis emit vinum recens, quod putat esse vetus.

3. *Error accidentalis antecedens,* qui ab *altero contrahente dolo causatus* fuit, reddit contractum ad arbitrium decepti rescindibilem, si natura sua solubilis est: etsi enim deceptus quoad substantiam consensum dedit, eius tamen efficaciae obstat iniuria, quam passus est.

a. Et sane qui alterum decepit, dolum seu iniuriam illatam removere debet cum omnibus suis effectibus; effectus autem deceptionis est contractus; ideo contractum solvere debet, si deceptus velit. Qui vero alterum decepit, contractum solvere non potest contra voluntatem decepti: decipiens enim consensum dedit, cuius vi et efficaciae nihil obstat. Hinc *error antecedens, qui non est dolo causatus,* sed proprius contrahentis, contractum (saltem onerosum) non facit rescindibilem. Eiusmodi contractus solum mutuo consensu vel simpliciter vel cum reparatione damni, quod alteri contrahenti ortum est, rescindi potest.

b. Si non ipse contrahens, sed *aliquis alius errorem causavit,* contractus est rescindibilis, ubi contrahens doli particeps fuit; ubi autem dolus inscio contrahente, etsi in eius favorem, commissus fuit, contractus non est rescindibilis: nam ius rescindendi contractum oritur ex iniuria, quam unus contrahens ab altero contrahente patitur; atqui in hoc casu unus contrahens non patitur iniuriam ab altero contrahente. Decipiens autem contrahentis damnum, si quod passus est, reparare debet, et si illud aliter reparare non potest, tenetur procurare, ut ille contractum rescindat, in cuius favorem contrahentem decepit[1]).

[1]) C. A. § 871—876. Convenit cum iure naturae C. G. § 123.

4. *Error accidentalis concomitans, etsi ab altero contrahente dolo causatus sit,* non reddit contractum rescindibilem: nam deceptus in hoc casu non patitur veram iniuriam, quia contractum etiam cognito errore fecisset. Hinc qui emit vinum austriacum putans esse rhenanum, quod tamen etiam cognito errore emisset, facit contractum non solum validum, sed etiam firmum seu non rescindibilem; attamen ius habet contractum reducendi ad aequalitatem seu minuendi pretium, ut rei emptae conveniat.

Si ergo mercator merces adulteratas vendit vel emptores in pondere et mensura decipit, fieri potest, ut contractus venditionis sit invalidus vel solum infirmus seu rescindibilis, vel validus et firmus, sed ad aequalitatem reducendus.

a. Contractus *invalidus* est, si adulteratio tanta est, ut res vendita ad usum communem et ab emptore intentum non amplius idonea sit, ut si panni veteres recenter colorati vel vestes detritae recenter purgatae et refectae pro novis venduntur, vel si venduntur merces viliore materia in notabili quantitate permixtae: intercedit enim dolus substantialis.

b. Contractus *rescindibilis* est, si emptor merces adulteratas ideo solum emit, quia venditor affirmat eas esse genuinas, ut si vinitor vinum cum artefacto mixtum vendit pro naturali ei, qui solum naturale emisset; vel si mercator merces vendit viliore materia, non autem in notabili quantitate, permixtas, cum tamen emptor solum genuinas voluisset: intercedit enim dolus, accidentalis quidem sed antecedens.

c. Contractus *validus et firmus* est, si emptor merces emisset, etsi errorem cognovisset, quamvis non eodem pretio, ut si venditor non dat integram mensuram vel integrum pondus: intercedit enim dolus accidentalis et concomitans. Ius autem habet emptor deceptus, ut excessus pretii, quod solvit, sibi restituatur.

537. De contractibus ex metu initis. Contractus fit *ex metu,* si metus causam dat contractui, adeo ut absque metu factus non fuisset. In genere dicendum est contractus ex metu initos esse validos, dummodo metus non perturbaverit usum rationis: consensus enim, qui ex metu datur, est actus perfecte humanus et simpliciter voluntarius, etsi simul involuntarius sit secundum quid[1]). In specie vero haec tenenda sunt:

[1]) Cf. *De principiis* n. 56.

1. *Metus* etiam *gravis,* qui *non est iniuste incussus,* contractum non reddit invalidum nec rescindibilem: non *primum,* quia metus non tollit consensum simpliciter voluntarium; non *alterum,* quia contrahenti non infertur iniuria.

Validus nec rescindibilis est contractus illius, qui ex metu carceris ob grave crimen commissum in Americam migrare volens contractum init cum duce navis. — Item validus est contractus illius, qui alium in honore laesit et ex metu poenae ei pecuniam promittit, ne rem ad iudicem deferat.

2. *Metus* tum gravis tum levis *iniuste incussus ad extorquendum consensum* contractum iure naturae non reddit invalidum, sed tamen rescindibilem ad arbitrium eius, qui metum passus est[1]).

Ratio *primi* est, quia contractus nequit demonstrari invalidus nec propter defectum consensus nec propter iniuriam contrahenti illatam: nam iniuria haec efficit quidem, ut contractus sit rescindibilis, non autem ut sit invalidus.

Ratio *secundi* est, quia ille, qui metum incutiens alteri contrahenti iniuriam intulit, iniuriam illatam, sive gravis sive levis fuit, removere tenetur; eo autem removetur, quod is, qui metum passus est, contractum, si velit, solvere, si autem nolit, aliam partem ad implendum contractum cogere possit. Metus levis *in foro conscientiae* contractum facit rescindibilem, si metus vere fuit causa contractus; in foro externo civili metus levis non attenditur.

a. Duplex in hac re facienda est exceptio: α. *contractus ex metu gravi et iniusto* initus, ut si latro extorquet pecuniam metum mortis incutiens, est invalidus, si contrahens reipsa non consentiat: cum enim non sponte, sed coacte consentiat, fieri potest, ut non alium praebeat consensum, quam qui in eiusmodi adiunctis sufficiat ad malum, quod timet, evitandum: ad hoc autem sufficit consensus mere externus; ideo fieri potest, ut eiusmodi contractus ex defectu consensus sit invalidus. β. *Matrimonium* et *professio religiosa,* si ex metu gravi et iniusto celebrantur, iure positivo sunt invalida, id quod suis locis declarabitur.

---

[1]) *Lugo* disp. 22. n. 133 ss. C. A. § 870. et C. G. § 123 contractus ex iniusto metu initos declarant rescindibiles.

b. Sunt auctores *(Dicastillo, Lugo, Reuter* etc.*)*, qui etiam *contractus gratuitos* ab hac lege excipientes docent, eos ex metu gravi iniuste incusso initos iure naturae invalidos esse. Cuius sententiae probabilitatem fere omnes admittunt. Nam ad contractus gratuiti valorem requiri videtur consensus prorsus liber et perfecte voluntarius, alias promittens vel donans non censetur transferre ius in rem promissam vel donatam. Practice ergo promittens (iuxta alios simpliciter, iuxta alios vero solum rescissione promissionis facta) rem promissam tradere non tenetur. Idem dicendum est de donante.

3. *Metus* tum gravis tum levis *iniuste incussus* in alium finem, *non ad extorquendum consensum,* contractum facit rescindibilem, si ab altero contrahente incutitur, at eum non facit rescindibilem, si ab aliquo tertio sine consensu contrahentis incutitur.

Ratio *primi* est, quia metum incutiens ab iniuria cessare et omne damnum ex iniuria ortum reparare debet, ut si quis sponte promittat pecuniam inimico, ut a vexationibus et calumniis cesset.

Ratio *secundi* est, quia contrahens nullam iniuriam infert, et proinde nullum effectum seu damnum iniuriae reparare debet, ut si quis in metu mortis a latrone incusso homini occurrenti promittit pecuniam, ut se a periculo liberet.

Articulus quintus.

De causa consensus.

538. Quae et quotuplex sit. 1. *Causa* contractus seu consensus dicitur ratio, propter quam unus transfert ius in alterum. Causa haec in contractibus gratuitis est voluntas benefaciendi, in contractibus onerosis est utilitas percipienda ex re, de qua fit contractus.

2. Duplex distinguitur causa contractus, altera *motiva*, quae consensum proxime determinat, altera *impulsiva,* quae consensum proxime non determinat, sed vel eius occasio est vel aliquatenus solum ad consensum movet. Causa motiva dicitur etiam *motivum principale et primarium,* et

causa impulsiva dicitur *motivum secundarium et impulsivum* contractus. Illud praecipue movet contrahentem, ideoque eo exsistente validus, eo deficiente invalidus est contractus; hoc ex se non sufficit ad determinandam voluntatem, sed iam determinatam movet quidem, at solum ut libentius contrahat, quocirca eo deficiente nihilominus exsistit contractus.

Non valet solutio legati, quam quis fecit falso putans a patre illud fuisse constitutum, quia deficit causa motiva, scilicet debitum a patre iniunctum. Valet emptio agri, quam quis fecit falso putans in eo latere thesaurum, quia solum deficit causa impulsiva, spes reperiendi thesauri. Utrum in casu particulari causa fuerit motiva an impulsiva, ex solo contrahente sciri potest.

Num validi sint contractus initi ex causa turpi: do tibi centum, ut interficias Petrum, vel *sub condicione turpi:* do tibi centum, si interfeceris Petrum.

a. Contractu nondum impleto neuter contrahens obligatur ad illum implendum, immo uterque a contractu recedere tenetur, et si pretium actione turpi nondum posita iam solutum fuisset, illud restitui deberet, quia non licet ponere condicionem, sub qua pretium solutum est.

b. Contractu autem iam impleto, i. e. posita actione inhonesta alter contrahens pretium solvere debet, alter vero illud licite exigere et retinere potest[1]).

α. Haec sententia, quae inter auctores communis est, vocari potest certa atque in hunc modum confirmatur. Contractus de obiecto turpi seu ex causa turpi est promissio de re mala, quae illicita atque invalida est; sed si alter opus malum reipsa praestat, ipso facto oritur novus contractus innominatus *facio ut des,* adeo ut promittens teneatur solvere pretium ex iustitia vi huius contractus innominati. Scilicet qui opus turpe exsequitur, aliquid praestat, quod pretio aestimabile est: opus enim uni contrahenti laboriosum et periculosum, alteri vero utile vel delectabile est, illudque praestat ex intentione, ut promittens teneatur solvere pretium promissum; hic vero ipsa turpi promissione consentit in obligationem solvendi pretium, si opus in suum favorem praestitum fuerit; atqui iste contractus, qui a contractu turpi distinctus est et perficitur, quando opus turpe patratur, est quidem illicitus, qua-

[1]) *S. Poenitentiaria* 23. apr. 1822 declaravit meretricem pretium meretricii exigere illudque retinere posse.

tenus supponit factum turpe, in se autem licitus et validus est: materia enim contractus non est actio, quatenus mala est, sed hinc quidem opus materiale in servitium alterius positum, inde vero pretium pro opere praestito solvendum[1]).

β. Et haec quidem de iure naturae valent; *leges vero positivae* nunc invalidos declarant contractus, quorum causa motiva est illicita[2]). Porro leges istae irritantes utpote propter bonum commune in poenam delicti latae in conscientia obligant; si ergo certo constat, legem hos contractus etiam quoad solutionem pretii opere turpi praestito irritos facere, nulla est obligatio solvendi pretium pro actione mala reipsa praestita. Solum quaeritur, utrum hae leges ante an post sententiam iudicis contractus irritent. Si ex tenore legis de priore constat, promittens obligari nequit ad solvendum pretium, et alter hoc nec exigere nec retinere potest; quodsi de eo non constat (ut plerumque fit), in praxi ante sententiam iudicis favendum est possessori i. e. ei, qui promisit, si nondum dedit, vel ei, qui turpe opus fecit, si iam accepit[3]).

γ. Cum contractibus de re turpi confundendi non sunt casus, in quibus sine ulla conventione alteri aliquid datur ea intentione, ut ad actionem inhonestam alliciatur, e. g. si herus famulae dona largiatur, ut eam ad turpia pertrahat. Haec enim sunt dona gratuita, quae restitui non debent, etiamsi actio inhonesta secuta non fuerit. Attamen consulenda est restitutio, ubi timeri debet, ne ex retentione doni turpis amor foveatur[4]).

Articulus sextus.

De obligatione contractuum.

539. Quam obligationem pariant. Triplex distinguitur *obligatio* ex contractu orta: *naturalis,* quae ex ipsa natura contractus enascitur et conscientiam afficit, sed non parit actionem in iudicio; *civilis,* quae ex iure civili oritur et actionem in iudicio parit, sed non obligat con-

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1052 ss. *Vermeersch* n. 292 ss. Zeitschrift für k. Th. 1909 S. 480 ff.

[2]) C. A. § 878. Attamen § 1174 statuit id, quod quis sciens pro exsequenda re illicita iam dedit, repeti amplius non posse; C. G. § 138 et 817.

[3]) Cf. *D' Annibale,* Summula theolog. mor.[5] (Romae. Desclée. 1908) II. n. 301. *S. Alphonsus* n. 712.

[4]) Cf. *s. Alphonsus* n. 712. *Holzmann,* Theol. mor. t. 4. n. 689.

scientiam; *mixta,* quae obligat in conscientia et simul actionem in foro externo parit.

1. Omnis contractus validus *obligationem* parit in foro conscientiae, et quidem *ex iustitia commutativa* (excepta promissione gratuita): nam voluntas se obligandi idque ex iustitia est de essentia cuiuslibet contractus excepta promissione. Hac obligatione autem impleri debent non solum ea, quae expresse in contractu statuta sunt, sed etiam ea, quae vel ex natura contractus vel ex lege positiva vel ex consuetudine regionis implicite in contractu continentur e. g. securitas evictionis (n. 523. 2).

2. *Gravitas obligationis* ex contractu ortae necessario *materiae proportionata* est; gravis ergo in materia gravi, levis in materia levi: ex contractu enim alter contrahens acquirit ius; sed rerum natura exigit, ut gravis sit obligatio servandi ius alterius in materia gravi.

Quare *gravitas* obligationis a contrahentium intentione adeo independens est, ut nullum facerent contractum, qui in materia gravi nollent gravem obligationem contrahere. *Obiectum* autem contractus et obligationis ex eo ortae, nisi a natura sit determinatum ut in matrimonio, a contrahentium intentione dependet. Quodsi intentio contrahentium non clare exprimitur, interpretanda est ex verborum, quibus usi sunt, sensu communi, ex natura ipsa contractus, ex lege positiva, ex usu regionum etc., et si ex his omnibus de ea non certo constat, standum est pro minimo.

3. Contractus *rescindibilis* unam partem obligat, donec altera pars, quae ius rescindendi habet, rescissionem postulet; quodsi ipsa iuri rescindendi renuntiet, eandem obligationem parit ac contractus firmus. Contractus rescindi potest privata auctoritate duplici casu excepto, si scilicet res dubia est aut si lex rescissionem a iudice faciendam praescribit. Contractus, qui intra tempus a lege definitum non rescinditur, evadit firmus.

Nota. Quandoque contrahentes mutuo conveniunt de determinata pecuniae summa *(poena conventionalis* — Reuegeld) ab eo solvenda, qui absque iusta causa a contractu recedit. Eiusmodi poena tum lege naturali tum lege civili (C. A. § 909) solvenda est, dummodo serio adiecta nec immoderata sit.

540. De iuramento contractui adiecto[1]) Iuramentum contractui additum est iuramentum promissorium, quo contrahens sub invocatione divini nominis se obligat ad implendum contractum. De vi et efficacia huius iuramenti contractui adiecti haec tenenda sunt.

1. Iuramentum sequitur naturam et condiciones contractus, cui additur, ex regula iuris: *accessorium sequitur principale* (n. 251).

Ideo sponsalia mutuo consensu solvi possunt, etsi sponsi iuramentum addiderint. Promissio, etsi iuramento firmata, non obligat, nisi acceptetur.

2. Iuramentum additum contractui, *qui sine peccato servari non potest,* invalidum est: nequit enim obligare ad rem, etsi leviter tantum malam.

Ideo invalidum est iuramentum additum promissioni, cuius obiectum turpe vel illicitum est, etsi lege positiva tantum e. g. promissioni alterum iuvandi in defraudandis tributis ex praecepto solvendis.

3. Iuramentum additum *contractui iure naturae invalido* contractum nequit reddere validum, quin et ipsum iuramentum invalidum est, etsi servari sine peccato posset.

a. Iuramentum enim nequit supplere defectum, propter quem eiusmodi contractus invalidus est. Ideo e. g. sponsalia iurata, quae iure naturae invalida sunt, ab addito iuramento non confirmantur.

b. Communis quidem sententia docet iuramentum in hoc casu validum atque servandum esse, quia omne iuramentum servandum sit, si id sine peccato fieri possit; ideo ex religione obligari eum, qui iuramentum emiserat de solvendis usuris, ad eas solvendas, nisi a iuramento dispensationem accepisset, quamvis eas utpote iniustas iterum repetere possit. Verum omnino probabilis videtur sententia, quae iuramentum in hoc casu invalidum dicit atque a solvendis usuris iniustis prorsus deobligat[2]).

4. Iuramentum additum *contractui solo iure positivo invalido vel rescindibili,* contractum non facit quidem validum vel firmum, efficit tamen, ut servari debeat, si licite servari potest, ratione iuramenti, nisi hoc relaxetur, modo iuramentum contractui additum fuerit validum: nam quodvis

[1]) Cf. *Laymann* l. 4. tract. 3. c. 8. *Lessius* l. 2. c. 17. n. 50. ss. *Marres* De iustitia[3] (Ruremundae. Romen. 1889) l. 2. n. 267 ss.

[2]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 588. *Génicot* I. n. 599.

iuramentum validum ex reverentia divini nominis servari debet, si absque peccato servari potest. Ex religione ergo eiusmodi contractus servari debet, etsi ex iustitia servari non debeat.

a. De contractibus iure positivo invalidis vel infirmis docebant antiqui eos per iuramentum confirmari, quia ius romanum statuit propter additum iuramentum cessare legis irritationem eosque in reverentiam divini nominis pro validis et firmis habendos esse. Cum tamen hodie ius civile nihil eiusmodi statuat, affirmari potest *contractus omnes per iuramentum additum in ratione contractus non mutari*[1]).

b. Sic minorennis, qui iuramento promisit se non esse rescissurum contractum, eum servare debet, quatenus iustus est (saltem post adeptam maiorennitatem) nisi obtenta fuerit dispensatio ab obligatione iuramenti. — Si quis sub iuramento promisisset latroni certam pecuniae summam, promissio, si fuerit interna, valida est, sed rescindibilis; iuramentum autem utpote *metu* extortum invalidum est, et proinde rescissioni promissionis non obstat.

5. Actus antecedenti iuramento contrarius validus quidem est, agens tamen contra iuramentum periurus est: iuramentum enim non aufert potestatem faciendi, quod non facturum se promiserat.

Ideo valet revocatio testamenti eius, qui antea iuraverat se non esse illud revocaturum; valet illius donatio alteri facta, qui antea iuraverat se Caio et non alteri donaturum esse.

541. Obligatio contractus qualificati. Contractus qualificatus ille dicitur, cui adiecta est clausula (modus aut condicio), quae obligationem eius accidentaliter modificat. Eiusmodi contractus praecipue sunt: *a.* contractus initi sub condicione; *b.* sub fine; *c.* sub causa; *d.* sub demonstratione; *e.* in diem. Clausula adiecta ex ipsius natura determinanda est.

I. **Contractus sub condicione.** 1. *Notiones. a. Condicio* est circumstantia externa contractui adiecta, a cuius exsistentia valor contractus dependet.

[1]) Cum ecclesia ex hac parte retineat dispositiones iuris romani, in causis sacris iuramentum additum eiusmodi contractui ipsum contractum reddit validum vel firmum, adeo ut tum ex iustitia tum ex religione servari debeat.

b. Condicio adiecta potest esse *de praesenti* vel *de praeterito* vel *de futuro.*

Duplex distinguitur condicio de futuro, altera *suspensiva*, quae efficit, ut exsistentia obligationis ab impleta condicione dependeat: e. g. do tibi centum, si Romam ieris; altera *resolutiva*, quae efficit, ut obligatio iam exsistens postmodum impleta vel non impleta condicione revocetur seu resolvatur e. g. vendo tibi librum, nisi intra hebdomadam displiceat.

c. Condicio *de futuro* vel est de re necessaria, quae certo scitur futura, vel de re impossibili vel de re possibili, quae exsistere et non exsistere potest, cuius proinde eventus est incertus.

2. *Principia. a.* Condicio *de praesenti* vel *de praeterito* efficit, ut contractus valeat, si condicio exsistit, et non valeat, si condicio non exsistit, etsi de eius exsistentia vel non exsistentia nondum constet.

b. Condicio *de futuro necessario* non impedit, quominus statim valeat contractus, quia condicio certo futura censetur frustra adiecta, nisi contrahens expresse voluerit, ut exspectetur eventus, ut si quis dicat: dabo tibi horologium, si cras sol oriatur.

c. Condicio *de futuro impossibili* efficit, ut contractus sit invalidus: qui enim aliquid vult sub condicione impossibili, reipsa non vult, ut si quis dicat: do tibi aureum, si cras sol non oriatur.

Huc pertinet etiam condicio *de re turpi*, quae censetur esse de re moraliter impossibili. Ex iure autem positivo praesertim canonico condiciones de re impossibili vel turpi in omnibus contractibus ultimae voluntatis pro non adiectis habentur. Ubi notandum est, rem turpem censeri non solum postulationem, ut fiat res illicita *(si fias lutheranus)*, sed etiam postulationem, ne fiat actio bona, sive de praecepto sive de consilio est *(si non fias religiosus)*. Valet ergo testamentum, etsi condicio inhonesta ab heredibus non impleatur: quilibet enim censetur contrahere velle secundum leges.

Quodsi codices civiles cum iure canonico non concordarent, notandum est testamenta et legata pia regi dispositionibus iuris ecclesiastici, non civilis; quare condiciones impossibiles vel turpes (saltem in foro conscientiae) pro non adiectis habentur, etsi codex civilis aliud statuerit.

d. Condicio suspensiva *de futuro possibili* suspendit consensum et producit obligationem exspectandi et non impediendi condicionis eventum; condicione autem impleta oritur ipsa obligatio contractus sine ullo alio consensu, e. g. dabo tibi dimidium, si avunculus legatum mihi relinquit: si enim condicio non impletur, contractus nullus est, condicione autem impleta contractus absque alio consensu fit absolutus[1]).

Nota. Contractus sub hac condicione suspensiva initus solet intelligi, si de *contractu condicionato* sermo fit.

542. II. **Contractus sub fine** vel **sub modo** ille dicitur, in quo unus contrahens alteri praescribit, in quem finem et usum rem acceptam adhibere debeat, et alter contrahens id acceptat, e. g. do Titiae mille, *ut* monasterium ingrediatur. Iste contractus non suspendit obligationem, sed statim fine nondum impleto valet, quia uterque contrahentium consentit in contractum et in modum adiectum; alteri autem contrahenti onus iniungit implendi finem seu modum adiectum.

In hoc differt contractus sub condicione a contractu sub modo, quod condicio suspendit effectum, donec condicio impletur, modus seu finis non suspendit effectum, sed addit obligationem implendi finem. Hinc si cui dantur centum, ut centum missas celebret, contractus statim perficitur, quando alter rem acceptat, et tradita pecunia acceptans statim acquirit eius dominium; tenetur autem ex iustitia implere modum adiectum. Quodsi postea non impleatur modus seu finis, praesertim in donationibus sub modo, attendendum est ad intentionem donantis. Si ex verbis vel adiunctis donationis constet, quod donatarium obligare intenderit ad illum finem, donatio, fine non praestito, resolvitur et donum restituendum est; si solum media praebere intenderit, ad finem praestandum, si placuerit, donum retineri potest, etsi finis non impleatur[2]).

543. III. **Contractus sub causa** ille dicitur, quo indicatur motivum contrahendi, e. g. do tibi centum, quia

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 265 ss.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 23. n. 111. *Lessius* l. 2. c. 18 n. 124 ss.

meus cognatus es. Contractus iste invalidus est, si causa addita deficiat et sit motivum principale et primarium; non est invalidus, si causa sit motivum secundarium et mere impulsivum.

544. IV. **Contractus sub demonstratione** ii vocantur, in quibus materia contractus non accurate determinatur, sed magis demonstratur. Iam si in designanda quantitate materiae error accidit, pro diversitate designationis diversimode interpretandus est contractus. Si enim quantitas designatur *demonstrative* e. g. emo hoc dolium continens quinque, nihil suppleri debet; si autem quantitas designatur *taxative* e. g. emo quinque, quae in hoc dolio continentur, defectus suppleri debet.

545. V. **Contractus in diem** initus dicitur, quando designatur dies exsecutionis. Si dies designatus est certo eventurus, contractus statim obligat, exsecutio autem non obligat ante diem designatum, e. g. do centum ecclesiae parochiali, quando pater morietur. Quodsi dies designatus non est certo futurus, obligatio suspenditur, ac si contractus esset condicionatus e. g. do tibi centum, quando filius meus ingredietur religionem.

a. Quia in primo exemplo contractus statim obligat, ideoque ius statim transfertur, si donator ante diem designatum moreretur, obligatio exsequendi donationem transiret ad heredes; in secundo autem exemplo, si donator moreretur ante ingressum filii sui in religionem, nulla exsisteret obligatio donandi in heredibus.

b. Per particulam *si* solet quidem exprimi condicio, at quandoque non condicio, sed designatio temporis per eam exhibetur, ut si quis dicat: do tibi aureum, si (i. e. quando Titius mihi solverit censum.

Quaestio secunda.

De contractibus unilateralibus.

Contractus speciales, quorum magnus exsistit numerus, ad tres classes revocari possunt: *a.* ad contractus unilaterales; *b.* contractus bilaterales certi eventus; *c.* contractus aleatorios. Ad contractus *unilaterales* pertinent *donatio, promissio* et *testamentum.* Testamenta non sunt quidem proprie contractus, nihilominus inter contractus recenseri et explanari solent, quia ad donationem gratuitam prope accedunt.

Articulus primus.

De promissione.

546. Eius natura. 1. *Promissio* significat contractum, quo quis erga alterum gratuito se obligat ad aliquid faciendum vel omittendum.

a. Promissio imprimis discernenda est a proposito: *proponens* enim non intendit novam aliquam obligationem assumere, *promittens* autem nova obligatione se obstringere intendit.

b. Ille, qui aliquid promittit, *promittens,* ille vero, cui aliquid promittitur, *promissarius* vocatur.

c. Hic agitur de promissione, quae fit homini, non de promissione, quae fit Deo. Promissio autem, quae fit homini, vel est simplex vel mutua. Promissio sive simplex sive mutua ineundi contractum praecedere solet contractus onerosos praesertim reales e. g. promissio dandi mutuum, emendi et vendendi domum, ineundi matrimonium. Hoc loco *de promissione simplici* sermo est.

2. Ut promissio valeat, requiruntur *condiciones,* quae ad valorem contractus gratuiti necessariae sunt: *a.* ut adsit voluntas se obligandi, quam implicite habere censetur, qui serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat; *b.* ut promissio exterius sit manifestata et acceptata, quare promittens ante acceptationem de iure naturae promissionem factam semper adhuc revocare potest.

547. Eius obligatio. 1. Ab intentione promittentis dependet, utrum promissio ex fidelitate an ex iustitia obliget.

a. Si promittens solum ex *fidelitate* se obligare intendit, tenetur quidem in conscientia promissionem implere, at sub levi tantum etiam in re magni momenti, quia fidelitas per se non obligat sub gravi; per accidens autem ratione gravis damni, quod promissario oriturum praevidetur, etiam sub gravi obligare potest.

b. Si promittens se obligare intendit *ex iustitia,* tenetur obligationem implere sub gravi in materia gravi. Attamen ad peccatum grave constituendum materia quadruplo maior requiritur, quam in furto, quia rem suam alteri promissam non dare longe minus iustitiae adversatur, quam auferre aut retinere rem alienam[1]).

c. Si de obligatione promissionis *dubium* exsistit, pro minimo standum est, quia non est imponenda obligatio, de qua non certo constat. Hinc si quis promissionem in re gravi facit non attendens, utrum sub gravi an sub levi se obliget, sub levi tantum obligari censendus est.

d. Promissiones obligatoriae ordinarie *non obligant ex iustitia,* quia promittentes raro intentionem habent ita stricte se obligandi. Ille autem ex iustitia se obligare censetur (et in foro externo ita se obligare praesumitur), qui quadam sollemnitate e. g. sub iuramento promittit vel promissioni chirographum addit vel coram testibus promissionem facit.

e. Inter obligationem fidelitatis et iustitiae *hoc discrimen* intercedit, quod obligatio fidelitatis nullum ius dat promissario in rem promissam, sed ideo solum obligat, quia unusquisque tenetur facta sua conformare promissis; obligatio autem iustitiae promissario ius dat ad rem promissam accipiendam, adeo ut ex stricto iure ei debeatur, quod promissum est. Attamen non dat ius reale in rem promissam, sed ius personale tantum in promittentem vel eius heredes; ideo non licet promissario rem promissam occulte sibi arripere[2]).

2. *Promissio* etiam ex iustitia obligans *cessat: a.* Si promissione facta innotescit vel supervenit notabilis mutatio rerum, quae si ante promissionem cognita vel praevisa fuisset, eam impedivisset: quaelibet enim promissio gratuita censetur facta sub hac tacita condicione: *si absque gravi incommodo impleri potest. b.* Si ante executionem

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 720.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 23 n. 12 ss.

cessat causa motiva promissionis, a qua promittens revera aut unice aut principaliter ad promittendum motus fuerat. *c.* Si res promissa sine culpa promittentis facta sit impossibilis, illicita vel promissario inutilis.

3. Num implenda sit promissio, si *ante exsecutionem moritur promissarius,* pendet ab intentione promittentis: si promittens aut unice aut primario intendit personam promissarii, obligatio cessat, quia eo mortuo cessat causa motiva promissionis; si autem praecipue intendit promissarii familiam vel heredes, obligatio non exspirat.

4. Si *ante exsecutionem moritur promittens,* promissio *realis* transit ad heredes, nisi constet promittentem se solum obligare voluisse; promissio *personalis* ad eos non transit (n. 210, 3).

Articulus secundus.

De donatione.

548. Eius natura. 1. *Donatio* est contractus, quo dominium alicuius rei propriae in alterum gratuito transfertur.

a. Ille, qui donat, *donator,* ille vero, cui aliquid donatur, *donatarius* vocatur.

b. Donatio de iure naturae est contractus *consensualis,* qui solo mutuo consensu ante rei donatae traditionem substantialiter perficitur[1]).

c. Donatio eo *differt a promissione* (ex iustitia obligante), quod donatio transfert ius in re, promissio solum ius ad rem accipiendam seu ius ad actionem in personam promittentis.

2. Donatio fieri debet *ex propriis;* sed quoniam bona illius, qui debitis solvendis impar est, non sunt omnino eius propria, donatio ab eo facta valida quidem est, sed iniusta.

a. Donatio *valida* est, sed *iniusta* tum ex parte donantis tum ex parte acceptantis, quia donans creditoribus iniuriam infert, acceptans

[1]) Ex C. A. § 943 in donatione verbali dominium in rem donatam traditione demum transfertur.

ad iniuriam immediate cooperatur; creditores enim strictum ius habent exigendi, ut ex illis bonis debita sibi solvantur.

b. Donatarius, qui ignorans impotentiam donantis donum acceptavit, ad restitutionem non tenetur; donatarius autem, qui conscius impotentiae donantis donum acceptavit, ad restitutionem doni tenetur, tum si illum ad donationem faciendam induxit, tum si illum non induxit. Ratio *primi* est, quia ius in rem donatam acquirit, cum donatio valida sit; ad iniuriam autem materialiter tantum cooperatus est. Ratio *secundi* est, quia ad iniuriam damnificantem immediate cooperatur, scilicet actione, quae in se non indifferens sed iniusta est[1]).

549. Donatio dividitur: *a.* Ratione effectus in *donationem inter vivos,* qua dominium rei donatae in donatarium utroque contrahente adhuc superstite transit; et *donationem mortis causa,* qua dominium rei donatae in donatarium post mortem donantis demum transit. De hac altera, quae est species ultimae voluntatis, inferius, de prima hic sermo erit.

Ergo non est proprie donatio mortis causa ea, quae fit intuitu quidem mortis, sed ita, ut statim effectum sortiatur irrevocabilem, cuiusmodi sunt dispositiones, quibus aegroti dant cognatis, famulis vel amicis res mobiles aut etiam immobiles.

b. Ratione motivi in donationem *mere gratuitam* seu pure liberalem, quae in donante nullam obligationem supponit, et in *remuneratoriam* seu antidoralem, quae in donante obligationem gratitudinis supponit.

Quoniam donatio remuneratoria a stricto donationis conceptu aliquatenus deficit, factum est, ut sola donatio mere gratuita intelligeretur, sicubi in iure canonico prohibeatur donatio.

c. Ratione *modi* in *verbalem,* qua quis verbis rem alteri donat, et in *realem,* qua quis rem alteri donat et simul tradit.

Quamvis donatio, quae *scripto* fit, proprie sit donatio verbalis, codex civilis tamen a verbali eam distinguit.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 20. n. 116. Sententia *Lessii* (l. 2. c. 20. n. 168) et *Molinae* (disp. 328), eum nempe ad restitutionem non teneri, qui donantem non induxit ad donandum, omni probabilitate carere videtur.

550. Condiciones requisitae. Ex iure naturae donatio ab uno facta et ab altero acceptata valida est[1]).

a. Ut valida sit donatio, acceptatio donatarii eaque exterius manifestata semper requiritur; hinc donatio ante acceptationem revocari potest, etsi iuramento firmata sit: iuramentum enim sequitur naturam actus. Quare sententia, quam probabilem censet *Busenbaum*, nempe donationem causae piae factam valere sine acceptatione, iuri naturae adversatur[2]).

b. Praeter oblationem et acceptationem rei donatae ad validam donationem ex iure naturae quidem aliud non requiritur; ius positivum autem, quod donationibus generatim minus favet easque propterea difficiles reddit (exceptis donationibus manualibus), *determinatas condiciones* requirit[3]). Donationes, quae legibus contrariae sunt, ante iudicis sententiam in foro conscientiae *haberi possunt validae* (n. 356).

c. Donationes *ad causas pias* factae iure canonico reguntur; hinc si lege civili eiusmodi donationes aut absolute aut sub certis condicionibus irritae declarentur, in foro conscientiae etiam post iudicis declarationem validae sunt, dummodo adsint condiciones, quas lex naturalis postulat.

551. Effectus donationis est translatio eaque per se irrevocabilis dominii in donatarium.

a. Donatio, cum sit contractus consensualis, mutuo consensu donantis et acceptantis perficitur, dominium autem ex iure positivo plerumque rei traditione demum transfertur.

b. Etsi donatio in se valida ex iure naturae sit irrevocabilis, ex iure positivo in quibusdam casibus vel ex toto vel ex parte revocari potest. Id in triplici casu potissimum valet: α. si donatarius erga donantem enormiter ingratus fuerit; β. si donatori praeter exspectationem proles nata fuerit; γ. si per donationem filii priventur legitima parte hereditatis.

---

[1]) Ut donatio obligationem civilem pariat, ex C. A. § 943 vel documentum publicum vel rei traditio requiritur; idem statuit C. G. § 518.

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 725.

[3]) Iuxta C. A. valet donatio privatim facta, iuxta alios autem codices non valet.

Alii casus conferri possunt in codicibus[1]). Cum hae legis dispositiones probabiliter etiam in foro interno valeant, donator iis tuta conscientia uti potest, nisi agatur de donatione in gratiam causae piae facta. Ideo liberi post mortem patris a iudice petere possunt donationis revocationem, propter quam parte legitima privantur.

Nota. Si donator vel donatarius moritur ante rei traditionem, idem valet, quod supra (n. 547) in simili quaestione de promissione dictum est.

Articulus tertius.

De testamentis.

Cum testamentum constituat aliquem modum *successionis hereditariae* et simul speciem *ultimarum voluntatum,* nonnulla de hac utraque re praemittenda sunt.

§ 1. De successione hereditaria.

552. Praenotiones. 1. *Successio hereditaria* est ius succedendi in bona et iura alicuius defuncti.

Successio hereditaria duplex est, altera *legalis* seu ab intestato, qua ius succedendi in bona et iura defuncti ex dispositione legis oritur; altera *testamentaria,* qua ius succedendi in bona et iura defuncti ex ultima ipsius defuncti voluntate acquiritur.

Hereditas significat universitatem bonorum et iurium alicuius defuncti.

Heres dicitur persona repraesentans defunctum, cui competit ius succedendi in eius bona et iura.

Heres in defuncti bona succedere potest vel ex toto vel ex parte; prior est *heres ex asse,* posterior *heres ex parte;* uterque autem succedere dicitur ex *titulo universali* (n. 403, 3).

Legitima vocatur illa hereditatis pars, quae heredibus necessariis relinqui debet. Eius quantitas ex diversis codicibus diversa est.

---

[1]) C. A. § 947—954, ubi sex casus recensentur, in quibus donatio revocari potest. C. G. de hac re agit § 530 ss.

2. *Modi acquirendi hereditatem.* Ius hereditatis triplici modo acquiri potest: *a. pacto hereditario* (Erbvertrag), quo quis alteri (e. g. uxori) ius hereditatis confert; *b. testamento,* quo quis declarat, quem sibi post mortem in bona et iura succedere velit; *c. successione ab intestato,* quae contingit liberis vel propinquis iuxta ordinem a lege constitutum, si quis absque dispositione testamentaria decedit.

553. De heredibus. Duplex distinguitur heres: *heres ab intestato,* qui, cum dispositio testamentaria non exsistat, ex dispositione legis in bona defuncti succedit; et *heres ex testamento,* qui vi testamenti ex voluntate defuncti in eius bona succedit.

Iurium alia *(romanum, gallicum)* non admittunt, ut pro parte bonorum tantum heres instituatur et reliqua pars heredibus ab intestato obveniat; alia vero *(austriacum, germanicum, anglicum)* hoc admittunt.

Heredes ex testamento alii sunt *necessarii,* qui vi legis positivae institui debent (exceptis paucis casibus, in quibus hereditate privari possunt)[1]), alii *arbitrarii,* qui heredes institui possunt, at vi legis institui non debent.

Heredes necessarii in diversis iuribus diversi sunt, plerumque solum descendentes legitimi, quandoque etiam uxor[2]).

Heredes alii sunt *legitimi,* qui ex lege ius habent succedendi ei, qui heredem non instituit sed intestatus decessit; alii *extranei,* qui hoc ius non habent.

Ergo heredes necessarii sunt etiam legitimi; at non omnes legitimi sunt etiam necessarii; extranei vero nec legitimi nec necessarii sunt.

554. De iure succedendi. Iure naturae descendentibus competit ius succedendi in bona defuncti, nisi legitime exclusi fuerint; ideo s. scriptura ex omnium gentium persuasione filium eo ipso etiam heredem appellat: *quodsi filius, et heres*[3]).

---

[1]) Cf. C. A. § 768 ss. C. G. § 2339, in quibus recensentur causae, ob quas aliquis hereditate privari possit.

[2]) C. A. § 765. 766. C. G. 2303 ss.

[3]) Gal. 4, 7.

a. Singulae familiae, ex quibus societas civilis coalescit, ipsa natura disponente serie generationum indefinita conservantur et propagantur; familiarum autem conservatio et propagatio impossibilis esset, nisi bona familiae saltem quoad maximam partem ab una generatione ad alteram transmitterentur, sed vel primi occupantis fierent vel a potestate politica occuparentur; ergo natura ipsa exigente descendentes in bona familiae propria succedunt[1]). Ideo omnes leges civiles statuunt membra familiae succedere in bona defuncti, qui sine testamento obiit, et auctores fere concedunt, id iure naturae postulari.

b. Eadem ergo ratio, qua necessitas proprietatis privatae construitur, probat etiam filiosfamilias iure naturae succedere in bona parentum. Cum tamen ex iure naturae de solo iure succedendi constet, ad auctoritatem civilem spectat ea accuratius determinare, quae ex iure naturae indeterminata sunt, e. g. statuere modum successionis, quantitatem hereditatis, gradum cognationis, ultra quem familia exstincta censetur et proinde bona defuncti non amplius devolvuntur ad descendentes etc.

555. De acceptatione hereditatis et obligatione heredis. 1. Mortuo testatore heres nondum acquirit hereditatem, sed ad eam acquirendam eius *acceptatio* adhuc requiritur; nec tenetur hereditatem acceptare, sed eam etiam repudiare potest.

2. Hereditas acceptari potest duplici modo: *pure et simpliciter* aut *sub beneficio inventarii* (mit Vorbehalt der Rechtswohltat des Inventars).

Qui priore modo hereditatem acceptat, omnia debita et legata defuncti ex lege solvere debet; qui posteriore modo hereditatem acceptat, debita et legata defuncti ultra vires hereditatis solvere non tenetur.

a. Num is in conscientia teneatur solvere debita et legata defuncti etiam ultra vires hereditatis, qui eam simpliciter sine inventario acceptavit, disputant. Probabilis est sententia, quae negat teneri heredem ultra vires hereditatis, ne post sententiam quidem iudicis. *Practice* ergo heres in conscientia obligari nequit ad solvenda debita et legata, quae hereditatem superant; cum tamen haec sententia non

---

[1]) Cf. *Theod. Meyer*, Die Arbeiterfrage etc.[3]) (Freiburg. Herder. 1895), qui c. 8.: Das Erbrecht und die Familie hoc argumentum fuse atque erudite expolivit. Idem, *Institutiones iuris naturalis* (Friburgi. Herder. 1900) II. n. 203 ss. *Carrière* l. c. II. n. 502 ss.

sit certa, creditores et legatarii non prohibentur petere solutionem et retinere, quod solutum fuerit.

b. Ut pateat ratio controversiae, notandum est hic agi de lege, quae fundatur in praesumptione: etenim lex praesumit heredem, qui absque inventario adierit hereditatem, plura bona accepisse, quam quae ad satisfaciendum debitis requirantur. Iam vero num lex, quae fundatur in falsa praesumptione, in conscientia obliget, ab eo dependet, utrum falsa praesumptio sit praesumptio facti an iuris. Qui in nostro casu heredem a solvendis debitis deobligant, contendunt legem fundari *in falsa praesumptione facti,* scilicet bona hereditate accepta reapse superare debita solvenda: qui vero heredem ad solvenda debita obligant, censent legem fundari *in praesumptione iuris,* scilicet in communi periculo doli et fraudis[1]).

3. Qui acceptat hereditatem, eo ipso assumit tum bona et iura tum etiam onera et debita *realia* defuncti, modo non excedant vires hereditatis; *personalia* autem iura et onera defuncti cum ipso exstinguuntur.

Hinc tenetur heres: *a. legata* tum pia tum profana quamprimum implere; *b. debita* defuncti quamprimum solvere. Quodsi plures sint heredes, unusquisque pro ea parte, quam hereditate accepit, tenetur; quare si unus deinde factus sit impar solvendo, non obligantur ceteri.

§ 2. De ultimis voluntatibus.

556. De ipsis ultimis voluntatibus. Nomine *ultimae voluntatis* intelligitur illa dispositio, qua quis constituit, quid de bonis suis post mortem suam fieri velit.

1. Omnes dispositiones, quae dicuntur ultimae voluntatis, hoc proprium habent, ut is, qui de bonis suis disponit, plenum eorum dominium usque ad mortem retineat; quare hae dispositiones *natura sua revocabiles sunt* nec valent, nisi voluntas disponentis immutata maneat, ita ut reipsa sit *ultima.*

2. Ultimae voluntatis dispositiones non mediante lege positiva, sed ipso iure naturae vim habent dominii transferendi.

Putabant nonnulli ultimae voluntatis dispositiones solo iure positivo vim habere dominii transferendi: etenim ut iure naturae

---

[1]) Cf. *Bucceroni,* Casus consc.[5] n. 17, 1.

dominium transferre possint, requiritur testatoris et heredis mutuus consensus; sed mutuus iste consensus haberi nequit, cum testatoris donatio demum post mortem eius acceptari possit. — Verum ex his sequitur quidem dominium in hoc casu non transferri ad modum proprie dicti contractus, at non probatur illud non transferri iure naturae. Et sane testatoris voluntas iure naturae disponit, ut hereditas a solo herede omni alio excluso occupari vel acceptari possit; haec voluntas defuncto testatore hereditati veluti inhaerens moraliter perseverat, ita ut heres iure naturae rem sibi delatam occupare vel acceptare possit. Ergo dispositione testatoris et occupatione vel acceptatione heredis dominium in hereditatem acquiritur[1]).

3. Ut valida sit dispositio ultimae voluntatis *ex iure naturae* aliud non requiritur, nisi ut de ultima voluntate defuncti certo constet; *lege* autem *positiva* certae formalitates requiruntur, quibus deficientibus aut simpliciter aut saltem post sententiam iudicis non valent.

De voluntate testatoris certo constare potest vel scriptura, qua indubie exprimitur ultima testatoris voluntas, aut assertione testium.

4. Dispositiones ultimae voluntatis factae in *favorem causae piae* non legibus civilibus sed ecclesiasticis reguntur: ecclesia enim potestatem habet condendi eiusmodi leges easque reipsa condidit; iam vero ecclesia dispositiones ultimarum voluntatum, quae respiciunt causas pias, pro validis habet, dummodo de iis certo constet[2]).

Ut ex testimonio certo constet de ultima voluntate testatoris, non sufficit unius testis, etsi fide dignissimi ut parochi, confessarii assertio, etiam iuramento firmata, nisi ad testimonium accedant alia signa gravis momenti, quae assertionem confirment. Ex iure canonico enim duo testes legitimi ad plenam fidem faciendam requiruntur[3]).

Num summus pontifex vel episcopus commutare possit ultimas testatorum voluntates.

Ultimae voluntates fidelium pias causas respicientes, utpote a Deo acceptatae, pro sanctis habentur et votis atque iuramentis aequiparantur. Unde in eas potestatem nullam habent, qui iurisdictione ecclesiastica in foro externo carent. Ideo parochus (immo etiam epi-

---

[1]) Cf. *Th. Meyer* l. c. n. 209.

[2]) C. Relatum 11. *De testamentis* (III. 26). *S. Poenitent.* 23. iun. 1844. Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 983 ss.

[3]) C. Relatum 11 de *testamentis* (III. 26). Cf. *Génicot* I. n. 675.

scopus) legatum vel testamentum in piam causam constitutum in alium, etsi meliorem, usum convertere non potest.

1. Summus pontifex ultimas testatorum dispositiones certo commutare potest in alium usum, cum ipsi commissa sit administratio causarum piarum[1]), at non sine rationabili causa, quia non est illarum dominus, sed administrator. Pari ratione etiam supremus princeps profanas testatorum voluntates ex iusta causa commutare potest.

2. Episcopus id certo non potest ex qualibet iusta et rationabili causa ut summus pontifex, cum ei potius iniungatur a iure exacta ultimarum voluntatum exsecutio[2]); ex causa vero iusta et necessaria, quando scilicet dispositio defuncti moraliter impleri nequit, ultimas defunctorum voluntates convertere potest, iuxta alios quidem ut delegatus sedis apostolicae, prout disponit concilium tridentinum[3]). iuxta alios autem solum per epikiam et cum consensu heredis vel ecclesiae legatariae.

Haec igitur potestas episcopo convenit in sequentibus casibus: *a.* si pecunia ad aliquem usum legata non sufficit; *b.* si res legata pro usu determinato deservire nequit; *c.* si legatum ad usum determinatum non est necessarium, ut si relictum sit pro vasis sacris conficiendis, quibus ecclesia non eget, sed paramentis indiget; *d.* si legata antiqua ob variata temporis adiuncta usum habent aut inutilem aut parum conducentem ad cultum Dei.

557. Divisio ultimarum voluntatum. Ultimae voluntates dividuntur: *a.* in testamenta; *b.* in codicillos; *c.* in legata; *d.* in fideicommissa; *e.* in donationes mortis causa.

1. *Testamentum* dicitur ultima voluntas, qua quis de bonis suis sive heredem instituendo sive absque heredis institutione disponit.

In iure romano (et austriaco) illa solum ultima voluntas testamentum vocatur, qua heres instituitur; ex iure autem recenti quaevis dispositio, quam quis de bonis suis pro tempore mortem suam subsecuturo facit, testamentum vocatur.

---

[1]) C. Quia contingit 2. *De relig. dom.* (III. 11) Clem.

[2]) *Concilium trid.* sess. 22. c. 8. De reform.

[3]) Sess. 22. c. 6. De reform.

2. *Codicillus* vocatur ultimae voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur aut addendo vel demendo immutatur.

Ubi de ratione testamenti (ut in iure romano) est heredis institutio, ultima voluntas, qua quis de bonis suis disponit sine heredis institutione, *codicillus* principalis vocatur, ut a codicillo *accessorio* distinguatur.

558. 3. *Legatum* vocatur ultimae voluntatis dispositio, qua res determinata alicui directe relinquitur, e. g. lego Titio praedium meum. *Directe:* si enim alicui aliquid indirecte i. e. per heredem tribuendum relinquitur, vocatur *fideicommissum.*

α. Legatum fieri debet circa rem determinatam (domum, praedium, summam pecuniae). β. Legatarius statim, postquam heres adierit hereditatem, legati dominium acquirit; nequit tamen propria auctoritate illud occupare, sed exspectare debet, donec ab herede sibi tradatur. γ. Legatum profanum ex quorundam sententia sequitur naturam et condiciones testamenti; si ergo testamentum ob defectum alicuius sollemnitatis irritum est, etiam legatum irritum est; ex aliorum vero sententia aequiparatur legato pio; legatum pium in conscientia semper obligat, modo de voluntate legantis certo constet (556, 3).

4. *Fideicommissum* est ultima voluntas, qua heres iubetur aliquid alteri relinquere, sive hoc est tota hereditas sive eius pars sive res aliqua particularis, e. g. volo, ut Caius heres hoc meum praedium det Titio.

Ab hoc fideicommisso distinguendum est *fideicommissum familiae* seu illa dispositio, qua hereditas declaratur bonum inalienabile familiae, quod intra eandem familiam transmitti debeat (vel primogenito lineae antiquioris vel propinquiori consanguineo vel natu maiori). Hoc fideicommissum sine consensu legislatoris constitui nequit et per legem positivam vim in conscientia obligantem nanciscitur[1]).

559. 5. **Donatio mortis causa** dicitur ultimae voluntatis dispositio, qua alteri aliquid ita donatur, ut donatio post mortem donantis effectum sortiatur.

a. Ut donatio mortis causa de iure naturae valida sit, aliud non requiritur, nisi ut α. habeatur vera donatio, non solum donationis pro-

[1]) C. A. de hoc fideicommisso leges statuit § 618—646. C. G. Einführungsgesetz 59.

missio; β. ut adsit donatarii acceptatio: donatio enim mortis causa eo differt ab aliis ultimis voluntatibus, quod vivente donatore acceptari debeat a donatario eique ius ad rem vel potius in re tribuat; in eo autem cum illis convenit, quod mortuo demum donatore volorem accipiat ideoque semper adhuc revocari possit[1]); γ. ut certum sit donationem non fuisse revocatam.

b. Ille, cui mortis causa facta est donatio rei mobilis, mortuo donatore illam occulte sibi sumere potest, modo de vera donatione certo constet: eo enim differt haec donatio a legato, quod res donata non ut ab herede solvenda, sed ut a donatario tamquam sua accipienda relinquatur; siquidem donatarius defuncto donatore habet ius in re circa donum sibi relictum.

c. Si donatarius praemoriatur ante donatorem, donatio revocata censetur, adeo ut non transeat ad eius heredes, quia donator solum donatarium intendere censetur.

Nota. Ubi codex civilis donationes mortis causa non admittit, *a.* donatio, quae fit *ad causas pias*, valida est; *b.* donatio, quae fit *ad causas profanas*, probabiliter iure naturae ante sententiam iudicis valida est, iure positivo autem per sententiam iudicis irritari potest. Hinc ante sententiam iudicis donatarius rem donatam accipere et acceptam retinere potest; heres autem non tenetur rem donatario tradere[2]).

§ 3. De ipsis testamentis.

560. Divisio. *a.* In testamentum *sollemne,* quod certis formalitatibus a lege praescriptis instructum est, et *non sollemne,* quod his formalitatibus caret. Testamentum non sollemne aut est *ordinarium,* quod absque formalitatibus saltem in foro externo non valet, aut *privilegiatum,* quod absque sollemnitatibus valet, ut est e. g. testamentum a milite vel in itinere maritimo vel tempore pestis conditum.

b. In *scriptum* et *nuncupativum,* prout scripto exaratur aut sine scriptura oretenus tantum fit.

c. In *iudiciale* et *extraiudiciale,* prout cum iudicis (notarii) interventu aut sine iudicis interventu fit.

---

[1]) Cf. tamen C. A. § 956. C. G. § 2301.

[2]) Cf. *Gury,* Compendium th. mor. I. n. 835. Casus conse. I. n. 811 ss.

d. Testamentum *holographum* tum a C. A. tum a C. G. admittitur, si totum propria testatoris manu conscriptum eiusque nomine ac cognomine cum additione anni, mensis et diei signatum sit.

Nota. Formalitates quae ex lege servari debent, ut testamentum plenum valorem sortiatur, a diversis codicibus quamplurimae eaeque diversae praescribuntur, quare hic enumerari non possunt, sed ex ipsis codicibus discendae sunt.

561. De valore testamenti informis. 1. Testamenta, quae carent forma legali, certo valent, si *ad causas pias* condita sunt, modo de voluntate testatoris certo constet (n. 556).

a. Num valeat legatum profanum, quod in informi testamento pio continetur, controversum est. Ratio *negandi* est, quia haec testamenta solum valent ex voluntate summi pontificis, qui causas profanas non curat ideoque legata profana non convalidat. Ratio *affirmandi* haec est; testamenta ad causas pias non tam ex voluntate pontificis, quam iure naturae valida sunt, quia nimirum certo constat de testatoris voluntate; sed certo constat de testatoris voluntate etiam quoad legata profana, ergo etiam haec ex eodem iure naturae valida ideoque exsecutioni mandanda sunt[1]).

b. Si fideles sibi persuasum habeant etiam testamenta et legata pia nullius valoris esse, ubi sollemnitate legis civilis carent vel a iudice rescinduntur, confessarius abstinere potest a monitione, quae magis obfutura quam profutura praevidetur, ne mala fide retineant, quae bona fide possident.

2. Testamenta informia *ad causas profanas* ante sententiam iudicis irritantem ex recentibus legibus probabiliter valida sunt, nisi per ea laedatur ius heredis necessarii[2]).

Ex hac doctrina iam sequentia inferuntur:

a. Heres ex testamento iure naturae valido sed forma legali destituto α. potest adire hereditatem; β. non tenetur monere heredem ab intestato de vitio testamenti; non tenetur heredi ab intestato ante sententiam iudicis bona defuncti restituere, etsi heres haec bona

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 22. n. 274.

[2]) Cf. *Marres*, De iustitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1889) I. n. 367 ss. Censet *Delama* (n. 95) C. A. non irritare testamenta formis legalibus destituta; idem auctores de plerisque codicibus modernis existimant.

petat; si tamen coram iudice ea petit, et vitium testamenti certum est, caritas exigit, ut bona ei tradantur, ne frustra cogatur magnos sumptus facere; δ. sententia iudicis in conscientia servari debet.

b. Heres ab intestato licite testamentum informe coram iudice impugnare potest, idemque ius habet, ne in consequenda iusta sententia fraudibus impediatur. Ideo iniuste agit heres ex testamento informi, qui e. g. in testamento holographo carente testatoris subscriptione hanc sua manu suppleat[1]).

Nota. *S. Poenitentiaria* testamenta et legata pia informia pro foro conscientiae in genere considerat ut valida, nihilominus heres facile ad compositionem cum causa pia, ad cuius favorem legatum vel testamentum fuerat conditum, admittitur[2]). In hoc casu s. pontifex obligationem solvendi legati remittit sub hac condicione, quod causae piae parva eleemosyna tribuatur.

562. Obligationes testatoris. 1. Per se nulla exsistit *obligatio conficiendi testamenti,* cum etiam per successionem ab intestato strictis officiis satisfieri possit. Per accidens tamen haec obligatio adesse potest e. g. propter restitutionem alicui debitam vel propter lites et discordias, quae merito timentur nec alio modo praecaveri possunt.

2. Iure naturae *filiis* suis tantum relinquere debet, si quid habet, ut secundum statum suum vivere possint; de reliquis pro arbitrio ei disponere licet. Partem filiis relinquendam ius positivum accuratius determinat[3]).

3. Heredibus necessariis *partem hereditatis legitimam,* a iure civili determinatam *relinquere debet,* nisi sint *indigni*[4]*:* nam lex civilis, quae filiisfamilias partem legitimam e bonis paternis determinat, in conscientia et ex iustitia obligat.

a. Pater, qui filium sine iusta causa parte legitima privat, graviter peccat, et heredes eam partem reddere tenentur. Quodsi uni

---

[1]) Cf. *Gury,* Compendium th. mor. I. n. 819, 4.

[2]) *S. Poenitentiaria* 10. ian. 1901.

[3]) C. A. § 765 s. C. G. § 1922 ss.

[4]) Qui propter indignitatem hereditate privari possint, determinat C. A. § 540 ss. C. G. § 2333 ss. Manet tamen in parentibus obligatio pietatis etiam filiis indignis providendi de necessariis vitae, si sibi providere non possint.

filio prae reliquis, quibus solum legitimam relinquit, sine iusta causa favet, certe peccat, sed leviter tantum; si ex iusta causa uni favet, nullatenus peccat. Atqui iusta adest causa filio natu maiori plus relinquendi quam ceteris.

b. Cum lex, quae partem legitimam filiis tribuendam determinat, in conscientia obliget, pater per se contra iustitiam peccat, qui aut testamento aut donationibus sine iusta causa factis partem legitimam filiorum laedit. Ex meris tamen reditibus intacto patrimonio seu capitali donationes pro lubitu fieri possunt: his enim legitima filiorum non laeditur, quia parentes non tenentur pro filiis augere patrimonium[1]).

c. Qui sive testamento sive donatione aliquid accepit, quo pars legitima filiorum laeditur, stricte loquendo ad restitutionem tenetur, non tamen ante sententiam iudicis, quia lex eiusmodi dispositiones non absolute irritas declarat[2]).

4. Iure naturae sub gravi tenetur *uxori, fratribus et sororibus graviter indigentibus* tantum relinquere, quantum ad gravem eorum indigentiam sublevandam sufficiat, fratribus et sororibus simpliciter pauperibus, item ceteris cognatis graviter indigentibus solum sub levi succurrere tenetur.

Quia haec obligatio indirecte ipsa bona defuncti afficit, cum bonis obligatio quoque ad heredes transit[3]).

Num expensae in studiis factae tamquam pars hereditatis iam percepta detrahi debeant. Non detrahendae, sed potius ut dona a patre collata considerandae sunt, nisi pater aperte significaverit eas in divisione hereditatis negligendas non esse.

a. Expensae pro filiis factae, quae in commune bonum familiae cedunt, in divisione hereditatis detrahendae non sunt; sed expensae factae pro studiis vel ad assequendam dignitatem vel ad filium familiae utilem a militia liberandum in bonum familiae cedunt[4]). Cum hac doctrina concordat ius civile[5]).

b. Si expensae pro filio in studiis factae considerata condicione parentum sunt extraordinarie magnae, ex quorundam iudicio in communem hereditatem conferendae sunt; monent tamen iidem

---

[1]) Cf. *Gury*, Compendium th. mor I. n. 827 s.
[2]) Cf. *Lugo* disp. 23. n. 147. *S. Alphonsus* l. 3. n. 740.
[3]) *Lugo* disp. 23. n. 100.
[4]) *S. Alphonsus* l. 3. n. 955. *Lehmkuhl* I. n. 1169.
[5]) C. A. § 788—792.

auctores id non in stricto iure, sed solum in aequitate naturali fundari[1]).

5. Consanguinei, qui nec heredes necessarii nec pauperes sunt, licite testamento praeteriri possunt; hinc reliqua bona praetermissis consanguineis citra peccatum causis piis donari possunt.

563. De revocatione testamenti. Cum testamentum natura sua semper revocari seu mutari possit, quamdiu testator vivit, quaeritur, quid efficiat promissio illud non revocandi, praesertim ubi ea sit iuramento firmata.

1. Promissio non revocandi testamentum ex iure civili nulla est: ideo qui hanc promissionem fecit, non amittit ius mutandi testamentum, etsi promissarius ex sua parte aliam promissionem fecisset, etsi e. g. promittente marito coniux vicissim promisisset se non mutaturam esse testamentum suum: nequeunt enim privati se spoliare iure, quod a lege in bonum commune lata eis conceditur.

2. Si promissioni adiectum est iuramentum, distinguendum est, utrum agatur de testamento ad causas profanas an de testamento ad causas pias.

a. Si agitur de testamento ad causas profanas, iuramentum nullum est (n. 540) ideoque nec promissionem firmat neque obligat ad eam ex religione servandam.

b. Si agitur de testamento ad causas pias, iuramentum validum est et inducit obligationem ex religione servandi promissionem et testamentum non revocandi[2]).

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1169.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 967 ss.

Quaestio tertia.

De contractibus bilateralibus certi eventus.

Contractus bilaterales certi eventus sunt: *depositum, commodatum, mandatum, mutuum, emptio-venditio, locatio, societas, cambium.*

Articulus primus.

De deposito.

564. Notio. *Depositum* (Verwahrungsvertrag) est contractus, quo res aliqua suscipitur custodienda et tradenti in natura restituenda.

a. Ille, qui rem deponit, deponens seu *depositor*, ille vero, apud quem res deponitur, *depositarius* vocatur.

b. Depositum potest esse contractus *gratuitus vel onerosus*, prout depositarius gratis aut pro mercede rei custodiam suscipit. Sunt, qui dicant depositum natura sua esse contractum gratuitum, quia solum in commodum deponentis fit. Hinc si pro rei custodia merces exigitur, non habetur contractus depositi, sed contractus onerosus locationis operae. Omnes autem concedunt fere easdem esse in utroque casu obligationes et iure deponentis et depositarii, nisi quod depositarius, qui mercedem accipit, maiore diligentia rem depositam custodire tenetur.

c. Depositum est contractus *realis*, qui rei custodiendae reali traditione demum perficitur[1]).

d Quandoque sufficit, ut depositarius tacite in contractum consentiat; si e. g. itinerantes res suas in navi vel in domo vel in curru deponunt, nautae, caupones, aurigae eo ipso, quod res deponi vident et non contradicunt, eas tacite custodiendas suscipiunt. Etiam qui rerum vecturam exercent (die Frachtführer), earum custodiam suscipiunt, quando res transvehendae eis traduntur.

565. Obligationes depositarii. *a.* Depositarius in rei custodia eam diligentiam adhibere tenetur, quam in re propria aequalis valoris custodienda adhibere solet; at maiorem diligentiam adhibere non tenetur: ideo non te-

[1]) C. A. § 957. C. G. § 688.

netur in communi periculo e. g. incendii vel furti rem depositam etsi pretiosiorem suis rebus praeferre, nisi aut ad id expresse se obligaverit, aut pro custodia mercedem stipulatus sit, aut depositum unice in gratiam depositarii factum sit.

b. Depositarius non potest uti re deposita nisi ex voluntate expressa vel tacita vel saltem rationabiliter praesumpta deponentis: etenim non licet uti re aliena sine consensu domini. Consensus deponentis praesumi potest, si res deposita nullum subit periculum neque ex usu deterior fit.

α. Uti re deposita, quae usu consumitur, ut pecunia, grave peccatum non est, dummodo depositarius certus sit se rem eiusdem valoris restituere posse: at grave peccatum contra condiciones contractus committit depositarius, si hoc modo se exponit periculo impotentiae ad restituendum.

β. Si tamen depositarius illicite utatur re deposita e. g. pecunia ad negotiationem, lucrum inde perceptum retinere potest, quia est fructus industriae suae. Solum tenetur compensare damnum, si quod ex illicito rei usu passus est deponens[1]).

c. Depositarius rem depositam restituere debet, quando a deponente petitur, sive tempus rei reddendae determinatum fuit sive non; sed rem antea reddere non potest, si tempus rei custodiendae determinatum fuerit. Attamen rem depositam reddere non tenetur: α. si certo sciat rem esse furtivam, quia ad continuandam iniuriam erga dominum rei cooperaretur; β. si sciat deponentem re sua esse abusurum e. g. gladio ad occidendum inimicum, quia ad iniuriam inferendam cooperaretur; γ. si deponens compensationem, quam depositarius iuste exigere potest, solvere recusat.

Hinc si depositarius rem depositam exceptis hisce casibus reddere recusat, peccatum committit et tenetur reparare damna, quae domino inde orta sunt; et si res ipsa ex casu fortuito damnum patitur, quod apud dominum passa non fuisset, illud pariter reparare tenetur: nam retinet rem alienam invito rationabiliter domino.

d. Tenetur damnum reparare, quod res deposita passa est: et quidem si quod passa est ob gravem eius culpam

[1]) C. G. § 698. in hac re ab aliis codicibus differt.

theologicam, ante iudicis sententiam, si quod passa est ob culpam eius iuridicam, post iudicis sententiam; damnum vero, quod res sine omni eius culpa passa est, reparare non tenetur, nisi expresse quodcunque rei periculum in se suscepit.

566. Obligationes deponentis. Deponens tenetur: *a.* solvere expensas, quas depositarius in re custodienda subire debet; *b.* reparare damna, quae depositario propter depositum obvenerunt, et quidem si ex culpa theologica obvenerunt, ante, si ex culpa iuridica tantum, post sententiam iudicis.

567. Sequestrum est species depositi et definitur: contractus, quo res controversa apud tertium deponitur ea condicione, ut lite dirempta restituatur domino.

Distinguitur sequestrum *conventionale*, quod privata litigantium voluntate, et *iudiciale*, quod a iudice ex officio constituitur.

Ille, apud quem res controversa deponitur, *sequester* vocatur. Eius obligationes sunt: *a.* non potest susceptum officium deponere nisi ex gravi et iusta causa; *b.* non potest uni ex deponentibus lite nondum dirempta nec totum nec partem reddere.

Articulus secundus.

De commodato.

568. Notio. *Commodatum* (Leihvertrag) est contractus, quo res ad solum usum pro certo tempore alteri conceditur cum obligatione eandem post usum restituendi.

a. Ille, qui rem alteri concedit, *commodans*, ille vero, cui res ad usum conceditur, *commodatarius* vocatur.

b. Commodatum est contractus *gratuitus*: si enim alteri usus rei pro mercede conceditur, contractus potius locatio vocatur, etsi res ad usum concessa mobilis sit.

c. Commodatum est contractus *realis*, qui rei traditione demum essentialiter perficitur[1]).

d. Obiectum huius contractus potest esse res mobilis vel immobilis, dummodo usu non consumatur, cum commodanti in individuo sit reddenda.

e. Tempus, quo commodatum duret, vel expresse vel implicite determinari potest; et implicite quidem determinatur, si res ad usum conceditur, qui natura sua ad certum tempus durat.

f. Commodatum differt a *precario* (Bittleihen): precarium enim est contractus, quo res ad usum concessa quovis tempore pro lubitu concedentis repeti potest, econtra in commodato res ad certum tempus conceditur, ita ut tempore nondum elapso repeti non possit.

569. Obligationes commodatarii. *a.* Commodatarius, qui rem ad certum usum accepit, eam ad alium usum adhibere non potest, quin agat contra contractum ideoque iniustitiam committat et damnum reparare debeat, si quod dominus inde passus sit.

b. Commodatarius ferre debet expensas ordinarias, quas usus rei exigit, e. g. alere debet equum commodatum, non autem extraordinarias, e. g. pretium curationis equi morbidi, quae citra suam culpam necessaria est.

c. Tenetur rem commodatam diligenter custodire, et maiore quidem diligentia quam depositarius, quia contractus unice in suam utilitatem cedit. Hinc tenetur damna compensare, quae ex sua culpa theologica, et post sententiam iudicis etiam ea, quae ex culpa mere iuridica res patitur; attamen non tenetur compensare detrimentum, quod res ex licito usu necessario patitur.

d. Rem restituere debet tempore sive explicite sive implicite determinato, etsi a commodante non exigatur, quia ultra illud tempus usum rei non habet; ante tempus statutum autem rem invito commodante restituere non potest.

Quodsi rem ultra tempus statutum retinet, compensare debet omne detrimentum, quod res etiam ex casu mere fortuito patitur, solo detrimento excepto, quod etiam apud commodantem passa fuisset. Insuper

---

[1]) C. A. § 671 ei, cui de re commodanda facta est promissio, actionem civilem concedit.

domino compensare debet lucrum cessans et damnum emergens, quia horum est causa iniusta.

e. Detrimentum, quod res commodata ex casu mere fortuito patitur, per se ferre debet commodans, quia ipse est rei dominus; detrimentum autem, quod res patitur, quando commodatarius eam adhibet ad alium usum quam contractus permittit, ipse commodatarius ferre debet.

Utrum commodatarius in hoc ultimo casu, si abfuit culpa theologica, damnum ante iudicis sententiam, an post sententiam reparare debeat, a tenore legis dependet. Plerique codices ita intelligendi videntur, ut commodanti solum ius conferant compensationem per iudicem exigendi.

Exemplum. Titius a Sempronio tempore messis commodat equum ad invehendum frumentum. Cum eodem tempore in domo Titii furtum committatur, ipse utitur equo commodato ad furem persequendum; sed ecce ex gravi vulnere casu accepto perit equus[1]).

570. Obligationes commodantis. *a.* Tenetur aperire commodatario rei vitia nociva; quod si mala fide omittit, tenetur reparare damnum, quod commodatario inde oritur.

b. Solvere debet expensas extraordinarias, quas commodatarius ad rem conservandam facere debet, modo absque huius culpa ortae sint.

c. Non potest absque iniuria rem ante tempus statutum repetere, excepto casu, quo ipse commodans ex causa improvisa re sua statim indigeat[2]): non enim censetur se obligasse ad rem in hoc casu non repetendam.

d. Si res apud commodatarium absque ipsius culpa aut culpabili mora pereat, domino seu commodanti perit.

Articulus tertius.

De mandato.

571. Notio. *Mandatum* (Vollmachtsvertrag) est contractus, quo unus negotium nomine alterius gerendum suscipit.

[1]) *Lehmkuhl,* Das bürgerl. Gesetzbuch[5] (Freiburg. Herder. 1900 § 603. *Marres* IV. n. 110.

[2]) C. A. § 976 id non admittit, econtra C. G. § 605.

a. Ille, qui nogotium gerendum committit, *mandans*, ille vero, cui negotium committitur, *mandatarius* vocatur.

b. Quia mandatarius nomine mandantis agit, hic de omnibus tenetur, quae mandatarius facit vi mandati, quin limites mandati excedat.

c. Mandatum potest esse contractus *gratuitus* aut *onerosus*, prout mandatarius gratis aut pro mercede negotium gerendum suscipit. Sunt tamen, qui mandatum dicant contractum natura gratuitum: si enim pro negotio gerendo pretium accipitur, habetur potius locatio operae. Nihilominus inter mandatum onerosum et locationem operae exsistit essentiale discrimen: mandatarius enim agit nomine mandantis; operarius autem non heri, sed proprio nomine agit.

572. Obligationes mandatarii. *a.* Negotium sibi commissum diligenter et fideliter gerere debet, ea scilicet diligentia, quam in proprio negotio eiusdem generis adhibere solet; maiorem tamen diligentiam adhibere debet, si mercedem accipit, quam si gratis rem gerit.

b. Tenetur servare limites mandati; ad negotium autem rite gerendum adhibere potest omnia media, quae negotii natura exigit. Si limites mandati excedit, tum damnum tum lucrum ad mandatarium spectat.

c. Omne lucrum, quod percipit, mandanti tradere debet: cum enim nomine mandantis agat, huic acquirit, quidquid acquirit, nisi aut extraordinaria industria aliquid acquisierit, aut specialis conventio inter ipsos inita fuerit.

d. Damna reparare tenetur, quae mandanti ob culpabilem negligentiam in negotio gerendo obveniunt, et quidem ante iudicis sententiam, si gravem culpam theologicam admiserit, alias post iudicis sententiam.

573. Obligationes mandantis. *a.* Adimplere debet omnes obligationes a mandatario in exsecutione negotii contractas, modo hic limites mandati non sit transgressus.

Si mandans revocavit mandatum, mandatario autem revocatio non innotuit, mandans nihilominus de obligationibus ab eo contractis tenetur, excepto casu, quo mandatum commissum erat ad contrahenda sponsalia vel ad ineundum matrimonium: hi enim contractus revocato mandato invalidi sunt, etsi revocatio tum mandatario tum alteri parti ignota fuerit.

b. Solvere debet expensas necessarias et utiles, quas mandatarius in exsequendo negotio fecit, etsi negotium optatum eventum non habuit, modo id absque culpa mandatarii evenerit.

c. Compensare debet damna, quae mandatarius absque culpa passus est, non autem damna, quae mandatario ex casu fortuito obvenerunt.

574. Gestio negotiorum (Geschäftsführung ohne Auftrag — Vertretung ohne Vollmacht) est quasi-contractus, quo quis alterius negotium ex voluntate praesumpta domini absentis et ignorantis gerendum suscipit.

a. Negotiorum gestio dicitur *quasi-contractus* sensu iuridico (514, 2. c.), quo nempe sine omni consensu ne implicito seu virtuali quidem oritur obligatio in utroque contrahente, quia id exigit bonum commune. Hinc si quis rem e. g. annulum pretiosum a fure pro domino emit, hic tum iure naturali tum positivo solutum pretium compensare debet. Vel si quis curam in se suscipit animal aberrans alendi et ad dominum reducendi, compensationem laboris et expensarum exigere potest.

b. Gestio negotiorum est contractus mandato plane affinis, adeo ut vocari possit mandatum praesumptum: ideo negotiorum gestori et ei, cuius negotium geritur, applicari debent, quae de obligationibus mandatarii et mandantis dicta sunt.

Articulus quartus.

De mutuo[1]).

§ 1. De natura mutui.

575. Definitio. *Mutuum* (Darlehensvertrag) est contractus, quo res primo usu consumptibilis alteri traditur cum obligatione aliam rem eiusdem naturae et bonitatis statuto tempore reddendi.

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 78. *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 20. *Lugo,* De iustitia disp. 25. *Benedictus XIV.* De synodo l. 10. c. 4. Eiusdem encyclica *Vix pervenit* 1. nov. 1745. *Fr. Zech,* Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras etc. *Alb. Weiss,* Soziale Frage und soziale Ordnung (Freiburg. Herder. 1892). *Fr. X. Funk,* Zins und

a. Nomen *mutui* duplici sensu accipitur, sensu *formali,* quo significat contractum supra descriptum, et sensu *reali* seu obiectivo, quo significat rem, quae alteri mutuo traditur (Darlehen).

b. Ille, qui alteri rem tradit *mutuans* seu mutuator, ille vero, cui res mutuo traditur, *mutuatarius* vocatur.

c. Mutuum est contractus *realis,* qui rei traditione demum perficitur; a mutuo distingui debet promissio mutuandi, quae ipsum mutuum ordinarie praecedit[1]).

d. Obiectum mutui est res primo usu consumptibilis; at non solum res, quae usu physice destruitur ut frumentum, vinum, oleum dicitur usu consumptibilis, verum etiam res, quae physice quoad substantiam, quidem manet, sed utenti perit, ut eadem in individuo reddi nequeat ut pecunia, quae ad expendendum destinata est, ligna, quae ad aedificandam domum adhibentur.

e. Mutuatarius fit rei mutuatae dominus: vi mutui enim conceditur ius utendi re tradita; ius autem utendi re primo usu consumptibili idem est ac ius rem destruendi; ius autem rem destruendi ad rei dominium pertinet. Si ergo res mutuata utcunque perit, mutuatario perit, quia res perit domino; re ergo pereunte mutuatarius non liberatur ab onere rem eiusdem generis restituendi. Item *fructus,* si quos producit res mutuata, acquirit mutuatarius, quia res fructificat domino.

f. Mutuum *differt:* α. a *commodato* et a *locatione,* quia in mutuo traditur res primo usu consumptibilis, transfertur rei dominium et redditur res similis seu eiusdem generis; in illis vero contractibus traditur res primo usu non consumptibilis, non transfertur rei dominium et reddi debet eadem res in specie seu in individuo; differt β. a *permutatione,* quia in permutatione e. g. in venditione redditur res diversi generis; differt γ. a *cambio,* quia in cambio statim, non post aliquod tempus res traditur.

576. De gratuitate mutui. Mutuum *per se* est contractus *gratuitus,* adeo ut mutuatario aliud onus imponere non liceat, nisi ut rem eiusdem generis ac bonitatis debito tempore reddat, quin pro ipsa mutuatione

---

Wucher (Tübingen Laupp. 1868). Idem: Zur Geschichte des Wucherstreites (Tübingen. Laupp. 1901). *H. Pesch,* Zinsgrund und Zinsgrenze Zeitschrift für kath. Theol. (Innsbruck. XII. 1888) S. 36. 393. *J. Biederlack,* Der Darlehenszins (Wien. Mayer. 1898). *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis. Beyaert 1904) n. 357—385. *Van Roey,* De iusto auctario ex contractu crediti (Lovanii. Van Linthout 1903).

[1]) Ex C. A. § 983 promissio dandi mutuum obligationem civilem parit; item ex C. G. § 610.

quidquam exigatur. Sane qui pro re mutuata lucrum exigit, pro *usu* rei mutuatae pretium exigit: cum enim res mutuata primo usu absumatur, in mutuo nihil reperitur, quod possit censeri pretio aestimabile, praeter usum rei; atqui contra iustitiam agit, qui pro usu rei mutuatae pretium exigit: si enim mutuans pro usu quidquam exigeret, cum mutuatarius fiat rei dominus, aliquid exigeret pro re non sua. Insuper usus rei consumptibilis non habet valorem a valore rei distinctum, sicut usus vini empti non habet valorem a substantia vini distinctum. Qui ergo pro usu rei mutuatae pretium exigit, similis est venditori vini, qui seorsum vendit vinum et usum vini[1]).

a. Qui ergo pro ipso mutuo seu pro mutuatione et usu rei mutuatae quidquam exigit, contra iustitiam peccat et ad restitutionem tenetur. Et contractus, cuius obiectum est lucrum ex ipso mutuo percipiendum, est invalidus utpote illicitus atque iniustus. Ideo ecclesia severissimis legibus prohibuit, ne lucrum aliquod ultra rem mutuatam *ratione ipsius mutui* reciperetur.

b. Contra argumentum propositum non potest excipi: mutuans mutuatario mutuando *servitium* praestat, quod est pretio aestimabile. Si enim nomine servitii intelligitur *ipsa res* mutuata, haec in eodem genere eademque bonitate restituitur; quodsi nomine servitii intelligitur *usus* rei, hic in re consumptibili non habet valorem ab ipsa re distinctum; si tandem intelligitur *utilitas,* quam mutuatarius ex usu rei percipit, nefas est pretium exigere pro utilitate, quam aliquis percipit ex re sua. — Neque hoc excipi potest: qui alteri mutuum concedit, *se privat re sua;* atqui onus, quod aliquis hac privatione subit, est pretio aestimabile. Nam ipsum onus, quo quis se privat re sua, ubi haec privatio non est cum speciali detrimento coniuncta, non plus valet, quam ipsa res, qua se privat; quae cum reddatur, nihil restat, quod sit pretio aestimabile. Eadem privatio habetur etiam in venditione, quin pro ea pretium exigi possit. — Eodem redit haec exceptio: *carere ad certum tempus re sua* est pretio aestimabile. Carere enim re infructuosa, quae alium usum non habet nisi consumptionem, non est pretio aestimabile, ubi mutuator rem similem recipit, quando ipse ea opus habet. — Obligatio, quam contrahit mutuator mutuum *ad certum tempus non repetendi,* pariter non est pretio aestimabilis, ubi re mutuata mutuatori non est necessaria. Ipse quidem se privat libertate repetendi rem mutuatam: verum hoc qualecunque incommodum abunde compensatur alio emolumento, quod nempe mutuatarius

[1]) Cf. *s. Thomas,* II. II. q. 78. a. 1.

subeat periculum amittendi rem mutuatam manente obligatione similem restituendi: mutuum enim perit mutuatario[1]). — Mutuans *non patitur damnum,* quia rem infructuosam, qua ipse non indiget, mutuat. Damnum pateretur, si mutuator ex adiunctis non praevisis amitteret restituendi potentiam; sed huic periculo occurrere potest, eo quod exposcit vadem, qui deficiente mutuatario rem restituat.

577. De titulis externis. *Titulus externus* dicitur causa extra essentiam mutui posita, propter quam mutuans in particulari casu pro mutuo pretium exigere possit. Iam vero quatuor exsistunt eiusmodi tituli; *lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis et poena conventionalis.*

Ex his titulis probante ipsa ecclesia iam antiquitus aliquod lucrum ultra sortem exigi licite poterat. Necesse autem erat, ut hi tituli revera exsisterent, ut peculiare pactum a mutuo distinctum inter mutuantem et mutuatarium iniretur et certae condiciones servarentur, praesertim ut inter lucrum et titulum, ex quo lucrum percipiendum erat, debita proportio aequalitatis non excederetur.

1. *Lucrum cessans* est iactura pretii, quod mutuans lucratus fuisset, si rem suam in alio licito contractu vel negotio adhibuisset; iam vero spes lucri est pretio aestimabilis et est mutuo externa; ergo propter lucrum cessans aliquid supra mutuum accipere licet.

2. *Damnum emergens* est positivum detrimentum, quod mutuans subire debet, eo quod alteri mutuo dat rem suam; atqui manifestum est pro damno, quod aliquis in favorem alterius subit, compensationem exigi posse.

3. *Periculum sortis* est *speciale* periculum, quod prudenter timetur, ne mutuans rem suam non recuperet. Hoc periculum mutuo externum et pretio aestimabile est; quare si mutuans revera illud subire debet, licite pro eo aliquid exigit, et quo maius est periculum amittendae sortis, eo maiorem compensationem exigere potest.

a. Pro *communi* periculo, cui res quaelibet et ideo etiam res mutuata apud mutuantem obnoxia est, nihil accipere licet, quia hoc periculum mutuo est internum; pro *speciali* autem periculo, cui res apud

---

[1]) Ideo damnata est ab *Alexandro VII.* haec (42) propositio: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*

mutuatarium exposita est, aliquid praeter mutuum accipere licet, quia hoc periculum pretio aestimabile et mutuo externum est.

b. Periculum sortis oriri potest vel ex parte rei mutuatae, si haec e. g. per vias periculosas transvehenda sit, mutuatarius vero re pereunte restituere non possit; vel ex parte mutuatarii, si hic sit homo parum fidus, negligens vel fraudulentus; quo fit, ut mutuum absque molestiis ac litibus recuperari non possit.

4. *Poena conventionalis* est mulcta pecuniaria a mutuatario ex conventione solvenda, si rem mutuo acceptam statuto tempore non reddat; nihil vero impedit, quominus contrahentes se mutuo obligent ad certam poenam solvendam, si deficiant in contractibus.

578. Lex civilis seu praemium legale. Inde a saeculo decimoseptimo leges civiles passim certum foenus ex mutuo percipiendum admittebant et mutuatarium actione civili illud solvere cogebant. Ex eo tempore multum inter theologos disceptabatur, num deficientibus aliis titulis solus titulus legis civilis in conscientia sufficiat ad lucrum ex mutuo licite percipiendum[1]). Eorum, qui hoc licitum esse affirmabant, haec est potissima ratio: auctoritas civilis dominium bonorum materialium ab uno in alterum valide transferre potest, ubi necessitas vel magna utilitas boni communis id postulat; atqui bonum commune nostri temporis exigit magnam facilitatem mutuandae pecuniae ad commercium fovendum et augendum, quae facilitas, cum alio modo universaliter inter homines obtineri nequeat, nisi permittendo foenus veluti in praemium pecuniae mutuo datae, auctoritas civilis id permittere et foenoris dominium in mutuantem transferre potest.

Hunc titulum legis civilis, de quo theologi saeculo decimooctavo acriter disputarunt atque adhucdum disputant, ecclesia nedum reprobasse, potius approbasse videtur: decernit enim nec fideles, qui foenus a lege civili statutum ex mutuo percipiunt, inquietandos esse nec confessarios, qui docent illud licite percipi posse, modo parati sint stare mandatis s. sedis, si de hac re aliquid definierit[2]).

Nihilominus quaestionem inter theologos hodiernos agitatam de vi et efficacia huius tituli ecclesia hisce dirimere noluit: disputant enim, utrum ipsa lex civilis, nullo alio titulo exsistente, pactum foenus licitum reddat, an ipsa potius argumentum sit exsistentiae alicuius tituli externi, propter quod foenus licite percipi

[1]) Cf. *Fr. Zech,* Rigor moderatus c. 1. sect. 5.

[2]) De titulo legis civilis exstant duo s. sedis decreta, alterum de die 16. sept. 1830, alterum de die 17. ian. 1838.

possit. Complures huius posteriorit sunt sententiae, quam *Ballerini* breviter in hunc modum exhibet: lex perceptum ex mutuo lucrum *„non facit iustum, sed iustum reperit."*

§ 2. De mutuo pecuniario[1]).

579. Notiones. Pecunia est praecipuum obiectum, circa quod hodie contractus mutui versatur; sed propter pecuniae naturam ab aliis rebus, quae mutuo dari solent, valde diversam, haec species mutui peculiarem considerationem meretur.

1. *Mutuum pecuniarium* (Gelddarlehen) est contractus, quo alteri pecunia traditur cum obligatione aliam eiusdem valoris statuto tempore reddendi.

a. Pecunia, quae mutuo datur, in scholis *sors,* nunc autem vulgo *capitale,* vocari solet.

b. Mutuum pecuniarium est contractus *gratuitus,* si pecunia alteri gratis, et est contractus *onerosus,* si alteri cum onere solvendi foenoris traditur.

2. Ratione *finis,* quem mutuatarius intendit, mutuum pecuniarium dividitur in mutuum *consumptivum,* quod alteri traditur ad res usui suo necessarias sibi comparandas; et mutuum *productivum,* quod alteri traditur ad lucrum faciendum, ut si mercatori datur ad negotiandum vel diviti ad res suas augendas vel agricolae ad agros suos meliorandos.

580. Natura pecuniae. Sensu proprio pecunia *sterilis* est; improprie autem potentiâ frugifera est et nunc temporis per accidens simpliciter *actu frugifera* dici potest.

a. Cum res frugifera proprio sensu ea dicatur, quae ex se interna fertilitate fructus producit ut arbor, vinea, ager, pecunia proprie res frugifera dici nequit, sed proprio sensu sterilis est, siquidem *pecunia pecuniam non parit.*

b. Improprio sensu res frugifera ea dicitur, quae aequivalet rebus frugiferis, quia cum rebus frugiferis permutari potest, vel quae inservit tamquam medium et instrumentum ad lucrum sibi comparandum; sed pecunia cum aliis rebus quibuslibet permutari eisque substitui pot-

[1]) *Van Roey,* De iusto auctorio ex contractu crediti (Lovanii. Van Linthout. 1903).

est, ideo ipsa, quatenus rebus in se frugiferis substitui potest, aequivalet rebus frugiferis; insuper ea ope industriae atque commercii inservit tamquam medium et instrumentum ad lucrum sibi comparandum.

c. Etsi pecunia semper ex se apta erat, quae cum rebus frugiferis permutaretur aut tamquam medium lucrosi negotii adhiberetur, antiquitus tamen non eae erant condiciones oeconomicae, ut facile et frequenter id fieri potuisset: nunc vero tum propter communicationem facillimam inter diversas regiones, tum propter maximam extensionem industriae et commercii eae sunt condiciones oeconomicae, ut ubique facile rebus frugiferis substitui aut tamquam medium lucrosae negotiationis adhiberi possit. Quare pecunia, quae antiquitus non habebatur ut res frugifera neque ut talis haberi poterat nisi potentia, nunc res *actu frugifera* dici debet.

581. Lucrum ex mutuo pecuniario. In condicionibus oeconomicis, quae nunc sunt, unicuique licitum est *pro mutuo pecuniario mercedem accipere,* nisi ex lege caritatis gratis mutuare teneatur.

a. Complures exsistunt responsiones sanctae sedis, quibus hodie omnibus tum ecclesiasticis tum laicis positive licentia conceditur, independenter ab exsistentia tituli externi ex mutuo moderatum lucrum percipiendi, ut inferius dicetur.

b. Cum pecunia ex condicionibus nostri temporis sit res frugifera, in communi omnium aestimatione specialis ei convenit valor, ob quem possidenti afferre potest lucrum atque utilitatem; qui ergo alteri concedit mutuum, simul cum pecunia se privat etiam hoc valore, qui pecuniae nunc inhaeret; sed pro speciali valore licet compensationem exigere. Adiuncta temporis hodie ea sunt, ut pecunia communiter pro omnibus valorem rei frugiferae habeat: omnes enim, quibus vel modica pecuniae summa praesto est, facile occasionem reperiunt sibi ex ea comparandi lucrum atque utilitatem, ideo omnibus licitum est foenus accipere, et ex quovis quidem mutuo, etiam ex mutuo consumptivo.

c. Sicut caritas exigit, ut proximo in gravi necessitate constituto per eleemosynam succurramus, ita eadem caritas exigere potest, ut proximo, qui mutuo indiget, non solum illud praestemus, sed etiam gratis praestemus, si mercedem solvere nequeat, modo id sine gravi incommodo a nobis fieri possit: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*[1]).

Ordinarie tamen ipsum hoc incommodum divites a mutuo pauperibus praestando excusat, ubi de maiore summa agitur: ordinarie enim se exponunt periculo amittendi sortem, quod sane grave incommodum est. Practice ergo divites in hoc casu obligationi suae satisfaciunt, eo quod mutuum petenti parvam eleemosynam largiantur.

§ 3. De foenore et de usura.

582. Notiones. *Foenus* (Zins) est lucrum ex mutuo licite perceptum, quod vulgo *interesse* vocatur. Triplex distinguitur foenus: legale, vulgare et conventionale.

a. Foenus *legale* illud est, quod a lege constituitur.

Foenus legale non ubique habetur: sunt enim societates civiles, in quibus eiusmodi leges aut nunquam exsistebant aut olim exsistentes abolitae sunt[2]). Sed ubi leges quantitatem foenoris determinant, quam simul transgredi prohibent, istae leges in conscientia obligant, ut ad restitutionem teneatur, qui eam excedat, nisi extraordinarie magnum sit periculum sortis aut lucrum cessans.

b. Foenus *vulgare* illud est, quod ex communi hominum usu constituitur.

Foenus vulgare ibi potissimum habetur, ubi foenus legale non exsistit; verum etiam in regionibus in quibus foenus legale statutum est, quandoque simul exsistit vulgare, quod illud excedit. Qui foenus vulgare excedit, iniustitiam committit, nisi peculiares circumstantiae excessum cohonestent.

c. Foenus *conventionale* illud est, quod conventione et consensu mutuantis et mutuatarii constituitur.

Foenus conventionale locum habet, ubi nec foenus legale nec vulgare habetur. Eius mensura determinanda non est ex lucro, quod mutuatarius ex pecunia mutuata percipit, sed ex communi spe lucri, quod mutuans ex possessione et usu pecuniae percipere potuisset, et ex titulo externo, si in particulari casu eiusmodi titulus adsit.

---

[1]) Matth. 5, 42.

[2]) Foenus legale in Austria olim erat sex pro centum (6 %) singulis annis; postea vero (1886) lege ista abolita foenus etiam maioris cuiuslibet altitudinis lege non interdicitur.

583. Mensura foenoris liciti generali norma determinari nequit, quia circumstantiae locorum, temporum et personarum, a quibus quantitas iusti foenoris dependet, valde diversae sunt. Generatim dici potest illud foenus esse licitum, quod communi hominum iudicio et usu attentis industriae et commercii condicionibus in determinata regione constituitur.

a. Ex iure naturae mutuatarius non tenetur solvere foenus, ubi de eo solvendo nihil conventum sit, praesertim si ad breve tempus pecunia mutuetur. Verum attendendum est, quid in hac re statuat ius positivum vel consuetudo recepta loci[1]).

b. In nostris Europae regionibus foenus licitum ex ipsa fertilitate pecuniae in ordinariis adiunctis est 4—5 %. Ut maius lucrum percipi possit, specialis causa adesse debet, qualem constituunt tituli, propter quos antiquitus exigi poterat foenus, nisi ipse mutuatarius sponte maius lucrum offerat propter extraordinariam utilitatem, quam ipse ex mutuo percepturus sit. Ex his causis specialibus fieri potest, ut etiam magnum foenus 10—20% licitum et iustum sit[2]).

584. De usura. 1. *Usura* (Wucherzins) est lucrum ex mutuo iniuste perceptum. Cum omne lucrum ex mutuo ratione ipsius mutui perceptum iniustum sit, usura definiri potest: lucrum ex ipso mutuo perceptum; et quia nunc temporis ex quovis mutuo (pecuniario) aliquod foenus licite percipitur, usura definiri potest, ut sit *foenus excessivum.*

a Usura sensu formali et obiectivo accipitur; *formaliter* est contractus, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum aliquid ultra sortem ex solo titulo mutui; *obiective* est lucrum ex mutuo vi mutui perceptum.

b. Antiquitus omne lucrum ex mutuo perceptum praesumebatur illicitum, ideo omne foenus rationem usurae censebatur habere, unde factum est, ut foenus in iure canonico idem significaret atque usura, et usurarii dicerentur, qui foenus ex mutuo accipiebant; hodie vero latum discrimen est inter foenus seu lucrum licitum et usuram seu lucrum iniustum. Ratio discriminis est, quia antiquitus solum titulus externus licitum reddebat foenus, raro autem aderat eiusmodi titulus externus, ideo omne foenus praesumebatur iniustum, nisi existentia tituli externi demonstrari poterat; hodie vero foenus in genere

[1]) C. G. § 608 s. cum iure naturae concordat.

[2]) S. *Officium* 18. dec. 1872.

censetur iustum, etsi nullus adsit titulus externus, quia adiuncta temporis ipsi pecuniae tribuunt valorem, quem antea non habebat.

2. Usura *dividitur* in *apertam,* quando expresse exigitur ratione mutui e. g. mutuor tibi centum eo pacto, ut mihi reddas centum et quinque; et in *palliatam,* quando latet in alio contractu, qui continet mutuationem, vi cuius exigitur lucrum. Alio igitur contractu veluti pallio tegitur, ut si quis aliquid carius vendit praecise propter dilatam solutionem.

3. Usura (formaliter) est peccatum contra iustitiam commutativam, quod cum aequiparandum sit furto, gravitas materiae eodem modo determinanda est atque in furto.

§ 4. De prohibitione usurae.

585. Usura (formaliter) prohibetur iure naturae, iure divino et iure ecclesiastico[1]).

1. *Iure naturae* prohibetur, quia usura iustitiae commutativae repugnat: nam aliquid accipere ultra sortem est plus accipere quam valet id, quod datum est, cum mutuum natura sua contractus gratuitus sit (n. 576); atqui id in commutationibus repugnat iustitiae commutativae.

a. Ex his colligitur usuram ex mutuo perceptam per se semper esse peccatum contra iustitiam, sive mutuum exhibetur pauperibus sive divitibus, sive est mutuum consumptivum sive productivum: nam ipsa eius natura exigit, ut mutuatario gratis praestetur. Quodsi usura a pauperibus exigitur, insuper contra caritatem peccatur.

b. Dices: non potest esse iure naturae prohibitum, quod olim Deus permiserat Iudaeis; atqui usuram eis permiserat: *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam nec fruges nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis*[2]). Iam vero permissionem a Deo concessam alii ideo licitam dicunt, quia Deus, supremus omnium dominus, dominium in foenus perceptum transtulit in Iudaeos; alii vero ideo, quia aderat ratio mutuo

---

[1]) Usque ad recentiora tempora usura etiam iure civili ubique prohibita erat; nunc vero leges usuram interdicentes fere ubique abrogatae sunt.

[2]) Deut. 23, 19. 20.

externa exigendi foenus, sive haec erat periculum sortis, sive lucrum cessans ob opportunitatem negotiandi.

2. *Iure divino.* Sacrae scripturae testimonia, quibus usura prohibetur, complura sunt[1]); ex his vero, praesertim si attendatur ad interpretationem ecclesiae, duo colligimus: imprimis usuras accipere ex revelatione divina grave peccatum esse, deinde vero malitiam huius peccati in eo esse, quod aliquid amplius exigatur, quam mutuo datum sit.

Quamvis affirmari non possit encyclicam Benedicti XIV. *Vix pervenit* esse definitionem ex cathedra, tum quia ad solos Italiae episcopos directa est, tum quia non apparet doctrinam ibi expositam vi primatus proferri, tenendum tamen est, quod idem pontifex alibi docet: „Omne lucrum ex mutuo praecise ratione mutui perceptum omni iure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit et est catholicae ecclesiae doctrina"[2]).

3. *Iure ecclesiastico.* Complures exsistunt eaeque severissimae leges ecclesiae usuram prohibentes, quarum praecipuae sunt[3]).

Concilium viennense (1311) decernit velut *haereticum puniendum* esse, qui pertinacitur affirmare praesumat exercere usuras non esse peccatum[4]).

Concilium lateranense V. (1515) tamquam exercitium usurae damnavit, „quando quis ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foenusque conquirere studet."

---

[1]) *Ne accipias usuras ab eo (fratre tuo) nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram et frugum superabundantiam non exiges.* Lev. 25, 36. 37. *Si . . ad usuram non comodaverit et amplius non acceperit . . . vita vivet.* Ezech. 18, 8. *Ad usuram dantem et amplius accipientem: numquid vivet? non vivet, cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur.* Ib. 18, 13. Alia collegit *Lehmkuhl* I. n. 1096, *Vermeersch* n. 358. Attamen ad gratuitatem mutui atque illiceitatem foeneris demonstrandam adduci nequit Luc. 6, 34. 35: *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? . . . Mutuum date nihil inde sperantes,* quia ex contextu sermonis hic non agitur de foenore, sed de ipsa sorte, cui renuntiare debet is, qui proximum, etsi sit inimicus, vere diligit: is enim quandoque mutuum dare debet etiam in iis adiunctis, in quibus praevidet, se nihil recepturum esse.

[2]) De synodo l. 10, c. 4. n. 2.

[3]) Alias leges vide apud *Lehmkuhl* I. n. 1098. *Vermeersch* n. 360.

[4]) C. Ex gravi un. *De usuris* (V. 5) Clem.

Alexander VII. hanc propositionem (42) damnavit: „Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus"; *Innocentius XI.* hanc (41) damnavit: „Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam praesentem quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere et eo titulo ab usura excusari." Cf. etiam Innocentii XI. propositio 42.

Accedit *Benedicti XIV.* celeberrima encyclica: *Vix pervenit* ad episcopos Italiae 1. nov. 1745 directa, qua leges antea latae approbantur et confirmantur. *Poenae* tamen in publicos usurarios latae sunt: excommunicatio, infamia iuris et privatio sepulturae ecclesiasticae, si impoenitentes moriantur.

His tamen ecclesia non omne foenus prohibuit, sed foenus usurarium; usurarium autem est foenus, quod ex ipsa pecuniae mutuatione et usu percipitur; usurarium autem non est foenus, quod ex alio titulo legitimo mutuationi et usui pecuniae externo percipitur[1]). Neque ecclesia his legibus impedivit, quominus ex pecunia superflua lucrum capi posset, modo lucrum esset iustum: complures enim aderant modi ex pecunia lucrum capiendi, non quidem vi mutui, sed aliis contractibus mutuo adiectis ut emptione censuum, contractu societatis, contractu trino et eiusmodi.

586. De recenti lege ecclesiae. 1. Hodie ecclesia permittit, ut pro mutuo pecuniario moderatum foenus exigatur.

Complura exsistunt romanarum congregationum hac super re decreta[2]), quorum primum est *s. Officii* 18. aug. 1830; ex quibus decretis haec colliguntur:

a. Licitum esse ex mutuo foenus percipere, etsi alius titulus lucrum cohonestans non exsistat: verba enim, quae in decretis occurrunt: *non sunt inquietandi* sive poenitentes, qui foenus percipiunt, sive confessarii, qui eiusmodi poenitentes absolvunt, aequivalent positivae permissioni.

b. Quantitatem foenoris generali regula determinari non posse, sed rem decernendam esse iuxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus[3]).

2. Discrimen inter legem et praxim ecclesiae antiquam et hodiernam diversimode explicatur.

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 78. a. 2. ad 1.

[2]) Cf. *Bucceroni,* Enchirid. morale[4] (Romae. Typogr. iuvenum opificum 1905) p. 113 ss.

[3]) *S. Poenitent.* 18. apr. 1889.

a. Osores ecclesiae catholicae hanc accusant, quasi in determinanda natura pecuniae turpiter erraverit et ex hoc errore lucrum ex mutuo prohibuerit, id quod rei oeconomicae mediae aetatis eiusque successui impedimento fuerit et negotiationi ingens detrimentum attulerit; nunc tandem ecclesiam errorem dedoctam lucrum ex mutuo permittere. Haec falsa esse et per iniuriam ecclesiae exprobrari ex dictis iam patet.

b. Theologorum alii rationem internam, ob quam ecclesia nunc foenus permittat, quod antea prohibuerat, desumendam censent ex dispositione legis civilis dominium foenoris in mutuantem transferentis.

Verum haec explicatio non satisfacit: nam α. leges civiles permittentes lucrum ex mutuo iam exsistebant eo tempore, quo ecclesia foenus adhuc reprobabat; β. in plerisque regnis leges civiles nunc permittunt lucrum illimitatum, quas quidem leges ecclesia probare nequit; γ. ecclesia nullibi provocat ad legem civilem veluti causam foenus cohonestantem, sed independenter a lege civili illud permittit.

c. Alii verius id explicant ex condicionibus oeconomicis nostri temporis. Scilicet pecunia, quae ex se sterilis est, ex adiunctis externis fieri potest frugifera; iam vero adiuncta oeconomica nostri temporis efficiunt, ut pecunia dici debeat frugifera, quae adiuncta cum anteactis temporibus non exsisterent, pecunia tunc dicenda erat sterilis.

Articulus quintus.

De emptione et venditione.

§ 1. De emptione et venditione in genere.

587. Notio. *Emptio-venditio* est contractus, quo duo inter se conveniunt de tradenda merce pro pretio. Tria ergo ad essentiam huius contractus pertinent: *a.* mutuus consensus ementis et vendentis; *b.* res aliqua sive mobilis sive immobilis tamquam merx; *c.* pecunia tamquam pretium.

a. Contractus iste in se quidem unus est, quia vero duo actus, emere et vendere, necessario involvit, duplici nomine coniuncto *emptio-venditio* significari solet.

b. Venditio est contractus *consensualis,* qui solo consensu perficitur; ergo ad essentiam huius contractus ex iure naturae nec rei et pretii traditio neque ulla sollemnitas (e. g. scriptura) requiritur. Iura tamen positiva plerumque statuunt, ut ipso consensu solum ius ad rem acquiratur, scilicet ex parte emptoris ius accipiendi mercem, ex parte venditoris ius accipiendi pretium, dominium vero seu ius reale in mercem et in pretium traditione mercis et pretii demum acquiratur[1]). Quae iuris dispositiones etiam in conscientia servandae sunt, nisi ipsi contrahentes scienter et voluntarie contra iuris civilis dispositiones quidquam inter se statuerint, quod licite facere possunt, dummodo servent normas iustitiae naturalis.

c. Ad essentiam huius contractus requiritur, ut fiat *de merce* ex una et *de pecunia* ex altera parte seu de pretio pro merce et de merce pro pretio tradenda: etenim si ex utraque parte de merce fiat, non habetur venditio, sed permutatio, et si ex utraque parte de pecunia fiat, habetur cambium.

588. Divisio. 1. Emptio-venditio dividitur in *naturalem* et *artificialem.* Dicitur naturalis seu oeconomica, si emantur, quae ad sustentationem sunt necessaria, et illi superflua vendantur; et dicitur artificialis, si res emantur cum animo eas cum lucro vendendi. Emptio-venditio artificialis dicitur *negotiatio.*

2. Emptio-venditio *artificialis* duplex est: *lucrativa,* quando res emitur, ut absque sui immutatione maiore pretio vendatur; et *simpliciter artificialis,* quando res emitur, ut naturaliter vel per industriam immutetur et immutata maiore pretio vendatur. Priore venditione negotiatio strictiore sensu, posteriore vero negotiatio latiore sensu exercetur.

§ 2. De obligationibus venditoris et emptoris.

Obligationes **venditoris** referuntur: *a.* ad rem vendendam; *b.* ad rei vendendae defectus manifestandos; *c.* ad rem venditam tradendam; *d.* ad rei venditae assecurationem.

---

[1]) Ita etiam C. A. § 1053 et C. G. § 433, quibuscum concordat ius romanum, non autem anglicum nec belgicum.

589. Quoad rem vendendam. 1. Res physice aut saltem moraliter debet esse *ea, quam emptor petit,* alias venditio propter errorem substantialem invalida est, et venditor reus est iniustitiae.

a. Moraliter saltem: etsi enim res data physice sit diversa ab ea, quam petit emptor, si tamen moraliter sit eadem, e. g. si aeque bona et emptori aeque utilis sit ad finem a se intentum contractus valet, quia res venales secundum moralem aestimationem taxantur. Ideo valide et licite venditur medicamentum physice quidem a petito diversum, quod tamen ad finem intentum aeque conducit ac petitum.

b. Si ergo rei naturali petitae substituitur artificialis e. g. vinum, quod non est de vite, butyrum, quod non est ex lacte, contractus per se invalidus est; si tamen eiusmodi res artefactae non sunt noxiae et communiter venduntur, contractus est validus, modo emptor non expresse petierit rem naturalem, et venditor pretium pro valore rei venditae minuerit[1]).

2. Res debet esse *propria,* non aliena: in rem namque alienam per se nec venditor ius transferre neque emptor ius acquirere potest.

Si res aliena tradita et pretium solutum est, emptor quidem rei dominium non acquirit, venditor vero pretii dominium acquirit (excepto casu evictionis). Quodsi iura recentia statuunt emptorem rei alienae, si bona fide egit, paucis casibus exceptis per rei traditionem in rem emptam dominium acquirere[2]), huic iuris dispositioni etiam in conscientia stari potest[3]): potestas enim civilis ratione boni communis, ad facilius et securius reddendum commercium, dominium in rem alienam emptam tranferre potest.

3. Res debet esse *pura,* non adulterata seu mixta; ideo certe iniustitia committitur, quando mercis tanta est mixtio, ut si ab ementibus cognosceretur, mercem tali pretio non emerent.

Licet rem mixtam communi pretio vendere, si res ante mixtionem eâ, quae communiter venditur, perfectior est, post mixtionem vero eâdem non est deterior[4]).

Idem dicendum videtur de illis mixtionibus moderatis, quae a mercatoribus passim fiunt et ab ementibus saltem peritis probe cognoscuntur, nec tamen mercem communi pretio emere recusant.

---

[1]) Cf. *s. Alphonsus* n. 820. *Ballerini-Palmieri* III. n. 796. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 870.

[2]) C. G. § 932 ss.

[3]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1113. *Ballerini-Palmieri* III. n. 752.

[4]) *S. Alphonsus* n. 820.

590. Quoad manifestationem defectuum. Defectus alii sunt *substantiales*, qui rem vendendam aut nocivam aut plane vel saltem notabiliter inutilem faciunt ad notum finem emptoris, alii *accidentales*, qui rem nec nocivam nec inutilem, sed solum minus aptam faciunt; item alii sunt *manifesti*, qui facile ab omnibus notantur, alii *occulti*, qui non facile passim notantur.

1. Venditor *defectus substantiales* emptori eos non advertenti manifestare tenetur, etsi non interrogetur, alias contractus propter defectum consensus invalidus est, et venditor pretium reddere tenetur.

2. Si de defectibus rei in genere vel de aliquo defectu in specie *interrogetur*, venditor manifestare tenetur etiam *defectus accidentales*, sive occulti sunt sive manifesti; quodsi eos non manifestat, et magis si eos occultat, dolum committit et proinde contractus rescindibilis est, quando error ansam dedit contractui; econtra quando emptor cognito vitio rem nihilominus emisset, sufficit pretium pro ratione vitii minuere.

3. Si de defectibus *non interrogetur*, venditor defectus accidentales manifestare non tenetur, ne occultos quidem, etsi rem minus utilem faciant, et contractus validus et licitus est, modo dolus non intervenerit et pretium pro ratione defectus minuatur. Quodsi emptor adeo imperitus est, ut etiam defectus manifestos non videat, de omnibus moneri debet[1]).

591. Quoad rei traditionem. 1. Tenetur rem venditam emptori tradere in eo statu, in quo erat tempore venditionis, et quidem tempore, loco et modo, de quibus inter contrahentes conventum est, et deficiente conventione, prout lege civili aut consuetudine recepta determinatur, secus emptor ius habet rescindendi contractum et exigendi reparationem damnorum.

---

[1]) Cum his fere concordant iura positiva C. A. § 871 s. C. G. § 459 ss.

2. Tenetur rem venditam usque ad traditionem tamquam depositarius custodire; quare si res ex culpa venditoris damnum patitur, hic damnum emptori reparare tenetur; et quidem si ex culpa theologica, ante, si ex culpa iuridica, post sententiam iudicis. Quodsi res casu damnum patitur, pro diverso tempore, quo dominium in emptorem transit, res modo emptori, modo autem venditori perit.

3. Fructus rei venditae et nondum traditae ad eum pertinent, qui eius dominus est, cui proinde fructificat, sicut ipse per se eius periculum ferre debet.

Si eadem res *successive* duobus venditur et secundo emptori traditur, distinguendum est pro diverso tempore, quo dominium transfertur. Si prima venditione dominium translatum est, secundus emptor dominium acquirere nequit, et proinde res primo emptori tradenda est; si prima venditione dominium translatum non est, secundus emptor, si bonae fidei est, rei traditione saltem ex iure positivo dominium acquirit i. e. rei traditio constituit ius *in re,* quod vincit primi emptoris ius *ad rem.* Verum primus emptor a venditore indemnis servari debet[1]).

592. Quoad assecurationem. 1. Venditor tenetur emptori securitatem praestare *de tranquilla rei possessione:* venditor enim hac solum condicione ius in pretium acquirit, quod res vendita plene in potestatem emptoris transeat; atqui res non est plene in potestate emptoris, nisi pro casu evictionis assecurata sit.

Rem *evincere* significat rem vincendo auferre: *evictio* (Entwindung) definitur: legitima deturbatio emptoris a possessione rei emptae, quae vel integre vel ex parte a vero eius domino revindicatur.

2. Venditor tenetur de evictione, si causa evictionis emptori non fuit declarata; quodsi venditor nullam causam evictionis cognoscit, convenire potest cum emptore, quod de evictione non teneatur, quae tamen conventio in venditore malae fidei nulla est.

3. Venditor tenetur emptori securitatem praestare *de vitiis rei occultis* et proinde aut pretium restituere aut illud minuere, prout supra (n. 590) dictum est.

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 873.

593. Obligationes emptoris. 1. Si venditor ignorat valorem rei suae eamque infra iustum pretium vendere intendit, emptor tenetur eum *monere* vel saltem infimum pretium offerre. Pariter si emptor ignorat valorem mercis et offert pretium iusto maius, venditor eum monere debet, alias emptio-venditio esset iniusta: neque enim supponi potest venditorem pretii defectum aut emptorem eius excessum liberaliter donare velle.

2. Tenetur *pretium solvere,* et quidem tempore statuto, si tempus solutionis determinatum fuit; si nullum determinatum fuit, quando traditur merx. Quodsi pretium non solvitur, venditor rem tradere non tenetur; et si solutio pretii ultra tempus vel conventione vel consuetudine determinatum differtur, etiam foenus solvendum est.

3. Tenetur mercem accipere, et quidem tempore determinato, si quod statutum fuit; si nullum determinatum fuit, contractus statim exsecutioni mandari debet; quare venditor ius habet exigendi, ut emptor statim mercem accipiat et pretium solvat.

Num licita sit mercatorum praxis, qua emptores, qui plus iusto solverunt, ius amittant excessum recuperandi. — Exclusa fraude haec praxis licita est, si venditor, cui ex errore minus iusto solutum fuit, aeque amittit ius exigendi defectum atque emptor recuperandi excessum: ex utraque enim parte tunc aequale est periculum subeundi damnum.

§ 3. De iusto pretio.

594. Notio. *Pretium* est valor rei pecunia expressus. *Valor* rei est communis hominum de re aestimatio in aliqua regione, quae aestimatio potissimum ab utilitate dependet, quam res hominibus affert. *Iustum* dicitur pretium, quod mercis valorem adaequare censetur. Porro triplex distinguitur pretium: *legale, vulgare* seu naturale et *conventionale.*

595. De pretio legali. 1. Pretium *legale* dicitur, quod auctoritate publica (statuto principis vel magistratus) determinatur.

a. Pretium legale non dividitur in summum, medium et infimum sed mathematice determinatum est et praesumitur iustum, nisi de contrario constet. Ceterum hodie raro amplius in usu est.

b. Homo *privatus*, qui scientia iuste acquisita mercis pretium legale brevi mutandum cognovit, potest sine iniustitia res suas pretio currente vendere vel alienas emere quia pretium adhuc est iustum; attamen contra caritatem peccat, si hoc agendi modo pauperi ob lucrum suum grave damnum infert. Persona publica autem, cui non licet cum aliorum damno uti scientia, quam vi muneris habet, summum res ad proprium usum necessarias emere aut res suas superfluas vendere potest.

2. Lex, quae pretium legale determinat, obligat in conscientia et ex iustitia commutativa: nam a publica potestate circa obiectum, quod ad ipsam pertinet, ratione boni communis statuitur et ad commutationes refertur.

Qui ergo sine iusto titulo rem ultra taxam legalem vendit, iniustitiam committit et excessum pretii emptoribus restituere debet. Immo frequenter etiam ille, qui rem infra taxam legalem vendit, iniustitiam committit, non quidem erga emptores, sed erga alios venditores, quibus hoc modo damnum infertur, quod reparari debet. Pretium enim legale non solum in favorem ementium, sed saepe etiam in favorem aliorum vendentium statuitur. Num hoc reipsa per legem in conscientia obligantem factum sit, ex tenore legis colligendum est.

596. De pretio vulgari seu naturali. *Notiones.* 1. Pretium *vulgare* dicitur, quod communi hominum aestimatione determinatur, quod proinde homines determinato loco et tempore pro aliqua merce communiter solvunt.

2. Pretium vulgare non est mathematice determinatum, sed distinguitur *summum, medium* et *infimum:* prudens enim hominum aestimatio non est mathematice fixa atque determinata, sed moralem quandam latitudinem habet.

a. Quanta sit pretii vulgaris latitudo seu quanta sit distantia inter summum et infimum, una regula determinari non potest, cum ea a compluribus iisque diversis circumstantiis dependeat. Generatim pretium rei ad vitam necessariae minorem, pretium rei superfluae maiorem, pretium rei admodum rarae et pretiosae maximam habet latitudinem.

b. Pro rebus, quae vitae usibus communiter inserviunt, latitudo iusti pretii inter infimum et summum *ordinarie* iuxta hanc normam determinari potest. Si pretium medium sit 5, infimum erit 4, summum 6;

si medium sit 10, infimum erit 8, summum 12; si medium sit 50, infimum erit 45, summum 55; si medium sit 100, infimum erit 90, summum 110. Circumstantiae tamen *extraordinariae* ut inexspectatus concursus emptorum in particulari casu e. g. in nundinis efficere possunt, ut pretium summum notabiliter augeatur[1]).

c. Circumstantiae, quae ordinarie in mercium valorem venalem influunt, sunt potissimum abundantia aut penuria mercium, abundantia aut inopia pecuniae, multitudo emptorum et venditorum, modus vendendi aut in parva aut in magna quantitate, expensae, damna, pericula, labores, quae *communiter* occurrunt in conquirendis et conservandis mercibus: eorum enim compensatio iuste exigitur. *Communiter occurrunt:* nam ob singularis alicuius mercatoris expensas vel labores pretium augeri non potest, quia unius expensae et labores non mutant communem aestimationem, quae respicit communiter contingentia.

597. *Principia.* 1. Deficiente pretio legali iustum haberi debet *pretium vulgare:* communis enim aestimatio indicat valorem venalem, quem res in illo loco habet.

Communis aestimatio pretium facit iustum, etsi illa videatur imprudens; hinc apud barbaras gentes aurum vel ebur iuste permutari possunt pro vitro vel pro pannis: commune enim iudicium rebus, quae alibi minimi valoris sunt, apud illas gentes magnum tribuit valorem[2]).

2. Quoniam quodvis pretium vulgare iustum est, merces intra limites pretii vulgaris sine laesione iustitiae vendi emique possunt, pretium autem, quod summum excedit aut infimum non attingit, ordinarie censeri debet iniustum.

a. Qui ergo rem vendidit supra summum, excessum restituere, et qui rem emit infra infimum, defectum supplere tenetur. In foro externo conceditur actio ad rescindendam venditionem tum emptori tum venditori, qui ultra dimidium iusti pretii deceptus est[3]). Ex hoc legis statuto non sequitur emptorem aut venditorem, qui alterum citra dimidium iusti pretii decipit, in foro interno a restitutione excusari.

b. Fieri potest, ut etiam pretium, quod summum non excedat, sit iniustum, ubi nempe venditor fraudibus vel mendaciis emptorem adducit ad maius pretium dandum quam dedisset, si deceptus non fuisset: quivis enim ius habet exigendi, ne fraudibus impediatur, quo-

---

[1]) Cf. *S. Alphonsus* n. 804. *Lehmkuhl* I. n. 1117.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 26 n. 42.

[3]) C. A. § 1060.

minus emat pretio, quod dare voluisset, quodque non est iniustum. Attamen mendacia, quibus mercatores rei pretium exaggerare solent, non censentur verae fraudes[1]).

3. Ex *iusto titulo* licitum est rem vendere supra pretium vulgare summum, vel infra infimum emere.

598. *Eiusmodi titulus habetur: a.* Si venditor ex venditione vel emptor ex emptione *peculiare damnum* patitur.

Si quis in gratiam emptoris statim vendit mercem, quam servasset in aliud tempus, quo maius pretium habitura fuisset, pretium supra summum exigere potest; et si quis in gratiam venditoris nunc emit rem, qua demum indiget, quando minoris pretii erit, pretio infra infimum emere potest.

b. Si venditor erga rem, quam in gratiam alterius vendit, *specialem affectum* habet: venditor enim se privat voluptate, quam res ei praebet; sed haec privatio pretio aestimabilis est, quod ultra pretium vulgare summum exigi potest.

α. Communis sententia cum *s. Thoma*[2]) negat licite maius pretium exigi posse, quia res *emptori peculiarem utilitatem* vel voluptatem affert: venditor enim exigeret pretium pro aliquo, quod suum non est. Sunt tamen inter recentiores *(Gousset, Schwane, Marres, Waffelaert, Génicot),* qui probabilem habent opinionem contrariam. Neque omni prorsus ratione haec sententia caret: qui enim nulla necessitate cogente sciens in maius pretium consentit, excessum iusti valoris donare censetur. Atqui id hodie usus fere communis habet, ut res, quae emptori peculiare commodum affert, carius vendatur. Pretium tamen exorbitans nullatenus exigere licet.

β. Omnes autem affirmant id tunc tantum valere, quando emptor ex re emenda non quaerit nisi commodum vel voluptatem; eum vero iniustitiam committere, qui ideo maius pretium exigit, quia alter hac re indiget: mera enim indigentia et necessitas, quae alium cogit ad rem emendam non est pretio aestimabilis, neque indigens excessum pretii donare censetur.

c. Si venditor *rem ultro vendendam offert,* infra pretium infimum emere licet: etenim valor rei vendendae eo magis decrescit, quo maius est obsequium, quod venditori emptione praestatur: unde adagii instar dicitur: *res ultro oblatae vilescunt.*

---

[1]) *Génicot* I. n. 633.

[2]) Cf. *Summa* II. II. q. 77. a. 1.

d. Si *solutio pretii differtur,* res carius vendi, et si ea *anticipatur,* res vilius emi potest: sicut enim ex anticipata solutione lucrum, ita ex dilata solutione damnum emergit.

Num merces infra pretium vulgare infimum vendere liceat ad emptores alliciendos, si hoc modo alii venditores damnum patiuntur.

a. Haec agendi ratio per se nec iustitiae nec caritati repugnat, sive alii venditores merces eodem vili pretio sibi comparare eodemque eas vendere possunt, sive non possunt, modo fraudes et mendacia excludantur. Non repugnat iustitiae, quia venditores utuntur iure suo; nec caritati: cum enim caritas non obliget cum gravi incommodo, non exigit, ut quis se privet lucro, quo alius patiatur damnum.

b. Si venditores, qui merces suas cum damno aliorum infra pretium infimum vendunt, mendaciis aut fraudibus utuntur, contra iustitiam agunt et aliis venditoribus damnum reparare tenentur, si e. g. merces adulterant aut pondera et mensuras imminuunt. Patet iustitiam in hoc casu non laedi erga emptores, si nimirum eodem gradu pretium minuitur, quo quantitas vel qualitas mercis minuitur, sed eam laedi erga alios venditores, a quibus emptores fraude avertuntur.

599. De pretio conventionali. 1. Pretium *conventionale* dicitur, quod libera venditoris et emptoris conventione determinatur.

2. Pretium mere conventionale illae res habent, quae, utpote extra commune commercium positae, nec pretium legale nec vulgare habent.

3. Harum rerum pretium conventionale iustum est, nisi sit irrationabilis plane magnitudinis.

4. Admodum paucae res habentur, quae pretio mere conventionali emi et vendi possunt:

a. Opera eximiae artis ut picturae a celebri artifice exaratae, vel res valde pretiosae ut gemmae extraordinariae magnitudinis, vel res valde rarae ut manuscripta antiqua.

b. Res viles vel usu iam attritae, ut sunt res, quae a veteramentariis venduntur.

c. Res, quarum communis valor ab utroque contrahente aequaliter ignoratur, de quo tamen dubitant, ita ut uterque emolumento vel damno aequaliter se exponat.

a. Si contrahentes in hoc casu nihilominus de certo pretio conveniunt, sibi invicem excessum vel defectum pretii condonant; quare si emptor postea rem cum maximo lucro vendit, de iure venditori nihil reddere tenetur.

b. Ab hoc casu distinguendus est casus, in quo uterque contrahens in ipsa re errans rem magni valoris exiguo pretio emit. Hinc invalidus est contractus, quo quis vili pretio emit gemmam, quam uterque reputabat vitrum, vel ille, quo quis exiguo pretio emit imaginem pretiosam celeberrimi pictoris, quam uterque contrahens existimabat vulgarem tabellam: habetur enim error substantialis.

Si res pretiosa parvo pretio emitur, de iustitia venditionis ita iudicium ferendum est: res tanti valet, quanti *communiter* aestimatur: Hinc

a. Si verus rei valor ab omnibus in arte peritis cognoscitur, venditio iniusta est, quia res in communi aestimatione maiorem valorem habet. Quodsi verus rei valor sive casu sive propter singularem peritiam solum emptori vel paucis aliis cognitus est, publice autem in communi aestimatione ignoratur, venditio iusta est.

b. Si res in communi aestimatione vilis post venditionem tandem sive ab immediato sive a mediato emptore cognoscitur esse pretiosa, emptio iusta est, proindeque nec primus nec mediatus emptor ad aliquid tenetur, sed rem retinere potest.

c. Si res vendita-empta in se ipsa omnino est incognita, utpote latens in alia re empta — a piscatore emitur piscis, in cuius ventre reperitur res pretiosa; a veteramentario emitur vestis, in qua reperitur insuta res pretiosa — res, quae nullius est, fit primi occupantis, res, quae dominum habet, ipsius est; quodsi dominus ignoratur, res habetur pro derelicta[1]).

§ 4. De venditionibus in specie.

Tres potissimum venditiones in specie considerandae sunt: venditio sub hasta, monopolium et venditio per proxenetas.

600. De venditione sub hasta. *Venditio sub hasta,* auctio, licitatio (Versteigerung) est venditio, qua pluribus

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. 1120. *Ballerini-Palmieri* III. n. 773. *Génicot* I. 635. *Sporer-Bierbaum* II. tract. 6. n. 711 ss.

emptoribus concurrentibus res ita venditur, ut adiudicetur maius pretium offerenti.

a. Venditio sub hasta altera est voluntaria, altera iudiciaria seu coacta, prout sponte fit a rei domino vel a lege imperatur e. g. ad solvendum creditoribus.

b. In venditione sub hasta res vendenda eo magis aestimabilis est, quo plures emptores concurrunt, quia pluribus concurrentibus et offerentibus spes est maius pretium accipiendi.

c. Iustum pretium in venditione sub hasta illud est, quod absque fraude ex ipsa licitatione constituitur, illud nempe, quod ab ultimo licitatore offertur, sive est supra summum sive infra infimum.

d. Aequalitas ad iustitiam contractus requisita in eo est, quod ex utraque parte sit eadem spes lucri et idem periculum damni.

601. *Obligationes venditoris.* *a.* Tenetur rem tradere plus offerenti, etsi pretium infra infimum haeserit: venditio enim sub hasta implicite contractum continet rem ei tradendi, qui plus offert, nisi exsistat consuetudo retrahendi rem, si non offeratur saltem pretium infimum.

a. Non licet fictos licitatores mittere, qui sine animo rem emendi solum rei pretium augere intendunt: licitatores enim ius habent exigendi, ut pretium solum per concursum emptorum, non autem fraudibus augeatur.

Num ipse venditor sive per se sive per alium licitatoribus se aggregare possit, auctores dissentiunt. Si licitatio coacta est, id communitur concedunt, quia venditio non ab ipso, sed ipso invito fit; si voluntaria est, id interdicunt, quia hoc idem esset ac rem retrahere.

c. Non licet res pro venditione expositas et a licitatoribus iam perlustratas postea in deteriores commutare.

602. *Obligationes emptorum.* *a.* Tenentur cavere, ne alios vi vel fraudibus impediant a licitando aut a maiore pretio offerendo. Hac re dupliciter contra iustitiam peccatur, tum adversus eum, qui impeditur a licitando, tum adversus venditorem, qui maiore lucro privatur.

b. Alios rogare possunt atque hortari, ut a licitatione abstineant, quia venditor ius non habet, ut quis ad emendum concurrat. Num iniustum sit cum alio de non licitando convenire, disputant.

S. Alphonsus (n. 808) iniustum esse affirmat, quia venditor ius habet exigendi, ut quivis libere licitationi intervenire possit; *Lehmkuhl* (n. 1120) et *Ballerini* (n. 771) probabiliter negant, quia quorundam conventio abstinendi a licitatione non impedit, quominus alii concurrant; ut autem determinati homines ad licitationem concurrant, venditor exigere nequit. Insuper a licitando non impeditur vi vel fraude, sed medio iusto, pacto scilicet libere inito.

603. De monopolio. *Notiones.* 1. Monopolium est exclusiva potestas certas merces vendendi, quae uni vel paucis tantum competit.

2. Distinguitur *monopolium iuris* seu legale, quod auctoritate publica, et monopolium *facti,* quod absque publica auctoritate facto privatorum exercetur. Hoc monopolium eo potissimum oritur, quod unus vel plures emptores omnes certi generis merces in aliquo loco pretio modico coëmunt easque postea magno pretio vendunt.

Monopolium iuris aut est *publicum* (Staatsmonopol) si ipsa societas civilis ius certas merces vendendi sibi reservat; aut est *privatum,* si homo aut societas particularis exclusivum ius habet certas merces vendendi.

604. *Asserta.* 1. *Monopolium iuris publicum* per se licitum est, etsi propterea certae merces supra pretium summum vendantur, quod alias excluso monopolio haberent. Pertinet enim hoc monopolium ad media, quae auctoritas publica adhibet, ut sibi comparet pecuniam necessariam ad promovendum bonum commune, ac proinde auctum rei pretium rationem tributi indirecti habet.

2. *Monopolium iuris privatum* pariter licitum est: potest enim auctoritas publica ex iusta causa boni communis hominibus aut societatibus particularibus iura et privilegia concedere, qualia concedi solent novae artis inventoribus. Qui hoc monopolio gaudent, contra iustitiam peccant, si res suas nimio pretio vendant; aegre autem statui potest iustum talium rerum pretium, praesertim si sint nova arte confectae. Alii contra iustitiam peccant, si illorum privilegium laedunt, eo quod res similes conficiant et vendant.

3. *Monopolium facti* per se non repugnat *iustitiae,* modo venditores non excedant summum pretium, quod res habuit ante monopolium: nam coëmendo certi generis merces alicuius loci utuntur iure suo easque iusto pretio, ut supponitur, vendunt. Est autem contra *caritatem,* si alii, praesertim pauperes, cum gravi suo incommodo coguntur res necessarias maiore pretio emere[1]).

4. Monopolio facti similis est *conventio* inter omnes certae cuiusdam mercis venditores inita eam *infra determinatum pretium non vendendi* (Ring).

a. Haec conventio exclusa vi vel fraude non adversatur *iustitiae,* si pretium non excedit summum, quod res exclusa conventione haberet: singuli enim mercatores utuntur iure suo non vendendi rem suam nisi summo pretio.

b. Adversatur autem *caritati* emptoribus debitae, si hoc modo summo pretio venduntur res aut omnibus aut multis necessariae, quia cum damno suo pluris emere coguntur res, quas alias viliore pretio accepissent. Idem dici nequit de rebus non necessariis, quia ab emptione harum rerum abstinere possunt[2]).

605. De venditione per proxenetas. *Notiones.* *a. Venditio per proxenetas* ea dicitur, quae ex commissione domini rei vendendae per alios fit.

b. Proxeneta (Mäkler, Sensal) dicitur, qui alterius nomine emit vel vendit.

Sunt proxenetae, qui auctoritate publica ad hoc munus exercendum constituuntur, et sunt proxenetae, qui a solis dominis ad certas res emendas vel vendendas constituuntur ut filiifamilias, qui pro parentibus, famuli, qui pro heris, opifices, qui pro iis emunt, a quibus opus perficiendum susceperunt.

c. Proxenetae natura sua *mandatarii* sunt eorum, quorum nomine vendunt vel emunt; quare mandatarii obligationes proxenetae quoque applicandae sunt.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 789.

[2]) *Génicot* I. 641. Cf. *Lugo* disp. 26. n. 172 ss.

606. *Principia.* 1. Proxeneta, qui rem vendit supra vel emit infra pretium a domino sibi designatum, non potest lucrum sibi retinere, nisi extraordinaria industria illud acquisierit: cum enim non suo sed domini nomine agat, quod negotiando acquirit, non sibi sed domino acquirit.

2. Proxenetae non licet rem determinato pretio vendendam sibi emere et postea eandem rem altiore pretio vendere et excessum sibi retinere: dominus enim hunc agendi modum, utpote sibi perniciosum, exclusisse censetur excepto casu, quo proxeneta adhibita morali diligentia alium emptorem non invenit. Attamen emptionem tunc serio peragere et rei periculum in se suscipere debet.

3. Proxeneta ea retinere potest, quae mercatores in ipsius favorem de iusto pretio remittunt. Attendendum vero, utrum mercatores de pretio remittentes revera ementi an mandanti favere intendant.

Si proxenetae frequenter et pro diversis hominibus emunt ut opifices, potius in gratiam ementis pretii remissio fieri censetur; quodsi proxenetae semper pro eodem emunt ut famuli et filiifamilias, mercatores potius in favorem mandantis de pretio remittere censentur.

Articulus sextus.

De locatione.

607. Notio. *Locatio* est contractus, quo alteri pro certo pretio usus vel ususfructus alicuius rei aut personae opera conceditur.

a. Qui usum aut usumfructum rei praebet dicitur *locator,* qui pretium solvit, *locatarius* vel *conductor;* qui operam suam elocat, famulus, *operarius,* qui pretium solvit, *herus.* Pretium ex pacto debitum *in pecunia* solvendum est; si alia res pro pecunia rependitur, non habetur contractus locationis, sed alius contractus innominatus.

b. Locatio natura sua est contractus *onerosus:* si quis enim alteri gratis alicuius rei usum aut usumfructum concedit, habetur commodatum; et est contractus *consensualis,* qui solo consensu ante rei locatae traditionem quoad essentiam iam perficitur. Quare contractu locationis per mutuum consensum inito nec locatori nec locatario a contractu resilire licet.

c. Obiectum huius contractus duplex esse potest; usus vel usus-fructus rei materialis sive mobilis (equi, ovis) sive immobilis (domus, agri, praedii), aut servitia ab homine praestanda; ideo duplex distinguitur locatio: α. *locatio rerum* et β. *locatio operae;* illa simpliciter locatio (Mietvertrag—Pachtvertrag), haec conductio (Arbeitsvertrag—Lohnvertrag) vocari solet. His addi potest *conductio operis* (Werkvertrag), quia aliquod opus (aedificatio domus) perficiendum suscipitur.

§ 1. *De locatione.*

608. Obligationes. Quia contractus locationis similis est emptioni-venditioni (emitur et venditur ius utendi aliqua re vel percipiendi eius fructus), ea, quae supra de emptione-venditione dicta sunt, locationi quoque applicari debent; in specie vero haec notanda sunt:

1. Locatarius reparare tenetur damna, quae rei locatae accidunt, in his casibus:

a. Si ipse est eorum causa theologice graviter culpabilis;

b. Si ipse expressa conventione *quaevis pericula* rei locatae in se suscepit;

c. Si per iudicis sententiam iuxta leges vigentes ad ea reparanda condemnatus fuerit[1]).

2. Leges positivae statuunt, ut in *locatione agrorum* aliqua pars pretii locationis remittatur, quando ager ob infortunium e. g. ob grandinem magna ex parte fructibus caruit. Quantitas pretii in hoc casu remittendi a iure determinari solet[2]).

Nota. *a.* Cum hodie in plerisque Europae partibus *conductores agrorum* ob tristes agriculturae condiciones in miseram sortem inciderint, locatores moneri debent, ne nimium exigant locationis pretium, ut conductor in ordinariis adiunctis ex fructu laboris sui honeste cum familia sua vivere possit.

b. Attamen normae instar, quam iustitia exigat, haec admitti nequit: locatarium de fructibus agrorum sumere posse, quae ad suam suorumque honestam sustentationem requiruntur, et pretium locationis solvendum non esse nisi de iis, quae supersunt. Pretium enim locationis iusta conventione determinatum solvi debet, etsi propter acci-

[1]) Cf. C. A. § 1096 s.

[2]) C. A. § 1104 ss.

dentale infortunium minores sint fructus agrorum. Neque iniusta dicatur eiusmodi conventio, ut idem pretium solvatur etsi minores creverint fructus, dummodo non exigatur maius pretium, quando fructus crescunt uberiores[1]).

§ 2. De conductione[2]).

609. Notiones. 1. *Conductio* est contractus, quo unus ad certum laborem praestandum, alter vero ad mercedem pro labore solvendam se obligat.

a. Obiectum huius contractus non est id, quod industria seu labore producitur, et pretium, quod valori rei productae respondet, sed est hinc quidem labor seu potius vis operativa (die Arbeitskraft), quam unus locat alteri, ut hic ad determinatum finem ea utatur, inde vero pretium, quod valori laboris respondet.

b. Labor, qui ex una parte obiectum huius contractus constituit, refertur ad operam personalem exhibendam, sive opera exhibenda est servilis sive liberalis, sive fructuosa sive infructuosa; ideo huc spectat conductio famulorum, operariorum, opificum, artificum, medicorum etc. Adiuncta temporum exigunt, ut contractus conductionis *inter heros et operarios* initus hoc loco potissimum consideretur.

c. Conductio differt a *mandato,* quia mandatarius nomine mandantis, famulus autem seu operarius proprio nomine negotium iniunctum peragit.

d. Cum obiectum huius contractus non sint res materiales, sed *actiones humanae,* quae cum persona humana inseparabili nexu cohaerent, conductione tum ex parte operarii tum ex parte heri oriuntur officia et iura, quae absque laesione iustitiae praeteriri nequeunt (n. 304 s).

2. Contractus conductionis non solum honestus et *licitus,* sed quandoque etiam ex lege naturae *necessarius* est.

---

[1]) Cf. *Génicot* I. 644.

[2]) Encyclica Leonis XIII. *Rerum novarum* 15. maii 1891. *De Gryse,* De contractu conductionis (Rollarii Flandrorum. De Meester. 1895). *J. Biederlack,* Die soziale Frage[7] (Innsbruck. Rauch. 1908) S. 142 ff. *A. Lehmkuhl,* Arbeitsvertrag und Strike[4] (Freiburg. Herder. 1904). *A. Vermeersch,* Quaestiones de iustitia[2] (Brugis Beyaert. 1904) q. 10. n. 386—469. *A. Pottier,* De iure et iustitia (Leodii. Ancion. 1900) n. 195 ss. *Fr. Schindler,* Der reine Lohnvertrag (Jahrbuch der Leogesellschaft für das Jahr 1892. Wien 1893). *C. Eberle,* Arbeit und Lohn (Stans 1894). *H. Pesch,* Lohnvertrag und gerechter Lohn (Stimmen aus M. Laach I. 1897) S. 22. *Alb. Weiss,* die Gesetze für Berechnung von Kapitalzins und Arbeitslohn (Freiburg. Herder. 1883).

a. Eius liceitatem socialistae ex duplici capite impugnant, tum quia homini non liceat alienare vires suas, tum quia iustitia exigat, ut operarius pro labore suo non determinatam mercedem, sed lucrum sibi debitum ex fructu laboris accipiat. De priore capite hoc loco, de altero inferius dicitur.

b. Licitus est atque honestus, quia homo in operationes suas plenum dominium habet et proinde de iis ad honestos fines disponere pro lubitu potest. Lege naturae *necessarius* est, quoties labor unicum medium exsistit, quo aliquis se suosque sustentare, vel quo aliquis ad certum finem ex obligatione obtinendum pervenire potest.

3. *Naturalis destinatio laboris* haec est, ut homo medium habeat, quo implere possit officia a natura sibi iniuncta. Horum officiorum primum est officium *conservandi vitam* proindeque comparandi sibi necessariam sustentationem[1]); alterum est officium *alendi familiam* proindeque comparandi suis necessaria vitae[2]): ex lege enim naturae ad virum pertinet quaerere necessaria vitae uxori et liberis, qua in re aliquatenus iuvari debet ab uxore et filiis adolescentibus.

610. De iusta mercede. 1. Distinguitur inter *mercedem individualem,* quae ad unum operarium parcum et bene moratum eo die alendum (ad praebendum victum, vestitum et habitationem) sufficiat, et *mercedem familialem,* quae insuper ad familiam alendam sufficiat.

2. Merces *individualis* alia est *minima,* quae labori *in se* considerato stricte ad aequalitatem respondet; alia est *summa,* quae labori simul *cum adiunctis externis* considerato respondet.

Eiusmodi *adiuncta externa,* quae operae valorem augent, sunt haec: expensae pro acquirenda peritia, scientia, dexteritate, experientia; futurum tempus infirmitatis, senectutis, interruptionis laboris; specialia pericula vitae et sanitatis, quae cum labore coniuncta sunt etc.

3. Merces *familialis* alia est *absoluta,* quae ad sustentandam familiam in ordinariis adiunctis sufficiat et semper eadem manet; alia est *relativa,* quae conveniat numero personarum, quibus constat familia, et ponderi necessitatum, quibus premitur, et proinde varia est.

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 187. a. 3.

[2]) *S. Thomas* II. II. q. 164. a. 2.

a. Qui iustam operae mercedem dicunt familialem, non intendunt relativam sed *absolutam*. Haec autem *merces familialis* non ita est intelligenda, ut ea sola ad integram familiam alendam sufficere debeat, sed ita, ut operarius per eam alendae familiae par sit, si accedat hinc quidem id, quod uxor et liberi honeste sibi comparare possunt, inde vero prudentia in bonis expendendis. Haec *prudentia* in eo potissimum consistit, quod operarius, qui matrimonio nondum iunctus est, seponat, quae sustentationi non sunt necessaria, qui vero matrimonio iunctus est, eo tempore parcius vivat, quo membra familiae laboribus adhuc impares sunt.

b. Merces familialis solvitur, si operarius frugi atque honestus una cum consueto subsidio familiae ope accepto possit: α. providere sibi et suis mediocrem pro condicione cibum, vestitum, tectum; β. observare festos dies et alicui recreationi indulgere; γ. consulere congruae liberorum institutioni; δ. occurrere consuetis morborum et periculorum casibus; ε. parare sibi non inopem senectutem[1]).

611. Asserta. 1. Iustitia commutativa imprimis exigit, ut operario *merces individualis*, eaque saltem minima pro opera solvatur.

a. Non servatur aequalitas inter datum et acceptum, quam iustitia commutativa exigit, nisi solvatur saltem merces individualis minima: operarius enim in utilitatem heri vires suas impendit; ergo herus operario retribuere debet saltem mercedem, quae sufficiat ad vires in gratiam heri detritas per victum, vestitum et habitationem restaurandas.

b. Iustitia commutativa exigit, ut merces aequivaleat valori, qui operae natura sua convenit; atqui valor, qui operae natura sua convenit, is est, ut operarius per eam acquirat necessaria vitae: *Dignus est operarius cibo suo*[2]) (n. 609, 3).

α. Cum operarius ius habeat ex labore percipiendi necessaria vitae, per se non possunt evenire adiuncta, in quibus valor laboris et salarium labori integro aequivalens ita decrescat, ut sustentationi operarii non sufficiat, dummodo validus et bene moratus sit. Operarius infirmus, cuius labor valorem sustentationi aequivalentem non habet, ex ordinatione naturae aliorum eleemosynis sustentari debet.

β. Quamvis ergo propter obiectivam inaequalitatem inter laborem et mercedem per se laedatur iustitia, si merces ad acquirendam sustentationem impar sit, possunt tamen evenire casus, in quibus *per accidens* merces iusta minor sit, quam personalis minima.

---

[1]) *Vermeersch* l. c. n. 444.

[2]) Matth. 10, 10.

γ. Absque laesione iustitiae operarius *mercedem individualem summam* a hero exigere potest: cum enim in compensationem laboris non plus exigatur, quam in utilitatem heri impenditur, non laeditur aequalitas rei ad rem, quae iustitiae commutativae propria est.

2. Iustitia commutativa exigit, ut pro labore operarii validi atque adulti *merces familialis* solvatur.

a. Iusta operarum merces ea est, qua compensatur valor, qui labori humano per se et in se convenit; atqui valor laboris aequivalet salario, quod per se ad alendam familiam sufficiat. Tantus enim debet esse valor laboris, ut operarius labore suo par sit implendis officiis suis; atqui officium operarii validi atque adulti est, ut se suosque sustentet. Cum enim a natura ius habeat ineundi matrimonium et generandi prolem, a natura etiam officium ei incumbit alendi familiam; ergo labor, qui per se est unicum naturale medium, quo aptus constituatur ad implenda officia sua, aequivalere debet salario ad alendam familiam congruo.

Neque dicatur, laborem esse actionem personalem operarii ideoque iustitiam exigere non posse, ut retributio pro praestatione personali aliis insuper personis obveniat, quae nihil praestarunt. Etenim labor est quidem actio personalis, quatenus a solo operario exercetur, nihilominus natura sua valorem socialem habet, quatenus non ad solum operarium, sed etiam ad eius familiam alendam sufficere debet.

b. Operarius, qui praeter vires suas physicas alia bona fortunae non habet — cuiusmodi est maxima operariorum pars — necessitate compulsus caelebs manere debet, nisi mercedem familialem accipiat: matrimonium enim inire nequit, nisi familiam alere possit; familiam alere non potest, si solum mercedem personalem accipiat; atqui talis rerum status ordini naturae repugnat, quae per se unicuique destinationem et ius contulit ad statum matrimonialem: *crescite et multiplicamini et replete terram*[1]).

α. Si merces ex contractu soluta non sufficiat ad alendam ordinariam familiam, contractus conductionis per se iniustus ideoque irritus est; nonnulli tamen exsistunt casus, in quibus citra iniustitiam de salario minore pacisci licet: α. si operarius ob senium vel infirmitatem vel defectum aptitudinis integrum laborem exhibere nequit: herum enim exhibitum laborem ultra valorem compensare non tenetur; β. si condiciones negotii in aliqua regione eae sint, ut hoc non producat tantam fructuum copiam, quae ad congruam mercedem sufficiat; γ. si herus solum ex misericordia operarium, quo non indiget, conducat.

β. Non licet hero citra iniustitiam mercedem laboris infra familialem deprimere propter abundantiam operariorum: sive enim pauci

[1]) Gen. 1, 28.

sive multi offerant operas suas, operarius validus et utilis ius habet in mercedem, quae par sit alendae familiae.

γ. Officium curandi, ut operarii mercedem familialem accipiant, praeprimis incumbit heris, qui operarios conducunt: ipsi enim curare debent, tum ut merces tali pretio vendant, quo operariis solvere possint congruum salarium, tum ut negotia sub iis condicionibus committant, ut susceptores operum non cogantur operariorum mercedem infra iustam minuere.

3. Iustitia nullatenus exigit, ut operarius tamquam mercedem laboris *partem lucri* ex negotio percepti accipiat.

a. Socialistae operario ius tribuunt inalienabile exigendi partem lucri ex negotio percepti: contendunt enim, quoties herus cum operario in aliquo negotio concurrat ad fructum seu lucrum percipiendum, eum contractum societatis inire debere, vi cuius lucrum pro ratione contributionis inter ipsos dividendum sit. Verum nulla apparet ratio stricti iuris, ob quam herus operarium tamquam socium operis vel commercii assumere et inito contractu societatis etiam lucri participem facere debeat: hoc namque a libera heri electione dependet. Potest ergo operarius cum hero contractum locationis operae inire, quo inito aliud stricto iure exigere nequit, nisi ut pro opera praestita congruum salarium sibi rependatur.

b. Socialistae et qui cum ipsis exigunt, ut operarius partem lucri percipiat ex opere, ad quod perficiendum labore suo concurrit, contractum societatis cum contractu locationis confundunt: contractus enim, quo operarius laborem suum alteri ad tempus tradit, ut hic ad certum finem eo utatur, natura sua contractus locationis est; atqui pro labore alteri elocato aliud iuste exigere non potest, nisi mercedem, quae naturali laboris valori aequivaleat.

Duo tamen de hac re moneri debent: *a.* Rerum naturae et hominis dignitati plane consentaneum est, ut inter herum et operarium contractus societatis fiat et operarius partem lucri labore suo parti accipiat. *b.* Aequitas postulat, ut operario, qui pacta mercede ad perficiendum opus collaboravit, modica saltem lucri pars tamquam praemium obveniat, praesertim si magnum ex negotio lucrum percipiatur.

612. De mercede feminis debita. Mota est quaestio, utrum feminae pro labore a se praestito eandem mercedem exigere possint ac viri, an minore contentae esse debeant, prout reipsa feminis minor merces passim rependitur. Principia hac de re tenenda haec sunt.

1. Pro eodem i. e. eiusdem qualitatis labore feminis eadem merces debetur ac viris.

a. Merces respondere debet valori laboris; sed valor laboris ex hypothesi idem est sive a viro sive a femina exhibetur: subiective labor humanus, obiective res producta eiusdem qualitatis.

b. Ergo iniustitia committitur, si labor feminarum ideo solum, quia femineus est, minoris pretii aestimatur et feminis, quae e. g. in eadem fabrica et sub iisdem condicionibus ac viri laborant vel in eodem officio cum viris occupantur, pro eodem labore minus pretium solvitur.

c. Ex hoc agendi modo magnum sociale malum sequitur: feminis enim concurrentibus cum viris ad eundem laborem, viris subtrahitur occasio laboris et ideo occasio necessariam sustentationem sibi comparandi.

2. Quia tamen feminae extra parietes domesticos laborantes ob ingenitas naturae femineae condiciones, omnibus consideratis, eundem laborem ac viri plerumque praestare nequeunt, iusta merces laboris feminei ordinarie minor erit.

Experientia constat, feminas in omnibus illis negotiis, quae magnas vires corporeas et diuturnam in labore perseverantiam exigunt (agricultura, opificia, mercatura etc.), ob ingenitam debilitatem et defectibilitatem viros assequi non posse. Inde ipsa natura duce factum est, ut inter labores viriles et femineos distingueretur et labores feminei minoris pretii aestimarentur. Quod si nunc temporis feminae lobores suscipiunt, qui viriles vocantur, ordinarie minoris valoris sunt et proinde etiam iusta merces eorum minor est[1]).

§ 3. De conductione operis.

613. Notiones et principia. *a. Opus* hic dicitur, quidquid aliquis perficiendum suscipit ut domum aedificare, viam construere, vestem conficere. Operis pro determinato pretio effectio est *obiectum* huius contractus.

b. Is, qui determinatum opus certo pretio perficiendum sive privata conventione sive publico concursu suscipit, redemptor seu *susceptor operis* (Unternehmer) dicitur.

---

[1]) Cf. *Rösler*, Die Frauenfrage[2] (Freiburg, Herder. 1907) S. 113 f. *Idem:* Die Übung der Charitas (Freiburg, Herder. 1903 S. 59). *Nawiasky*, Die Frauen im österreichischen Staatsdienst (Wien-Leipzig, Deuticke 1902).

Principia. 1. Susceptor contra iustitiam agit, si operariis conductis iustam mercedem non solvit, ut ipse ex opere perficiendo maius lucrum percipiat.

2. Contra iustitiam agit, si condiciones contractus non servat, et ideo locator damnum patiatur, eo quod viliorem materiam adhibeat aut minore diligentia laboret.

Operariorum mercedem infra familialem deprimere ne tum quidem licet, cum susceptor operis advertit se pacto pretio sine proprio damno opus perficere non posse.

3. Integrum opus conficere debet intra constitutum tempus pretio determinato, neque pretium augere potest, licet postea rerum vel operarum pretia creverint, neque e converso conductor pretium minuere potest, si ista decreverint.

4. In hoc tamen casu pactâ summâ maiorem exigere potest, si damnum patitur ex causa plane improvisa, quia eiusmodi contractus ita iniri solent, ut susceptor pericula ordinaria (cuiusmodi sunt auctum pretium rerum vel operarum), non autem extraordinaria in se suscipiat[1]); item si in computandis expensis manifestum errorem commisit[2]).

Articulus septimus.

De contractu societatis.

614. Notiones. 1. *Societas* est contractus, quo duo vel plures se obligant ad rem aliquam in commune conferendam, ut lucrum inde perceptum inter se dividant.

a. Lucrum ex bonis in commune collatis perceptum immediate ad societatem, si ipsa est persona iuridica, pertinet, singuli autem socii ius habent ad partem lucri communis, quae respondet bono ab eis in commune collato; sed simul etiam partem damni communis ferre debent.

b. Contractus societatis est contractus *consensualis,* qui sola conventione ante traditionem boni in commune conferendi perficitur. Con-

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1127. *Génicot* I. n. 650.

[2]) Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 903.

ventio tamen ex lege positiva ordinarie scripto firmata esse debet, ut valorem accipiat.

c. Res in commune conferenda vel est pecunia vel aliud bonum vel propria opera. Societates autem ita iniri possunt, ut singuli socii vel omnia bona sua vel partem tantum bonorum suorum, aut ita, ut alii pecuniam, alii vero solum operam suam in commune conferant.

2. Societates *dividuntur:* Ratione finis in *civiles* (Erwerbsgesellschaften), quae ineuntur ad lucrum non negotiatione, sed alio quocunque modo percipiendum, ut si duo inter se conveniunt de praedio ex pecunia in commune collata emendo et administrando et de lucro inde percepto dividendo, et in *commerciales* (Handelsgesellschaften), quae ineuntur ad lucrum ex negotiatione percipiendum[1]).

Nota. Societates reguntur aut peculiaribus conferentium conventionibus, aut his deficientibus legibus codicis civilis vel commercialis et receptis consuetudinibus. Qui enim contractum onerosum ineunt, hunc secundum leges civiles et receptas consuetudines inire censentur, nisi contrarium expresse declaraverint.

615. Principia. Inter diversas societates industriales et commerciales peculiarem attentionem merentur *societates actionariae* (Aktiengesellschaften), et societates *commandatariae* (Kommanditgesellschaften), quarum constitutionem oeconomia socialis exponit. Haec *duo principia* notasse sufficiat.

1. Finis societatis licitus esse debet. Si finis *illicitus* est e. g. pravas ephemerides edere, membra societatis vi contractus non tenentur ullam in futuro actionem ponere, quia ad illicitum non est obligatio, tenentur autem solvere iis, qui ex impleto contractu aliquod ius acquisierunt, ut patet ex supra dictis de contractu turpi. Si finis societatis iniustus est e. g. merces adulteratas vendere, socii etiam damnum illatum reparare tenentur et plerumque quidem in solidum[2]).

---

[1]) De societatibus *civilibus* C. A. agit in codice civili § 1175 ss. et de societatibus *commercialibus* in codice commerciali n. 85 s.

[2]) *Génicot* I. n. 652.

2. Servanda est aequalitas inter membra societatis tum quoad lucra tum quoad damna. Ideo lucrum ex societate ortum inter socios pro rata partis, quam in commune contulerunt, dividendum est, et pariter debita a societate contracta singuli pro quantitate suae partis solvere debent, nisi ob peculiaria adiuncta nonnulli socii maiorem lucri partem accipiant vel minorem damni partem ferre debeant.

Articulus octavus.

De cambio.

616. Notio et divisio. *Cambium* est contractus, quo pecunia permutatur pro pecunia.

a. Ille, qui pecuniam permutat, *campsor*, ille vero, qui petit, ut in sui gratiam permutetur, *campsarius* nominatur. Campsor, qui cambiendo pecunias negotiationem exercet, dicitur argentarius, nummularius, mensularius, trapezita.

b. Dominium pecuniae traditae in campsarium iure communi iam pecuniae traditione transfertur, antequam hic pecuniam reddiderit.

c. Differt *a mutuo,* tum quia mutuum non solum in pecunia, sed etiam in aliis rebus fieri potest, tum praesertim quia de ratione mutui est, ut *mora temporis* intercedat inter rei traditionem eiusque redditionem, cambium autem per se exigit, ut pro pecunia tradita *statim* alia reddatur et solum per accidens inter traditionem et redditionem eius tempus intercedit.

Divisio. Cambium diversimode *dividitur: a.* In cambium *manuale* seu *minutum,* si pecunia praesens cum alia praesenti permutatur in eodem loco eodemque tempore e. g. aurea pro argentea, minor pro maiore, charta pro moneta, et *traiectitium,* si permutatur pecunia praesens cum absenti scilicet in alio loco vel alio tempore recipienda.

b. Cambium traiectitium est *locale,* quando pecunia praesens datur pro pecunia in alio loco recipienda, quod fieri solet per *literas cambiales,* ut si Titius campsori hic det pecuniam, campsor vero det literas, ut Titius vel alius eius nomine intra brevissimum tempus alibi recipiat pecuniam:

et est *temporale,* quando datur praesens pecunia pro pecunia post notabile tempus eodem in loco recipienda.

Patet cambium posse esse *mixtum* i. e. locale et simul temporale, ut si quis praesentem pecuniam dat in hoc loco, ut post aliquod tempus aliam eiusdem valoris in alia loco recipiat.

617. Ut iustum sit cambium, requiritur:

a. Ut pecunia eiusdem valoris tradatur.

Variae tamen causae exsistunt, ob quas pecunia futura non tanti valeat, quam pecunia praesens; ideo iuste campsor plus exigit, quam ipse campsario tradit, praesertim ubi agitur de cambio temporali.

b. Ut merces, quae exigitur, servitio permutatione praestito aequivaleat.

Communis aestimatio huius servitii iustam mercedem determinat, quae eo maior esse potest, quo maiores requiruntur expensae, ut campsor habitualiter campsariis satisfacere possit.

Nota. Ceterum ad vitandam in cambiis et literis cambialibus iniustitiam vix aliud requiritur, nisi ut serventur statuta legis et proborum campsorum usus.

Quaestio quarta.

De contractibus aleatoriis.

618. Notiones. 1. *Contractus aleatorii* dicuntur illi, quorum obiectum (id, quod ab uno vel ab utroque contrahente praestandum est) ab incerto eventu (ab alea) dependet; quare hi contractus non absolutum ius in obiectum contractus, sed solum spem illud percipiendi contrahentibus conferunt.

Sunt contractus aleatorii, in quibus solum id, quod ab uno praestandum est, ab alea dependet seu incertum est ut in assecuratione, in qua unus rem certam solvere, alter vero damnum incertum reparare debet; sunt alii, in quibus id, quod ab utroque praestandum est, ab alea dependet seu incertum est ut in sponsione.

2. Contractus aleatorius eo *differt a condicionato,* quod in hoc consensus seu ipse contractus, in illo vero obiectum contractus ab incerto eventu dependet; ipse contractus perfectus atque absolutus est.

3. Contractus aleatorii sunt *unilaterales* aut *bilaterales,* prout unus tantum aut uterque contrahens in certo eventu ad aliquid praestandum se obligat.

Contractus aleatorii hic exponendi sunt: *a.* sponsio; *b.* ludus; *c.* loteria; *d.* assecuratio; *e.* speculationes bursae.

Articulus primus.

De sponsione.

619. Natura. *Sponsio* est contractus, quo duo vel plures de veritate rei vel de aliquo eventu disputantes inter se conveniunt, ut aliquod bonum eius sit, qui vicerit.

a. Sponsio ergo natura sua supponit dissensum inter contrahentes de aliqua veritate, et pretium constituitur pro eo, qui veritatem assecuturus est.

b. Sponsio potest esse contractus unilateralis vel bilateralis; si primum, aut ex fidelitate aut ex iustitia obligat, prout spondens se obligare intenderit; si alterum, ex iustitia obligat, modo serio initus fuerit. Spondentes in hoc ultimo casu mutuo sibi tradunt ius ad praemium fundatum in spe lucrandi.

c. Ex natura contractus sequitur eum, qui spondet (vel ludit) sine animo se obligandi ad solvendum, invalide contrahere et proinde ad solvendum non teneri sed neque lucrum accipere et retinere posse; eum vero, qui spondet (vel ludit) sine animo solvendi, valide contrahere et proinde ad solvendum obligari et lucrum retinere posse.

620. Sponsio est contractus iustus: *a.* Si utrimque aequale est praemium, quod spondetur, nisi alter inaequale bonum maioris valoris ultro spondeat;

b. Si res utrique parti est incerta, etsi obiective in se sit certissima.

Disputant auctores, num iustam sponsionem inire possit, qui de futuro eventu certus est. Ita distinguendum videtur: α. Si quis manifestet se rem certo scire, et alter nihilominus spondere velit, iusta est sponsio. In hoc tamen casu non fit sponsio onerosa sed gratuita

qua alter promittit se aliquid daturum esse, si certus eventus secutus fuerit. β. Si vero rem certo cognoscens simulat se de ea saltem aliquatenus dubitare, sponsio est iniusta: deest enim debita inter contrahentes aequalitas, cum ille, qui rem certo cognoscit, alteri tradat spem lucri, quae nullius sit valoris, cum certo sciat se fore victorem[1]).

621. Sponsio est contractus licitus: *a.* Si fit de re honesta aut saltem indifferenti; ideo illicita est sponsio e. g. de eo facta, quod alteri desit animus committendi duellum: continet enim incitamentum ad duellandum. Cum tamen sponsio sit iusta, commisso duello res sponsione promissa, ut in contractu de re turpi, retineri potest, sed praestari non debet (n. 527).

b. Si adest motivum sponsionem cohonestans. Eiusmodi finis est honesta recreatio, stimulus aliquid perficiendi vel indagandi veritatem. Cum tamen sponsiones (idem valet de ludis) saepe careant fine honesto, immo potius fiant ex vanitate vel prodigalitate vel cupiditate ditescendi et innumeris abusibus et fraudibus ansam praebeant, plerumque in praxi illicitae sunt.

c. Si bonum sponsione promissum non est nimium: in hoc enim casu ex una parte committitur peccatum prodigalitatis, quocum alia peccata plerumque coniunguntur sive contra caritatem sive contra pietatem, ex altera vero parte peccatum inductionis vel saltem cooperationis ad malum[2]).

Articulus secundus.

De ludo.

622. Notiones. 1. *Ludus* sensu iuridico est contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori in praemium tradendo.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 31. n. 78.

[2]) Ex C. A. § 1277 sponsiones civilem obligationem non pariunt; ideo victor bonum ex sponsione sibi debitum actione civili exigere non potest.

a. Ludus *sensu morali* significat operationem quandam artificialem ad animi relaxationem vel corporis exercitationem ordinatam, quam moderatur virtus eutrapeliae. Frequenter iste ludus cum ludo priore sensu accepto coniungitur[1]).

b. Ludus *a sponsione* fere solum in causa *differt,* propter quam victor acquirit praemium: in sponsione enim praemium constituitur ei, qui veritatem assecutus fuerit, in ludo autem pretium constituitur pro ludi felici successu.

c. Obiectum huius contractus est ius ludendi et spes lucrandi, quam ludentes mutuo sibi tradunt.

2. Ludus *dividuntur: a.* in *aleatorium,* in quo eventus praecipue a casu dependet ut in ludo alearum; *b.* in *industrialem,* in quo eventus potissimum ab aptitudine ludentis dependet ut in ludo discorum, latrunculorum; *c.* in *mixtum,* in quo eventus tum a casu tum a ludentis aptitudine dependet ut plerumque in ludo chartarum.

623. Ut ludus contractus iustus sit, requiritur: *a.* Ne adhibeantur fraudes et artes illicitae. Qui per fraudes lucratur, non solum lucrum restituere, sed etiam spem victoriae compensare tenetur, quam colludens habuisset, si nullae fraudes accidissent.

Illicitae sunt illae artes, quae adversantur regulis lusus, quas aut recepta consuetudo aut communis ludentium consensus determinavit. Huiusmodi sunt: de industria ita se collocare, ut alterius chartae possint cognosci, chartas signis notare etc. Illicitum vero non est uti illis industriis, quae regulis lusus aut receptae consuetudini non adversantur, ut inspicere chartas alterius ex sola huius negligentia, simulare metum, ut alter audacior fiat etc.

b. Ut inter ludentes sit moralis aequalitas quoad spem lucrandi et periculum perdendi: si enim ex una parte habetur certitudo lucrandi et ex altera aeque certitudo perdendi, nullum est obiectum contractus, quod est spes lucri cum periculo damni. Hinc si quis ludi peritissimus ludit cum altero ludi imperito, hic praemium per se solvere non tenetur, nec alter illud recipere et retinere potest.

Qui alterius ludentis maiorem peritiam *ignorat,* non tenetur ludi pretium solvere, si dolo ab altero ad ludendum inductus fuit; illud

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* III. n. 904.

autem solvere tenetur, si absque dolo solum ex errore, etsi antecedente, ad ludendum se determinavit. Qui alterius maiorem peritiam *certo cognoscit* et nihilominus cum eo ludit, praemium solvere debet, quia censetur cedere iure suo.

c. Ut contractus sit *libere initus;* ideo integrum lucrum restituere debet, qui ludit cum semiebrio, quia hic contractum validum inire nequit.

Qui alium *metu incusso ad ludendum pertraxit,* lucrum restituere debet. Etsi auctores in hac affirmatione fere consentiant, non tamen omnes eandem affirmationis rationem assignant. Alii enim ad restitutionem eum obligant, quia contractus ex metu initus validus quidem est, sed rescindibilis ex parte eius, qui metum passus est. Alii eum obligant, quia metum incutiens alteri iniuriam irrogavit et proinde totum damnum reparare debet, quod ex iniuria ortum est[1]).

d. Ut ludens *iuste possit alienare rem,* quam in ludo exponit; quare iniustitiam committit, qui rem alienam exponit, vel rem suam quidem, cuius tamen vel administrationem non habet, ut accidere potest filiisfamilias, vel quam sine iniustitia amittere non potest, ut accidit iis, qui debita solvere nequeunt.

α. Qui in ludo exponit rem alienam, lucrum exigere et retinere potest, si ipse vincit. Victor, qui rem alienam lucratus est, eam domino reddere debet; victus autem victorem indemnem servare vel, si victor rem domino non restituit, huic damnum reparare debet.

β. Ludens, qui non habet, unde solvat, si ipse vinceretur, praemium exigere nequit, quia contractus invalidus est: deest enim aequalitas inter ludentes, cum is, qui solvere nequit, alteri tradiderit spem lucrandi, quae nullius valoris est.

624. Ut ludus contractus licitus sit, requiritur:

a. Ut ludus ipse sit honestus tum in se tum in circumstantiis suis i. e. ratione temporis, loci, personarum, modi etc. Si ludus est inhonestus, victor tamen praemium exigere et retinere potest, modo ludus fuerit iustus.

Ut licitus sit ludus, necesse non est, ut *propter finem positive honestum* suscipiatur; quare non peccat, ne venialiter quidem, qui aut unice aut principaliter ludit ad lucrum percipiendum: potest enim

[1]) Cf. *Lugo* disp. 31. n. 28; *Lessius* l. 2. c. 26. n. 9; *s. Alphonsus* n. 880.

quaevis actio indifferens, etiam praetermissis aliis finibus, citra peccatum ordinari ad eum finem, ad quem utilis est.[1])

b. Ut praemium expositum non sit nimium: si enim magna pecuniae summa exponitur, per se committitur peccatum prodigalitatis, quocum per accidens alia peccata solent esse coniuncta, ut si ludens se facit imparem solvendis debitis vel sustentandae familiae.

α. Sunt, qui dicant iniustum esse ludum, in quo magna pecuniae summa una vice exponitur[2]); verum cum haec sententia probabilitatem non excedat, victor obligari nequit ad lucrum reddendum, sed neque victus obligari potest ad illud solvendum.

β. Si ludus aliquis lege positiva prohibetur, distinguendum est: si lex ludum prohibet et irritat, pretium neque exigi nec retineri potest; quodsi lex ludum mere prohibet, pretium exigi et retineri potest[3]).

Articulus tertius.

De loteria.

625. Natura. *Loteria* est contractus, quo soluto certo pretio acquiritur ius obtinendi rem expositam, si sortitio faverit.

a. Loteria *contractus aleatorius* est, quia una pars contrahentium non acquirit nisi spem obtinendi per sortem rem expositam. Loteria *a sponsione* eo differt, quod haec supponit dissensum opinionum inter contrahentes; a ludo autem eo differt, quod ludus exigit occupationem, cuius eventus est incertus, econtra loteria exigit sortitionem incerti eventus.

b. Vi contractus *immediate acquiritur* spes per sortem obtinendi rem expositam. Haec spes crescit vel decrescit pro minore vel maiore

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 31. n. 4. *Ballerini-Palmieri* III. n. 906.

[2]) Auctoribus, qui hunc ludum iniustum dicunt, accedit etiam *s. Franciscus Salesius* (Philoth. pr. 3. n. 29). Cf. *Gury* I. n. 949. *Ballerini-Palmieri* III. l. c.

[3]) C. A. § 1271 ss. declarat ludum prohibitum nullam obligationem parere, quod intelligendum esse videtur de obligatione civili: sicut enim victori in eiusmodi ludo actionem negat ad exigendum praemium, pari modo victo actionem negat ad repetendum pretium iam solutum; item C. G. § 762.

numero sortientium. Eadem spes involvit ius condicionatum ad rem expositam, quod facta fausta sortitione transit in absolutum.

c. Loteria, cum multis abusibus ansam praebeat, in plerisque regnis lege civili prohibetur, nisi ab auctoritate competente obtenta fuerit licentia loteriam instituendi.

626. Ad iustitiam loteriae requiritur: *a. Aequalitas inter datum et acceptum,* quae aequalitas tum adest, quando pretium sortis tanti valet, quanti valet spes per sortem acquirendi rem expositam. Ad taxandum valorem huius spei notandum est eum esse tanto maiorem, quanto maior est res exposita et quanto maior est numerus sortientium.

Si accidat, ut in loteria pretium sortis maius sit quam spes acquirendi rem expositam, et sortituri, qui id sciunt, nihilominus libere sortes sibi emant, ementes excessum donare censentur; id praesertim tum locum habet, cum in utilitatem causae piae loteria instituitur.

b. Sunt, qui ad iustitiam loteriae hanc quoque condicionem exigant, ut lucrum ex loteria perceptum moraliter aequale sit lucro ope eiusdem pecuniae ex negotiatione percepto[1]). Alii autem recte docent ad iustitiam huius contractus sufficere aequalitatem inter spem lucri et pretium solutum, et aequalitatem periculi inter participantes[2]).

Articulus quartus.

De assecuratione.

627. Natura. *Assecuratio* est contractus, quo unus pro certo pretio se obligat ad compensanda damna, quae alter ex casu fortuito passus est.

a. Qui obligationem compensationis in se suscipit, *assecurans* vel assecurator, qui vero compensationem exigere potest, *assecuratus* vocatur.

b. Assecuratio est *contractus aleatorius,* quia eius obligatio pro assecurante ab incerto eventu dependet; ab aliis autem contractibus aleatoriis eo differt, quod eius obiectum consistit in incerto periculo.

---

[1]) *Gury* I. n. 943. *Lehmkuhl* I. n. 1137.

[2]) *Ballerini-Palmieri* III. n. 926. *Génicot,* I. n. 663.

c. Assecurationis contractus *oretenus* valide iniri potest; scriptura seu instrumentum assecurationis non ad perficiendum contractum, sed solum ad eius exsistentiam probandam requiritur. Ideo mutuae contrahentium obligationes iam exsistunt, antequam instrumentum signatum fuerit, nisi contrahentes aliter convenerint.

d. De Lugo contractum assecurationis *ad venditionem* reducit, quia pro pretio venditur *susceptio periculi*, quod rei alienae imminet. Susceptio periculi eo maioris valoris est, quo maior est valor rei assecuratae et quo maior est probabilitas detrimenti vel interitus eiusdem rei assecuratae.

e. Quia periculum cuiuslibet rei, modo pretio aestimabile sit, *materia* assecurationis esse potest, ideo pro diversitate rei assecuratae diversi sunt contractus assecurationis. Vulgo assecurari solent aedificia contra periculum incendii, segetes contra periculum grandinis vel inundationis, merces contra periculum naufragii aut vecturae, vita contra periculum mortis (Lebensversicherung).

628. Iustitia contractus. Ut contractus assecurationis *iustus* sit, hae potissimum condiciones requiruntur:

1. Ut pretium assecurationis quantitati periculi, quod suscipitur, sit proportionatum.

Quantitas periculi determinanda non est ex eventu, sed ex probabilitate detrimenti, quod iudicio prudentum eo tempore habetur, quo fit contractus.

2. Ut periculum rei assecuratae integre declaretur neque post assecurationem augeatur.

a. Ex iis, quae de venditione statuta sunt, sequitur contractum assecurationis irritum esse, si in declarando periculo rei assecuratae *notabilis circumstantia reticetur*, adeo ut assecurans contractum non fecisset, si circumstantiam cognovisset: occurrit enim error substantialis circa materiam contractus. Quodsi circumstantia reticita notabilis non est, ut assecurans contractum nihilominus fecisset, sed maius pretium postulasset, contractus validus est, nisi per sententiam iudicis irritetur, pretium autem pro ratione periculi augendum est.

b. Idem dicendum est, si post initum contractum *periculum rei augetur;* si nempe notabiliter augetur, contractus fit irritus; si leviter tantum augetur, pro quantitate periculi augendum est pretium[1]).

3. Ut assecurans habeat, unde compensare possit damna, quae se compensaturum promisit: nam ius ad

---

[1]) *Génicot* I. n. 657.

pretium eatenus tantum acquirit, quatenus securitatem promissam reipsa praebere possit.

a. Tot ergo obligationes suscipere potest, quot secundum probabilem praevisionem implere potest; quodsi plures suscepit, quam ipse implere potest, pretium assecurationis quoad eas, quae vires suas superant, retinere non potest, etsi assecurati nullum damnum passi sint.

b. Si assecurans non toti damno sed solum parti eius compensandae par sit, alii censent contractum invalidum et pretium acceptum totum restituendum esse, quia assecuratus in partialem securitatem non consentit; alii econtra putant eum retinere posse partem pretii, quae respondet quantitati securitatis, quam reipsa praestitit, quia assecuratus eum obligare intendit ad praestandam securitatem, quam praestare potest. Omnes autem conveniunt in obligando assecurante ad integrum damnum compensandum, si res assecurata perierit, quia iniusta fraude assecuratum impedivit, quominus alibi veram et plenam securitatem quaereret.

629. Obligationes contrahentium. Tenentur servare *condiciones contractus,* quae vel privata conventione vel lege publica statutae sunt, modo sint iustae. De condicionibus, quae huic contractui apponi solent, haec notanda sunt.

1. Assecurans non tenetur compensare damna, quae ex gravi culpa assecurati vel cognatorum eius (qui in documento assecurationis nominantur) orta sunt.

a. Si damnum causatum est ex culpa theologica levi vel ex culpa mere iuridica assecurati aut cognatorum eius, hic compensationem exigere et accipere potest, nisi per sententiam iudicis hoc iure privetur.

b. Si damnum ex aliorum hominum malitia accidit, assecurans damnum compensare tenetur, nisi aliter statutum fuerit: damnificator autem erga assecurantem ad restitutionem tenetur. Damni, quod assecurans patitur, ille non est quidem causa efficax, sed solum causa occasionalis; attamen ex statuto assecurationis assecurans succedit in omnia iura assecurati relate ad damnificatorem.

2. Assecurans solum damnum compensare tenetur, quod assecuratus reipsa passus est, quod quidem damnum determinatur secundum valorem, quem res consumpta eo tempore habuit, quo periit.

Si arbitri maiorem compensationem statuant, quam rei consumptae valor exigat, assecuratus illam accipere potest, at maiorem ipse exigere absque iniustitia nequit.

De assecuratione vitae[1]).

630. Notiones. Inter diversos contractus assecurationis *assecuratio vitae* tum propter magnam ipsius frequentiam tum propter morales difficultates, quas continet, specialem considerationem meretur.

a. Duplex diversus modus potissimum distinguitur, secundum quem iste contractus iniri solet: α. Assecurandus societati assecurationis quotannis certam pecuniae summam solvit ea condicione, ut statim post mortem suam heredibus vel tertiae personae determinata pecuniae summa rependatur. β. Assecurandus societati quotannis pecuniae summam solvit ea condicione, ut sibi vel tertiae personae determinata summa rependatur, si ad certum aetatis annum e. g. ad annum 65. pervenerit. Quodsi ante annum in conventione determinatum decesserit, obligatio societatis exstinguitur[2]).

b. Ad aequalitatem inter societatem assecurationis et assecuratum, a qua *iustitia* contractus dependet, requiritur, ut periculum, quod societas assumit, aequetur praemio, quod solvit assecuratus. In priore modo periculum in eo est, quod assecuratus moriatur, antequam praemia, quae societas accipit, aequivaleant summae solvendae. In posteriore modo periculum in eo est, quod societas rependere debeat summam, quae praemia recepta excedit, ubi assecuratus determinatum aetatis annum assequitur.

c. Ad praecavendum detrimentum ex hoc contractu oriundum societas assecurationis assecurandis complures quaestiones proponere solet, ex quibus conatur colligere, qualem vitae durationem assecurandus sperare possit. Iam quaeritur, utrum contractus assecurationis validus an invalidus haberi debeat, si quando ad propositas quaestiones sive fraude sive ex errore falso responsum fuerit.

De quaestione, quam societas assecurationis proponit circa *peccata occulta* ex pravo habitu commissa, dicendum videtur assecurantem ius

[1]) Haec desumpta sunt ex egregio opusculo *Ph. Huppert,* Der Lebensversicherungsvertrag (Mainz. Kirchheim. 1896).

[2]) *Huppert* l. c. p. 15 ss.

non habere interrogandi de defectibus moralibus, proindeque assecurandum non teneri ad manifestanda vitia sua occulta. Horum ergo negatio nec mendacium est nec contractum facit irritum. Neque societas inde decipitur aut damnum patitur: medici enim est dispicere, num forte valetudo propter tale vitium affecta sit; quodsi non contingat, non est, cur summa solvenda exinde augeri debeat.

631. De validitate contractus. 1. Invalidus est contractus, si negatur vel tacetur circumstantia, qua notabiliter minuitur probabilitas vitae ab assecurando diutius protrahendae, ut si taceret vomitum sanguinis, quem antea passus est: intercedit enim error substantialis de obiecto contractus, de vita scilicet assecuranda.

a. Validus censeri debet contractus, si defectus notabilis sanitatis tum assecurandum tum medicum latebat: pericula enim vitae, quae ex causis omnino ignotis oriuntur, societas in se suscipere debet.

b. Si assecurandus circumstantiam notabilem *bona fide* celavit, ius habet recuperandi praemia a se soluta; ii vero, in quorum favorem assecuratio facta est, nullum ius acquirunt recipiendi summam determinatam. Si notabilem defectum sanitatis mala fide tacuit, non solum ius amittit percipiendi summam assecuratam, sed etiam damna reparare debet, quae societas ineundo hunc contractum invalidum e. g. propter expensas passa est. Attamen societates solent declarare annua praemia soluta in hoc casu ad ipsas pertinere.

c. Sunt societates, quae suis statutis declarant contractum assecurationis propter falsas declarationes irritum pro valido haberi, postquam per quinque annos duraverit. Ergo hoc tempore elapso contractus haberi potest validus, sive bona sive mala fide facta est falsa declaratio.

2. Validus, sed ad aequalitatem reducendus est contractus, si negatur vel tacetur circumstantia, qua cognita assecurans fecisset quidem contractum, sed maius praemium postulasset, ut si tacetur morbus, quo spes vitae protrahendae non omnino leviter tantum minuitur; societati ergo dari debet praemium, quod cognita veritate postulasset.

Si ergo assecurato, qui circumstantias accidentales falso declaravit, in casu infortunii integra summa assecurata solvitur, ipse de summa accepta partem proportionatam societati assecurationis vel pro ratione adiunctorum pauperibus restituere debet.

3. Validus et ab utraque parte servandus est contractus, si negatur vel tacetur circumstantia exigui prorsus momenti, ut si assecurandus falso neget remedia homoeopathica a se adhibita fuisse: etenim assecurans cognita quoque veritate contractum iisdem condicionibus fecisset.

Statuta societatum, quae declarant quemlibet errorem in responsis irritare contractum, in hac re iustitiae adversantur; nequit enim assecuratus propter levem errorem, qui societati nullatenus nocet, omni suo iure privari[1]).

Nota. Hisce exhibentur principia, ex quibus de obligationibus et iuribus assecurati statuendum est, si res non defertur ad iudicem. *Re ad iudicem delata* standum est sententiae iudiciali etiam in conscientia, nisi contractus ex parte societatis assecurationis invalidus sit.

a. Iudex sententiam fert iuxta statuta societatis assecurationis, quae contractum plerumque ob falsas declarationes mala fide factas irritum declarat et assecuratum in poenam fraudis commissae omni iure privat in praemia soluta.

b. Ex parte assecurationis contractus iniustus atque invalidus esse potest, tum eo quod non est iusta proportio inter taxam annuam et summam assecuratam post mortem assecurati solvendam, tum eo quod procuratores societatis assecurandum fraudulenter deceperant.

631*. De assecuratione operariorum. *Declarationes.* 1. Haec assecuratio eo tendit, ut operarii pro tempore, quo laboribus inepti evadunt sibique et suis providere amplius non possunt, certum proventum accipiant. Cum merces pro labore percepta non sufficiat, ut sibi pro eiusmodi temporibus prospiciant, hocce medio assecurationis penuriae cavetur.

2. Prout diversae sunt causae, ob quas operarii labori vacare nequeant, diversae distinguuntur assecurationes: *aegrotorum, infortunii, senii* etc. Kranken-, Unfall-, Alters-Versicherung. In Germania, Austria, Helvetia leges publicae aut omnes operarios aut saltem laborantes in officinis, in quibus maius est infortunii periculum, adigunt ad se assecurandos. Huiusmodi assecurationes ideo lege publica, non contractu privatim inito reguntur. Taxa assecurationis

---

[1]) *Huppert* l. c. p. 176 ss.

partim operarii partim heri solvunt, exinde operarii ius in pecuniae summam assecuratam acquirunt.

Pro solutione casuum. Si in casu particulari de iure operarii in summam assecuratam agitur, ad verba legis attendendum est, quae, cum in operariorum subsidium condita sit, in eorum favorem, quantum fieri potest, latam interpretationem admittit.

a. Pensio annua illis tantum solvitur, quibus infortunium in exercitio operis (beim Betriebe) accidit; atqui in exercitio operis accidisse censetur, quod contigit in actione, quae aliquo modo cum operis exercitio cohaeret e. g. in accessu ad locum laboris, inter prandium, quod in loco laboris sumitur, inter otium, quod in loco laboris capitur.

b. Pensionem annuam non recipiunt operarii, si eorum *culpa* infortunium contigit; atqui ex culpa operarii ea solum infortunia accidisse censentur, quae de industria vel ex magna negligentia, minime vero ea, quae ex incuria, temeritate vel levi aliqua negligentia causata sunt.

c. Qui pensionem annuam iniuste percepit e. g. causam infortunii false narrando, per se summam perceptam reddere tenetur, nec ulteriorem licite recipere potest. Sed cum fraudem commissam sine gravis damni periculo fateri non possit, annuam summam ea condicione licite recipit, quod pecunia percepta pauperibus distribuatur. Quodsi ipse operarius vere pauper sit, et alio modo sustentari nequeat, pensionem vel saltem eius partem sibi retinere potest. Quod restitutio non fiat societati sed pauperibus, eo facilius permitti potest, quia damnum, quod ipsis contribuentibus hac fraude contigit, leve est, cum multi ad assecurationem concurrant. Quare ut ipsis damnificatis fiat restitutio, levis tantum est obligatio; sed restitutio, quae sub levi tantum obligat, ex rationabili causa fieri potest pauperibus.

631. Nota.** Contractus propter falsas declarationes iure naturae irritos *Lehmkuhl* ex ipsis statutis societatum assecura-

tionis censet probabiliter haberi posse tamquam validos, donec a societate seu a iudice declarentur invalidi; assecuratum ergo summam assecuratam licite accipere posse, si contractus a societate non rescindatur; ipsum tamen teneri ad damnum reparandum, quod societati suo agendi modo *efficaciter* intulit. Hinc

a. Quia taxam iusto minorem solvit, hanc augere tenetur usque ad eam quantitatem, quam assecurans postulasset, si defectum cognovisset, et augmentum societati restituere debet.

b. Damni reparatio facienda est etiam in casu, quo declarationes falsae ex inculpabili errore processerunt, quia error est causa efficax, ob quam societas taxam annuam iusto minorem accepit.

c. Quodsi assecurati mors non ob defectum celatum, sed ex alia causa sequatur, augmentum taxae annuae non est iniungendum, quia fraus non est causa efficax damni.

d. Quin etiam in hoc casu societati damnum efficaciter non infertur, quo assecuratus reipsa tamdiu vixit, quamdiu probabiliter ex statistica victurus praevidebatur: adest enim proportio aequalitatis inter taxam annuam et summam assecurationis[1]).

Articulus quintus.

De speculationibus bursae[2]).

632. Notiones. 1. *Bursa* (Börse) locum significat publica auctoritate constitutum, in quo certa negotia peraguntur et certi contractus celebrantur. Cum potissimum duplex sit obiectum horum contractuum, pecuniae seu valores (actiones, obligationes) et merces (frumentum, oleum), duplex distinguitur bursa: *pecuniaria* (Geldbörse) et *commercialis* (Warenbörse).

2. Bursa, quae in se utilis, immo in bene ordinata republica necessaria est, praesertim ut praesto sit occasio mercandi valores, male audire coepit, ex quo in ea frequenter contractus aleatorii celebrantur, ex quibus tum

---

[1]) *Lehmkuhl,* Casus consc. I[3] n. 919 ss.

[2]) *Villada,* Casus conscientiae etc.[2] (Bruxellis. Vromant. 1885) II. p. 272 ss. *Ballerini-Palmieri* III. n. 927 ss. *Gury,* Casus conscientia l. n. 947 ss. *Göpfert,* Moraltheologie[5] (Paderborn. Schöningh. 1906) II. n. 125.

contrahentibus tum aliis maxima damna et pericula nascuntur. Vocantur hi contractus generico nomine speculationes seu operationes bursae, in specie vero distinguuntur *operationes ad terminum* (Termingeschäfte) et *operationes ad praemium* (Prämiengeschäfte).

3. *Operationes ad terminum* dicuntur, quando emuntur valores aut merces, ita ut pretium solvendum sit post certum tempus, die nempe in bursis statuto e. g. primo vel quinto decimo mensis, qui *dies liquidationis* vocatur. Pretium autem solvendum est, quod die liquidationis in bursa vigebit. Cum pretium perpetuis mutationibus obnoxium sit, ordinarie accidit, ut futurum pretium augmentum vel decrementum sortiatur. Iam vero in mutatione pretii, quae usque ad diem liquidationis contingere potest, fundatur tota speculatio contrahentium: plerumque enim non valores et merces tradere, sed id solum intendunt, ut ab eo, cui mutatio pretii adversatur, *differentia* alteri solvatur. Si pretium auctum est, venditor differentiam emptori, si pretium minutum est, emptor differentiam venditori solvere debet: venditor enim *ad depressionem* (à la baisse) emptor *ad elationem* (à la hausse) ludere dicitur.

A. et B. die 15. martii contractum ineunt de 100 modiis tritici et 500 florenis, ita ut A. obligetur die 15. septembris tradere 100 modios et B. eodem die teneatur solvere 500 florenos. Iam si pretium tritici interim crescit, ut vendatur 540 florenis, lucratur emptor; quodsi pretium tritici interim minuitur, ut vendatur 470 florenis, lucratur venditor. Sed A. et B. contractum etiam ita inire possunt, ut non teneantur mercem et pretium tradere, sed solum differentiam solvere inter pretium in contractu constitutum et pretium vulgare, quod triticum die determinato habet. Si auctum est pretium, tenebitur ergo A. solvere emptori 40 fl.; si econtra minutum est pretium, tenebitur B. solvere venditori 30 fl. Hoc idem etiam ad emptionem-venditionem valorum transferendum est.

4. *Operationes ad praemium* dicuntur, quando emptor sibi reservat ius contractum certo die e. g. pridie liquidationis rescindendi, quod si faciat, solvere debet venditori certam summam, quae *praemium* vocatur, sin autem declaret velle se stare contractui, emptio, quae prius erat condicionata, fit absoluta[1]).

633. Earum liceitas. 1. Operationes bursae in se consideratae non sunt iniustae: revocantur enim ad contractus aleatorios et in specie ad sponsionem et ludum; si ergo servantur condiciones, quae licitos efficiunt hos contractus,

[1]) *Génicot* I. n. 664.

praesertim si contrahentes habent aut statuto tempore se habituros esse sperant, quod promittunt, speculationes bursae in se licitae sunt.

a. In operationibus ad terminum uterque sperat se lucraturum esse; cum ergo ex utraque parte habeatur spes et periculum, reipsa initur sponsio. Nec tamen contractus est mere aleatorius, cum prudentia et sagacitate futurum pretium aliquo modo praevideri possit, quam ob rem ludo industriali vel mixto haec speculatio recte comparatur.

b. In operationibus ad praemium venditur ius, quod reipsa pretio aestimabile est; si ergo praemium aequivalet huic iuri, contractus iustitiae non adversatur.

Neque ideo hae speculationes dicendae sunt illicitae, quia suppeditant medium comparandi sibi absque labore magnas divitias: si enim aliis modis e. g. acceptando magnum donum, pinguem hereditatem vel occupando bona, quae hucusque nullius erant, sine labore ditescere licet, licebit etiam ope harum speculationum, dummodo vitentur iniustitiae et impleantur officia sive socialia sive religiosa aliunde debita.

2. Per accidens autem cum speculationibus bursae complura vitia possunt esse coniuncta.

a. Eo quod media iniusta adhibentur, quibus pretium rei venditae augeatur vel minuatur e. g. spargendo falsos rumores de statu regni vel alicuius societatis.

b. Eo quod tanta summa in speculationibus exponitur, ut periculum sit amittendi integram substantiam cum detrimento familiae et creditorum.

c. Eo quod pretium rerum venalium artificiose ita augetur vel minuitur, ut inde multi in egestatem incidant: etsi enim hoc fiat mediis in se iustis e. g. coëmendo magnam valorum vel mercium copiam et sic quasi monopolium constituendo, caritas tamen vetat, ne quis divitias quaerat cum aliorum ruina.

Liber septimus.

De octavo decalogi praecepto[1]).

„Non loqueris contra proximum
tuum falsum testimonium.“ Ex. 20, 16.

Hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, prohibet *primario* quidem falsum testimonium sive in iudicio sive extra iudicium, *secundario* autem mendacium atque iniustam laesionem famae et honoris proximi, quae fit verbis; quatenus vero *affirmativum* est, praecipit, ut semper veritatem dicamus. Hoc praecepto igitur generatim prohibetur, ne *verbis* vel aequivalentibus signis proximo damnum inferatur, quare agendum est: *a.* de veracitate et fidelitate; *b.* de mendacio; *c.* de detractione; *d.* de contumelia; *e.* de violatione secreti.

Etsi *violatio secreti* proximo non solum in bonis famae et honoris, sed etiam in bonis vitae et fortunae nocere et proinde etiam quinto et septimo praecepto opponi possit, solent tamen auctores eius tractationem ad octavum praeceptum referre.

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 72—74. *S. Alphonsus* l. 3. n. 962—1003. *Lugo*, De iustitia et iure disp. 14. *Tamburini*, Explicatio decalogi l. 9. *Reuter*, Theologia moralis II. n. 395—432. *Sporer-Bierbaum*, Theologia moralis decalogalis II. tract. V. n. 630—776. *Ballerini-Palmieri*, Opus Theolog. moral II. n. 1050—1102. *Lehmkuhl*, Theologia moral.[10] I. n. 1172—1200. *Génicot*, Theologiae moralis instit.[5] I. n. 412—433.

Quaestio prima.

De veracitate et fidelitate[1]).

634. De veracitate. 1. *Veracitas* est virtus, quae voluntatem inclinat ad inducendam conformitatem inter mentem nostram et signa, quibus proximo aliquid manifestamus; inclinat ergo ad curandam veritatem in signis.

a. Veracitas est *virtus specialis*, quia respicit honestatem specialem ab honestate aliarum virtutum distinctam, nempe veritatem in dictis et factis.

b. Veracitas est virtus *annexa iustitiae:* α. quia est ad alterum: signa enim data sunt nobis, ut aliis iudicia mentis nostrae manifestemus; β. quia per se inducit debitum morale; per accidens autem fieri potest, ut aliis strictum ius competat exigendi veritatem e. g. in contractibus.

2. *Obiectum materiale* huius virtutis sunt signa, quibus mentem nostram proximo manifestamus; *obiectum formale* est honestas, quae in conformitate mentis cum signis externis reperitur: adversatur enim ordini naturali, quod signa, quae nobis data sunt ad mentem aliis patefaciendam, menti sint difformia; deinde sine veritate vita socialis constare nequit.

3. *Officia* veracitatis sunt: *a.* amare veritatem in dictis et factis; *b.* cavere, ne quid contra iudicium mentis dicatur; *c.* mentem exprimere, ubi ratio et occasio id postulant: veracitas enim non exigit, ut semper et ubique mentis iudicium pandatur, quod potius quandoque occultari debet; *d.* inquirere veritatem rei, quando aliquid absolute affirmandum vel negandum est; *e.* exsequi promissa.

635. De fidelitate. 1. *Fidelitas* est virtus moralis voluntatem inclinans ad conformanda facta promissis (verbis praeteritis promittentibus).

---

[1]) *Lessius,* De iustitia et iure l. 2. c. 47. n. 29. ss. *Kössing,* Über die Wahrheitsliebe (Paderborn, Schöningh. 1893).

a. Fidelitas veracitati affinis est: sicut enim veracitas exigit, ut verba conformemus menti, ita fidelitas exigit, ut facta conformemus verbis.

b. Sicut veracitas ita etiam fidelitas summum habet momentum sociale: in fidelitate enim fundatur fides atque fiducia in proximum (das Vertrauen); sed commercium humanum non minus exigit, ut promittentibus fidere, quam ut loquentibus credere possimus.

2. *Obligatio* fidelitatis oritur *ex promissione*, quo quis libere se obligat ad aliquid postea faciendum: etenim de ratione promissionis est, ut promittens intendat aliquo modo (vel ex iustitia vel ex fidelitate) se obligare ad rem promissam faciendam.

a. Dictum, quo quis futuram actionem faciendam vel omittendam praedicit, duo significat: praesentem voluntatem (propositum) futurae actionis et futuram exsecutionem propositi. Idem dictum proinde duplicem conformitatem habere debet: conformitatem cum praesenti proposito, quam exigit veracitas, et conformitatem cum futura exsecutione, quam exigit fidelitas.

b. Non quodvis propositum futurae actionis vel omissionis coram aliis expressum obligat ad exsecutionem; obligationem exsecutionis inducit sola promissio aliis facta. Qui propositum, etsi serium non exsequitur, *inconstantiae,* qui promissionem non exsequitur *infidelitatis* arguitur: dictum enim in proposito exterius expresso non est nisi signum internae voluntatis aliquid faciendi; in promissione autem dictum est fideiussio futurae exsecutionis seu est fides alteri facta de futura exsecutione (sein Wort geben).

c. Qui serio aliquid promittit, voluntatem habere debet *se obligandi* ad faciendum id, quod promittit, et voluntatem *implendi* promissum. Qui promittit absque priore voluntate mendacio, qui promittit absque altera voluntate, mentali infidelitate peccat.

3. Fidelitas ex se *sub levi* tantum obligat; quare infidelitas veniale peccatum non excedit, nisi proximo damnum sequatur, eo quod res promissa non praestetur.

Sunt *(Lessius, Suarez, Vasquez)*, qui dicant fidelitatem in materia gravi sub gravi obligare; at recte notat *Lugo*[1]*)* inhonestatem, quae in infidelitate continetur, non esse gravem. Qui enim fidem alteri datam non servat, alterum, qui spem (non ius) de re promissa habebat, decipit; sed eiusmodi spem deludere non est grave. Insuper qui fidem datam non servat, dignus non est, ut eius promissis fidatur; sed neque haec promittentis deformitas et turpitudo gravis est. Eadem est ratio, ob quam mendacium ex se non sit nisi leve peccatum.

---

[1]) De iustitia et iure disp. 23. sect. 6. n. 90 ss.

Quaestio secunda.

De laesione veritatis.

Articulus primus.

De mendacio[1]).

636. Definitio. *Mendacium* definitur: locutio contra mentem ad fallendum prolata. Nomine *locutionis* intelligitur quodvis signum externum, quo interiores mentis conceptus significantur, sive verbis sive nutu aut facto id fit

a. Quatuor in mendacio distinguenda sunt: α. locutio difformis a mentis iudicio; β. voluntas falsum dicendi; γ. voluntas alium decipiendi; δ. alterius deceptio. Duo priora ad mendacii essentiam pertinent; quartum eius effectus est; utrum tertium essentiale mendacii elementum an vero necessarium consequens sit, disputatur. Dicendum videtur animum fallendi virtualiter et implicite ad essentiam mendacii pertinere, quatenus loquens videt auditores falli, si verbis suis fidem habeant, et vult, ut falsum, quod ipse profert, ab eis credatur; non autem formaliter et explicite, quatenus vult, ut in audientibus error gignatur[2]). Ideo mendacium a multis definitur: locutio contra mentem cum intentione falsum dicendi.

b. Qui igitur dicit, quod falsum est, putans id esse verum, errat, non mentitur: etenim voluntatem non habet falsum dicendi. E contrario qui affirmat verum, quod putat falsum, non errat quidem, sed mentitur, quia vult falsum dicere. Qui existimat auditores *prudentes* non credere ea, quae affirmat, non mentitur, etsi contra mentem loquatur, quia non habet voluntatem fallendi. Ideo non mentitur, qui dicit se vidisse bovem volantem, mercator, qui dicit merces sibi carius constare, quam eas aliis vendit.

c. Quatuor modis committi potest mendacium: α. si quis affirmat esse, quod cognoscit non esse; β. si quis negat esse, quod cognoscit esse; γ. si quis pro certo affirmat, de quo dubitat, an sit; δ. si quis affirmat dubium esse, quod sibi certum est.

---

[1]) *Fr. Ildephonsus* (Carmelita), De mendacio et falsiloquio morali. *Laymann*, l. 4. tract. 3. c. 13.

[2]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 110. a. 1.

637. Divisio. 1. Mendacium ratione effectus intenti *dividitur: a.* in *damnosum,* quod profertur, ut obsit; *b.* in *officiosum,* quod profertur, ut prosit; *c.* in *iocosum,* quod profertur, ut inde delectatio hauriatur. Attamen ut iocus sit mendacium, requiritur, ut fiat animo falsum dicendi aliosque fallendi: qui enim falsum dicit sciens audientes saltem prudentes id ut falsum intelligere, non mentitur.

2. Si mendacium generice accipitur pro difformitate inter mentem eiusque signum, a mendacio *verbali* (quod etiam per scripturam committi potest) distingui debet mendacium *reale,* quo quis facto aliud significat, quam in mente habet. Hoc proprie *simulatio* vocatur; mendacium proprie est peccatum oris.

A simulatione *formali,* qua quis intendit facto aliud significare, quam in mente habet, distinguenda est simulatio *materialis,* qua quis facto aliud agit, quam in mente habet, sed id non intendit. Illa nunquam licita est, quippe quae verum sit mendacium reale; haec autem ex iusta causa licita est eadem ratione ac restrictio mentalis. Sic licite dives induit vestes detritas, ne a latronibus spolietur.

638. Malitia. 1. *Mendacium in se malum est,* quocirca ne ad gravissimum quidem malum vitandum mentiri licet.

a. Utrum *mendacium* praesertim *officiosum* absolute et intrinsecus malum, an aliquando licitum sit, quaestio est perdifficilis. *Philosophi gentiles* (Plato, Stoici) docebant mendacium quandoque licitum esse, ubi nempe de magno malo avertendo vel de magno bono consequendo agatur. *Aevo christiano* mendacium licitum asserebant non solum Priscillianistae et Semipelagiani, sed ex scriptoribus ecclesiasticis etiam Origines et Cassianus; immerito autem Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Chrysostomus his accensentur. *S. Augustinus* internam eius malitiam comprobat[1]), cuius vestigiis inhaerentes theologi scholastici communi consensu eandem sententiam propugnant. Postea complures praesertim *protestantes* cum *Hugone Grotio* inter mendacium et falsiloquium distinguentes *mendacium* quidem, quod iuri aut bono aliorum repugnat, semper illicitum, *falsiloquium* autem, quod simpliciter in locutione contra mentem consistit, per se licitum declarant. Huic doctrinae recentiores scriptores acatholici fere adhaerent, quam etiam nonnulli doctores catholici non prorsus reiiciunt. Hi opinantur

[1]) *S. Augustinus,* Contra mendacium ad Consentium et: De mendacio.

mendacium tum praesertim licitum esse, quando ad secretum tuendum necessarium sit[1]). Verum omnino tenenda est doctrina communis, omnem sermonem a mente alienum, etsi nemini obesset sed potius multum prodesset, mendacium esse; omne autem mendacium moraliter malum esse[2]).

b. Argumenta rationis. α. Quod repugnat fini naturali, propter quem institutus est sermo, lege naturali prohibitum est; atqui mendacium repugnat naturali fini sermonis loquendique facultati, quae ab auctore naturae instituta sunt, ut homo homini sua sensa manifestet. β. Id lege naturae prohibitum est, quod si licitum esset, cederet in detrimentum societatis humanae; atqui si licitum esset mendacium, fides atque securitas in societate haberi non posset. Ut vis huius argumenti percipiatur, non ex semel facto, sed ex semel licito illud aestimari debet. γ. Moraliter malum est, quod perfectionibus divinis repugnat; atqui quodvis mendacium, quod natura sua est difformitas inter signum et rem significandam, summae veritati repugnat. Ideo *s. Ioannes* ait: *omne mendacium ex veritate* (ex Deo) *non est,*[3]) sed *omne mendacium a diabolo est, qui mendax est et pater mendacii.*

c. S. scripturae textibus idem confirmatur: *Mendacium fugies*[4]); *noli velle mentiri omne mendacium*[5]); *deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*[6]); *omne mendacium ex veritate non est*[7]), qui textus sine ulla distinctione ac limitatione ipsum mendacium reprobant.

Ad textus complures s. scripturae, qui mendacium commendare videntur[8]), sufficiat notasse, quae habet *s. Augustinus:* „Quando nobis de scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt . . aut si mendacia sunt, imitanda non sunt“[9]). De singulis textibus consulendi sunt interpretes.

2. *Mendacium per se leve peccatum non excedit,* quia formaliter nec caritati nec iustitiae, sed solum veracitati repugnat, quae ex genere suo obligat sub levi tantum.

---

[1]) Cf. *Th. Meyer,* Institutiones iuris naturalis (Friburgi. Herder 1900) II. n. 54 ss.

[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 1055.

[3]) 1. Ioan. 2, 21; Ioan. 8, 44.

[4]) Exod. 23, 7.

[5]) Eccli. 7, 14.

[6]) Eph. 4, 25.

[7]) 1. Ioan. 2, 21.

[8]) Exod. 1, 19. Ios. 2, 4. s. 1. Reg. 20, 6; 21, 2 s. 4. Reg. 6, 19. Tob. 5, 18 etc.

[9]) Contra mendac. l. 2. c. 15. n. 31.

Quantum ergo *mendacium perniciosum* repugnat caritati vel iustitiae, est peccatum ex genere suo grave (635, 3).

Hinc verba sacrae scripturae: *Os, quod mentitur, occidit animam*[1]) ita intelligenda sunt, quod mendacium *dispositive,* non formaliter animam occidat, quatenus consuetudo mentiendi ad gravia peccata disponit: qui enim mendaciis assuetus est, neque a mendaciis graviter damnosis, immo ne a periuriis quidem abhorret.

Articulus secundus.

De amphibologia et restrictione mentali.

639. Declarationes. 1. *Amphibologia* est usus verborum, quae *ex se* aequivoca et ideo apta sunt diversum sensum generandi. Sic *gallus* significat hominem e Gallia oriundum et gallum gallinaceum.

Si quis amphibologia utitur (e. g. *gallum occidi, Germani sumus*), fieri potest, ut verba secundum unam significationem proferantur a loquente et secundum aliam intelligantur ab audiente, qui sic decipitur quidem, sed tamen verba intelligere posset etiam in significatione, qua a loquente proferuntur: ex se enim duplicem sensum habent.

2. *Restrictio mentalis* definitur: actus mentis, quo verba loquentis per aliquid, quod tacetur seu mente retinetur, ad alium sensum quam naturalem et obvium coarctantur.

Aliud est mentiri, aliud verum occultare. Etsi mentiri seu falsum dicere nunquam licitum esse possit, attamen verum occultare saepe licitum, immo quandoque etiam necessarium est. Iam vero *restrictio mentalis* frequenter est unicum medium occultandae veritatis: saepe enim nec responsum declinare nec interrogantem repellere licet.

3. Duplex distinguitur: restrictio *pure mentalis,* si sensus loquentis nullo modo percipi potest, ut si interrogatus, num Romam viderit, respondet; *utique,* mente addens: *in pictura;* et restrictio *late mentalis,* si sensus loquentis ex adiunctis aliquo modo intelligi potest.

In restrictione mentali verba *ex se* quidem nonnisi unum sensum habent, sed *in adiunctis* personae, loci vel temporis, in quibus proferuntur, alium sensum praeter naturalem admittunt; sic interrogatus de

[1]) Sap. 1, 11.

secreto, quod novit, sed celare debet, et respondens *nescio,* manifesto non negat nisi scientiam communicabilem; hoc sensu Christus negavit se scire diem iudicii[1]).

640. Principia. 1. Ex iusta causa licet uti amphibologia seu aequivocatione eamque iuramento firmare.

Verba amphibologice prolata continent in se et externe relate ad audientem sensum a loquente intentum; ergo locutio non est contra mentem nec proinde mendacium. Sic Christus dixit eum *dormire,* qui mortuus fuerat[2]). Quod *iusta causa* requiratur, ut iuramentum amphibologicum licitum sit, patet ex inferius dicendis.

2. Nunquam licita est restrictio pure mentalis, quia a mendacio non differt: in hac siquidem restrictione verba loquentis tum ex se tum ex adiunctis externe unum tantummodo sensum habent eumque difformem a mente loquentis.

Quare post propositiones (26. 27.) ab *Innocentio XI.* damnatas non est theologus, qui dicat licitam esse restrictionem pure mentalem, etsi antea complures eam non iudicaverint illicitam[3]).

3. Ex iusta causa licite uti *possumus* restrictione late mentali, nisi interrogans *ius* habeat cognoscendi veritatem; immo quandoque ea uti *debemus.*

a. Haec restrictio non est mendacium: verba enim loquentis non ex se sed ex adiunctis sunt aequivoca, ideo menti loquentis sunt conformia, cum vere contineant sensum, quem loquens in mente habet, licet obscure tantum vel incomplete. — Insuper ad bonum societatis requiritur, ut adsit medium licite occultandi veritatem et servandi secretum; atqui, subsumit *s. Alphonsus* (n. 152), „si non liceret uti restrictione late mentali, non exsisteret modus secretum licite celandi, quod perniciosum foret humano commercio non secus ac mendacium.“ — Tandem proximus non directe et necessario decipitur, sed eius deceptio tantum permittitur: etenim si verba loquentis cum restrictione ab audiente secundum falsum sensum sumuntur, audiens reipsa decipitur; sed cum verba loquentis secundum verum sensum intelligi possint, deceptio non loquenti sed ipsi audienti imputanda est.

α. Signum manifestum huius necessitatis deprehenditur in illis multorum affirmationibus, quibus asseverant *se mentiri debuisse* sive ad discordias sive ad blasphemias vel alia incommoda praecavenda. In eiusmodi adiunctis adest iusta causa utendi restrictione mentali;

[1]) Cf. Marc. 13, 32; item Ioan. 7, 8.

[2]) Ioan. 11, 11.

[3]) Cf. *Viva,* Damnatae theses, in citatas propositiones.

et quoniam fideles raro percipiunt theoriam de restrictione mentali, eis simpliciter dicendum est non esse mendacia sed licitas responsiones, quas in eiusmodi adiunctis proferunt ad gravia incommoda vitanda.

β. Ex fine restrictionis patet loquentem non solum *consulto* plenam veritatem per restrictionem occultare, sed etiam optare atque intendere posse, ne audiens plenam veritatem percipiat; eius deceptionem vero solum permittere licet. Attamen ut licita sit restrictio mentalis, requiritur, ut *sensus mente retentus* ex adiunctis moraliter seu prudenter cognosci possit. Ergo necessarium non est, ut loquens restrictione utatur, quam audiens *facile* suppleat, id tamen requiritur, ut restrictio ex adiunctis *prudenter* et rationabiliter intelligi possit.

b. Ex iusta causa: etenim non licet absque ratione exhibere alteri occasionem deceptionis. — Insuper si id semper et absque ulla causa liceret, nemo iam posset alteri credere, quia in quovis dicto posset et deberet suspicari ambiguitatem, quod in manifestum humanae societatis detrimentum vergeret.

Iusta causa utendi restrictione mentali est vera utilitas, quae ex occultata veritate, seu verum incommodum sive proprium sive alienum, quod ex manifestata veritate sequatur. Nunquam vero licet uti restrictione mentali, ubi interrogans ius habet cognoscendi veritatem: huic enim iuri respondet in altero obligatio fatendi absque ambiguitate veritatem, ut si liberi a parentibus, promovendi ad aliquod munus (ordinem, matrimonium) a superioribus interrogentur de defectu vel crimine commisso, quia a munere, quod ambiunt, resilire possunt et debent, si crimen declarare nolint[1]).

c. Restrictione late mentali uti *debemus,* quando nec veritas, de qua fit interrogatio, sine peccato manifestari, nec interrogans sine responso reiici potest.

Exemplum, quo id pateat, si a secreto confessionis atque officii praescindimus, exhibet *Lehmkuhl,* Casus conscientiae I. n. 455 ss.

4. Ex iusta causa licitum est restrictionem late mentalem *iuramento firmare:* cum enim verba cum restrictione late mentali prolata sint vera, Deus non invocatur in testimonium falsitatis.

a. Iusta causa iurandi cum restrictione mentali est magnum bonum servandum vel grave damnum cavendum. Quia tamen complures theoriam restrictionis mentalis non capiunt, alii eam calumniantur, raro expedit, ut iuramenta cum restrictione mentali commendentur, nisi sint necessaria.

b. Sunt, qui affirment iuramentum cum restrictione mentali emissum tum essentiae tum fini iuramenti repugnare, ideoque illicitum esse. Verum plane falluntur. Nam *essentia* iuramenti exigit, ut id,

[1]) Cf. Propositio 28 ab *Innocentio IX.* damnata.

quod iuramento firmatur, verum sit; atqui locutio cum restrictione late mentali vera est. *Finis*, propter quem iuramentum institutum est, non exigit, ut finis iste in singulis casibus reipsa obtineatur, sed ut obtineri *possit*, seu id solum exigit, ne iurans finis assecutionem positiva actione impediat, sed eius frustrationem ex gravi causa solum permittat: atqui hoc in eiusmodi iuramentis obtinet.

Nota. Omnes intelligunt convictui humano necessarium esse medium occultandae veritatis in iis adiunctis, in quibus responsum declinari non potest. Hocce medium ex catholicorum sententia est restrictio late mentalis, ex protestantium autem doctrina est mendacium (falsiloquium), quod licitum dicunt, quando nemini nocet, loquenti autem vel alteri prodest. Quamvis *practice* in plerisque adiunctis restrictio late mentalis et falsiloquium quoad rem ad idem redeant, nihilominus omnino tenenda est catholicorum doctrina, tum quia omne mendacium illicitum dicit et ideo abusus facilius praecavet, tum quia restrictionem mentalem utpote locutionem in se veram, iuramento firmare licet, id quod nonnunquam necessarium est, mendacium autem, etsi licitum dicatur, iuramento firmari nequit.

641. Applicationes. Huius rei difficultas non est in restrictionis mentalis liceitate, quam omnes concedere debent, qui intelligunt, quid ea significetur; sed difficultas est in discernenda restrictione pure a late mentali. De qua re notandum est eum, qui interrogat, ex usu inter homines recepto non aliam exspectare vel exspectare posse responsionem nisi conformem adiunctis, ideoque respondentem non mentiri, si responsionem restringat ad adiuncta interrogantis et respondentis, modo servet condicionem supra (n. 640, 3. β.) propositam.

Id usu communi confirmatur, ex quo constat adiuncta efficere, ut verba loquentis in alio sensu quam naturali et obvio intelligi possint et debeant. Sane innumeri sunt casus vitae humanae, in quibus verba loquentis vel interrogantis non accipiuntur secundum sensum, quem ex se, sed quem ex determinatis adiunctis habent. Sic (ut a locutionibus ironicis praescindamus) interrogatus ab eo, qui patrem per domum quaerit, num viderit patrem, recte respondet: *non*, ex adiunctis probe intelligens de hac re agi, num hic et nunc patrem viderit.

α. Interroganti ea, quae manifestari non possunt, licite respondetur *nescio* sc. ut tibi dicam seu scientia communicabili. Ideo confessarius interrogatus, num Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *nescio*, quia id nescit scientia communicabili. Si tamen eiusmodi sint interrogantis verba vel adiuncta, ut vox *nescio* omnem ignorantiam significet, non licet ea uti, sed interroganti dicendum est

ipsum frustra interrogare. Confessarius autem, si interrogans instaret, num hoc nesciret scientia communicabili, respondere adhuc potest *nescio:* cum enim interrogans scire debeat confessarium de hac re loqui non posse, aliud responsum prudenter exspectare nequit, nisi velit repulsam ferre.

b. In iis adiunctis, in quibus adest gravis ratio celandi veritatem, rei *negatio (non)* ex communi hominum iudicio non significat rem negari, sed rei manifestationem fieri nec debere nec posse. Ideo poenitens a confessario interrogatus de peccato, quod confiteri non tenetur, respondere potest cum restrictione *se illud non commisisse,* scilicet quod confiteri debeat, nisi confessarius iuste interroget ad cognoscendum statum poenitentis: poenitens enim recte supponit nolle confessarium indiscrete interrogare, ideoque ad ea tantum exspectare responsum, quae iuste interrogat; prudens autem confessarius suspicari debet responsum in hunc modum accipi posse.

c. Si personae publicae interrogentur de rebus ipsarum fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices et quicunque officium et rationem habent veritatem occultandi, uti possunt restrictione recte supponentes interrogantem nolle eos provocare ad rem illicitam aut imprudentem.

d. Interroganti, num ipsi pecuniam commodare possim, respondere licet *non habeo,* subaudiendo: *quam facile aut secure commodare possim.* Prudenter enim supponi potest interrogantem nolle sua petitione molestum esse et proinde eam tantum pecuniam petere, quae sine difficultate commodari possit.

e. Famuli ex voluntate domini negare possunt ipsum domi esse, quamvis adsit, quia talis locutio ex usu recepto significat eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Tamen ad locorum consuetudinem attendendum est.

f. Qui ab exactore vectigalis interrogatur, num aliquid habeat, de quo solvendum sit vectigal, per se respondere potest *se nihil habere* (scilicet de quo solvere vel quod declarare debeat): cum enim ex se non teneatur solvere aut declarare, exactor summo iure prudenter exspectare non potest responsionem nisi obligationi loquentis respondentem. Attamen sic interrogantes exactores plerumque itinerantes a molesta revisione liberare intendunt; quare verba interrogantis ex adiunctis potius hunc sensum continent, num aliquid habeant, de quo solvere debeant, si a revisore detegatur. Ideo exactores praesertim a clericis et sacerdotibus responsum sine restrictione iure merito exspectant.

g. Nonnullae restrictiones, quae ab auctoribus late mentales dicuntur, certo certius ad pure mentales referendae sunt, quia non servantur condiciones supra expositae. Sic si mulier adultera a viro interrogata, num adulterium commiserit, *hoc negat* subintelligens *idolola-*

triam, quia idololatria in s. scriptura quandoque adulterium vocatur, utitur restrictione pure mentali. His non negatur posse adulteram adhibere restrictionem commissumque crimen negare, scilicet *quod teneatur viro manifestare:* hinc enim vir non habet ius cognoscendi occulta crimina uxoris suae, inde vero uxor sine gravissimo incommodo veritatem manifestare nequit, ideo vir prudenter iudicare debet responsionem posse esse adiunctis conformem, ideo inadaequatam.

Quaestio tertia.

De laesione famae.

Articulus primus.

De iure in honorem et famam.

642. Praenotiones. 1. *Honor* late acceptus est bona aestimatio de alicuius perfectionibus.

a. Hoc sensu honor est iudicium internum, cuius obiectum constituunt proximi perfectiones i. e. dotes et qualitates, quibus homo in societate humana commendatur; *qualitates* igitur tum *morales,* nempe virtutes, tum *naturales internae* ut sapientia, doctrina, ingenium, eloquentia, indoles egregia, vires, pulchritudo (qua mulieres commendantur), valetudo, tum etiam *naturales externae* ut opes, nobilitas, natales legitimi etc.

b. Obiectum huius iudicii fundamentum est famae et honoris stricte dicti; et cum hoc fundamentum verum et falsum seu putativum esse possit, honor verus et falsus, fama vera et falsa distinguitur.

2. *Honor* stricte acceptus est testificatio externa de alicuius perfectionibus, ubi nempe bona aestimatio, quam de proximo concepimus, tota agendi ratione exterius se manifestat.

3. *Fama* est communis aestimatio de alicuius perfectionibus sermone prolata.

a. Fama *generatim* accepta est aestimatio communis de alicuius qualitatibus, quae potest esse bona vel mala. Patet bonam famam hic considerari, quam ideo exhibet proposita definitio.

b. Aestimatio *communis* dicitur, quia fama in multorum iudicio sermone prolato consistit: fama enim natura sua aliquid significat, quod publicum est, quocirca unius vel alterius de aliquo iudicium sermone prolatum nequit constituere eius famam. Attamen non requiritur, ut hoc iudicium sit verum.

643. De iure in honorem et famam. 1. Unicuique ius competit in bonam aestimationem, quae personae humanae debetur, item ut honor, quem meretur, ei testificetur.

a. Ius in bonam aestimationem est aestimatio negativa et positiva, qua alteri nihil mali sed potius ea dignitas tribuitur, quam humana personalitas ex se continet. Quamvis ius ad aestimationem, qua alteri speciales virtutes tribuuntur, per se nemo habeat, ius tamen unicuique convenit exigendi, ut in commercio humano ut talis tractetur, cui virtutes inter homines probos communes competant: unusquisque enim habendus est bonus, donec probetur malus.

b. Unde patet unumquemque honorandum esse, quia unicuique etiam infimae condicionis homini inest aliqua perfectio, ob quam ei honor exhiberi potest, id quod innuit Apostolus: *honore invicem praevenientes*[1]).

2. Unusquisque *ius habet in suam famam, non solum veram sed etiam falsam.*

a. Fama enim est bonum externum propria industria partum: atqui in bonum externum et proprium per se quilibet plenum ius et dominium exercet (n. 365). — Ius in famam falsam non directe ex ipso iure hominis desumitur, sed ex inconvenientibus, quae contra bonum commune sequerentur, si passim occultos aliorum defectus publicare liceret.

Inconvenientia, quae contra bonum pacis et tranquillitatis sequerentur, si occulti defectus passim manifestarentur, haec sunt: proximus officio suo utiliter fungi non posset, omnem auctoritatem amitteret, bono conversationis careret, proxime coniuncti ignominia afficerentur, ipse vero magno praesidio contra maiora vitia privaretur.

b. Porro *ius in famam veram* est absolutum et universale, quod postulat, ut unusquisque ab omnibus habeatur, qualis revera est; quocirca haec fama nunquam licite auferri potest. *Ius autem in falsam famam* relativum et limitatum est, quod, cum in bono communi fundetur, cessat, si quando bonum aliorum potius exigit, ut occulti defectus proximi revelentur[2]).

---

[1]) Rom. 12, 16.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 97.

Fama, qua unusquisque indiget, est *fama ordinaria* seu bonum nomen simpliciter, quod ei ad obeunda munia pro condicione vitae necessarium est, sive ortum est ex vita et moribus vere sive apparenter tantum honestis, ex talentis, quae vere ei conveniunt, sive quae per errorem ei convenire putantur; ideo ius in *famam extraordinariam*, quae fundatur in donis et talentis singularibus e. g. insignis theologi, oratoris, iurisperiti, medici etc., si haec reipsa non possidet, nemo habet. Quocirca manifestatio erroris, quo fama extraordinaria nititur, non est contra iustitiam nec contra caritatem, modo adsit motivum rationabile illum manifestandi.

3. *Etiam mortui ius in famam habent:* etenim omnia adsunt, quae requiruntur, ut ius in famam habere dicantur, cum adhuc consistat subiectum iuris, anima eorum immortalis, et famam, qua inter homines vivunt, magni faciant et retinere cupiant; ergo peccatum est contra iustitiam mortui alicuius famam laedere, sive pridem sive recenter defunctus est. Cum tamen mortui fama minus indigeant, per se minus peccatum est mortui quam viventis famam laedere, etsi mortale esse possit.

a. Patet etiam *personas morales* ut civitates, ordines religiosos, monasteria suam famam et *ius in famam habere:* sicut enim aptum subiectum sunt iuris in bona fortunae, ita etiam in bonum famae et honoris.

b. Qui vero in aliquo loco omnino *ignoti* sunt, nec famam et proinde neque ius in famam habent.

Articulus secundus.

De detractione et calumnia.

644. Declaratio. 1. Duplici modo fama alterius iniuste violari potest, aut detractione aut calumnia. *Detractio* est laesio iniusta (et occulta) alienae famae, quae fit revelatione criminis veri aut quod verum esse bona fide creditur; *calumnia* autem est laesio iniusta (et occulta) alienae famae, quae fit narratione criminis falsi.

Alii in definitione detractionis (et calumniae) cum *s. Thoma* addunt vocem *occulta*[1]), alii eam omittunt. Qui eam addunt, solam

[1]) *Summa* II II. q. 73. a. 1.

laesionem famae absente infamato prolatam dicunt detractionem, et laesionem famae coram infamato prolatam meram contumeliam appellant; qui eam omittunt, laesionem famae coram infamato prolatam vocant contumeliam cum detractione coniunctam.

2. Distinguitur detractio (et calumnia) *directa,* quae fit ex intentione famam laedendi; et *indirecta,* quae fit ex levitate et loquacitate absque intentione diffamandi.

Secundum alios detractio et calumnia fiunt *directe,* quando alterius vitia narrantur, quod obtinet quatuor modis: si falsum crimen imponitur, si verum amplificatur, si occultum manifestatur, si opus bonum sinistre accipitur. Eaedem fiunt *indirecte,* quando alterius dotes minuuntur, quod iterum quatuor modis accidere potest: negando bona opera proximi, illa minuendo, aliis laudantibus tacendo, frigide laudando.

645. Detractionis et calumniae malitia moralis. *Detractio et calumnia sunt peccata ex genere suo mortalia contra iustitiam:* nam laedunt strictum ius, quod alius in famam suam habet; peccatum autem contra iustitiam commutativam ex genere suo mortale est. Insuper furtum est peccatum ex genere suo grave contra iustitiam; ergo a fortiori detractio et calumnia, quia fama maius bonum est quam divitiae[1]). Ex *parvitate igitur materiae* utraque leve peccatum esse potest. Saepius autem peccata detractionis levia erunt ex imperfectione actus, praesertim ob inadvertentiam ad damnum proximi.

a. Huc refertur *susurratio* (Ohrenbläserei), quae est detractio seu calumnia, qua seminantur discordiae inter amicos; ergo susurratio a detractione et calumnia differt ratione finis, quia committitur ad occulte solvendam amicitiam et ad discordiam seminandam. Hinc ceteris paribus gravius peccatum est simplici detractione, quia alium insuper privat bono pacis et amicitiae cum proximo suo.

b. Ad committendum peccatum detractionis necesse non est, ut detractor intentionem habeat proximo detrahendi eique in fama nocendi, sed sufficit, ut advertat ex iis, quae narrat, sequi famae denigrationem.

646. Norma diiudicandi gravitatem. Detractionis et calumniae gravitas desumitur ex gravitate damni, quod

[1]) Prov. 22, 1. Eccl. 41, 15.

alius patitur in fama; gravitas autem damni non ex sola gravitate criminis, quod manifestatur, sed etiam ab adiunctis tum detrahentis tum personae, cui detrahitur, dependet. Hinc ad diiudicandam horum peccatorum gravitatem attendendum est:

a. Ad *defectum,* qui narratur: manifestatio defectus *gravis* ordinarie notabiliter, et manifestatio defectus *levis* ordinarie leviter famam laedit;

b. Ad condicionem detrahentis: vir gravis et prudens magis nocet, quam levis et garrulus;

c. Ad condicionem laesi scilicet ad famam, qua apud homines gaudet, et ad dignitatem, qua inter alios eminet: qui namque est integrae famae et magnae dignitatis, multo maius detrimentum ex detractione vel calumnia experitur.

Hinc fieri potest, ut grave damnum inferatur, si de aliquo narratur peccatum leve vel etiam defectus inculpabilis, ut si quis de episcopo dicat eum esse mendacem vel illegitimae originis; econtra de aliquo narrare grave peccatum solum levis detractio esse potest, ut si quis de milite vel de iuvene levioris indolis dicat eum esse amantem puellarum, fuisse ebrium: quaedam enim vitia in personis determinatae condicionis adeo frequenter occurrunt, ut in iis iam fere supponi soleant et proinde earum famae non graviter noceant; eadem vero vitia de sacerdote narrare propter condicionem personae mortale est.

647. Applicationes. 1. *Naturales defectus* manifestare, e. g. aliquem dicere ignarum, indoctum, imprudentem, illegitimum etc., ordinarie non est grave peccatum, quia omnes norunt eiusmodi defectus non esse imputandos ideoque famam notabiliter non minuunt. Insuper haec publice nota esse solent. Si tamen inculpabilis defectus vere probrosus sit, si insuper homines ex eius revelatione graviter contristentur, et maxime si damnum patiantur, eius revelatio etiam grave peccatum esset sive contra iustitiam sive contra caritatem.

2. Aliquem in genere vocare *superbum, avarum, iracundum, pigrum* etc. ordinarie non est grave peccatum, quia eiusmodi defectus magis naturalem inclinationem quam personalem culpam, aut solum defectus veniales, non autem peccata mortalia significant; defectus autem inculpabiles aut solum veniales revelare ordinarie graviter non nocet.

3. *Unicum peccatum grave pluribus narrare* ordinarie erit detractio gravis, quia grave damnum in fama proximo infertur, e. g. narrare aliquem esse concubinarium, iniustum, latronem.

4. Defectum gravem manifestare *unico viro prudenti,* qui rem non est divulgaturus, certo non est mortale, si fiat ex rationabili causa, si quis e. g. iniuriam acceptam narret amico suo ad solatium inde capiendum, licet aliqua infamatio auctoris inde sequatur. Si autem fiat sine rationabili causa, duplex exsistit sententia: eorum, qui censent etiam in hoc casu grave damnum inferri, et eorum, qui censent damnum famae in hoc casu non esse notabile. Cum sententia, quae grave damnum neget, vere probabilis sit, practice eam sequi licet. Ideo grave peccatum non committit uxor, quae cum marito suo communicat etiam graviter infamantia, quae de proximo comperisset, dummodo maritus sit prudens et tacitus. Quodsi adsit iusta ratio ea communicandi a peccato immunis est.

Qui *affirmant* esse grave ut *Molina, Lessius, Lugo, Salmanticenses* et alii, communiter in hunc modum argumentantur: contumelia graviter honorem laedit, etiamsi ab uno tantum fiat; insuper iudicium temerarium in re gravi grave peccatum est; ergo a pari laesio famae penes unum virum gravem gravis censeri debet. Qui autem cum *S. Thoma, Navarro, Bonacina, Tamburini negant* esse grave, hanc rationem afferunt: fama in plurium aestimatione consistit; qui ergo apud unum alterumve virum prudentem famam amisit, non censetur grave damnum famae subiisse. Ad argumenta autem prioris sententiae hi auctores negant paritatem. Et sane contumelia fit praesenti; iudicium autem temerarium magis calumniae quam detractioni comparandum est; sed alicui imponere grave crimen mortale est. — Omnes autem excipiunt casum, quo crimen manifestatur ei, cui delinquens prae reliquis omnibus maxime illud celare vellet.

5. Nihil *speciale,* sed solum generalia de aliquo dicere per se non est peccatum mortale; si tamen generalia eo modo proferantur, ut audientes grave aliquid suspicari debeant, mortale esse potest, e. g. si dicas te quaedam scire, quae si proderentur, alterum magno opprobrio afficerent, vel te scire quaedam de illa persona, quae revelare prohibeat caritas.

6. Rem gravem de aliquo narrare *tamquam auditam ab aliis*

a. grave est contra iustitiam, si narrans praevideat audientes ob motiva a se allata crediturus esse, ut si dicat se rem accepisse a persona fide digna: in hoc enim casu est damni causa efficax;

b. grave est contra caritatem, si praevideat audientes crediturus esse non ob motiva a se allata, sed ob ipsorum levitatem aut malitiam: etsi enim damnum infamati non narranti sed audientium levitati tribuendum sit, unusquisque tamen tenetur impedire grave damnum proximi, quod tacendo commode impedire potest;

c. leve aut nullum peccatum est, si praevideat audientes non esse credituros, quia proximo aut leve aut nullum damnum infert.

7. Qui narrat crimen occultum patratum, *quin nominet personam* (e. g. in hoc loco accidit), non peccat, si audientes in cognitionem personae devenire non possunt; peccat autem graviter, si vel rem ita describit, ut persona facile cognosci possit, vel si in familiam aut monasterium aut ordinem religiosum illius personae gravis infamia ex narratione redundat, quod fieri potest, si quis personam tacens dicat membrum huius familiae vel ordinis tale crimen commisisse.

8. De eo, qui in aliquo crimine iam diffamatus est, narrare *defectum communiter cum illo connexum* e. g. de latrone narrare periurium, de marito ebrioso ipsum esse rixatum cum uxore non est grave, quia infamia exinde notabiliter non augetur; at *defectum omnino disparatum* de eo narrare ordinarie gravis diffamatio est: qui enim in una re e. g. in castitate famam amisit, non ideo amisit famam in altera etiam qualitate e. g. in doctrina; sed potest in una bonam, in altera malam famam habere.

9. Dicere *in tali civitate* omnes vel plerosque esse iniustos, gravis diffamatio censetur, quia singulorum fama graviter laeditur. At dicere in tali civitate multos esse iniustos, nisi ad determinatas personas referri possit, grave non est, quia nemo determinatus laeditur. Hinc si quis per enormem exaggerationem dicat in tali civitate omnes mercatores esse defraudatores, omnes virgines esse corruptas, et audientes iudicent multos esse eiusmodi, nec tamen vitium ad determinatas personas referant, non videtur graviter peccare.

10. De aliquo *ordine religioso* vel de aliquo monasterio dicere religiosos in eo male vivere vel non servare regularem disciplinam gravis detractio est, nisi res plane notoria sit: nam tum integra religio vel domus tum singula eius membra hac diffamatione grave damnum patiuntur, quia de singulis suspicio inducitur.

11. Non licet revelare alterius crimen occultum simul *addendo poenitentiam* de eo peractam: semper enim sinistra quaedam opinio in aliis remanet, cum denigratio famae ex manifestatione delicti non penitus auferatur per cognitionem poenitentiae.

12. *Vitium gentis* vel integrae nationis in genere referre e. g. eam esse superbam plerumque non est peccatum, aut veniale tantum, quia aut de re nota agitur, aut de naturali indole, non de peccatis personalibus, aut de multis indeterminat s intelligitur[1]).

---

[1]) Cf. Tit. 1, 12.

648. Malitia specifica et numerica. 1. *Detractio et calumnia sunt peccata specifice diversa,* non quatenus famam laedunt, sed quatenus calumnia ad detractionem malitiam mendacii addit; haec tamen malitia, utpote contra veracitatem, non est mortalis.

Ergo *per se* necesse non est, ut in confessione declaretur, utrum detractione an calumnia proximi fama laesa fuerit; plerumque tamen confessarium id nosse oportet, tum ut gravitas peccati tum ut modus restitutionis determinari possit.

2. *Detractiones in materiis specie diversis (e. g. aliquem latronem et adulterum dicere) non sunt peccata specie diversa:* fama enim moraliter est eiusdem rationis, quaecunque sit praerogativa, in qua fundetur; ergo etiam laesiones famae sunt eiusdem speciei, sicut omnes laesiones in bonis fortunae eiusdem speciei sunt.

Sententia opposita, quae *s. Alphonso* (n. 48) videtur *probabilior*, hocce argumento utitur: tot committuntur diversa peccata, quot diversae famae proindeque diversa iura laeduntur; atqui tot diversae famae et diversa in famam iura laeduntur, quot crimina specifice diversa proximi revelantur: alia enim est fama, quam aliquis e. g. habet de iustitia, et alia, quam habet de castitate, et utrique suum respondet ius. — Verum etsi concedendum sit aliam esse famam, quam aliquis habet de iustitia, et aliam, quam habet de castitate, utraque tamen non est specifice diversa, sed est eiusdem speciei. Pari modo alia est proprietas, quam aliquis habet pecuniae, et alia, quam habet domus et silvae; sed tamen utraque est eiusdem speciei. Cum priorem sententiam etiam s. Alphonsus habeat probabilem, imprudenter confessarius detractionis materiam a poenitente exigeret, ubi id ex alia ratione non sit necessarium; sufficit ergo dicere; *alienam famam graviter laesi.*

3. *Qui coram pluribus alicui detrahit,* unicum tantum peccatum committit, quia unicum tantum ius in famam laedit: fama enim natura sua in plurium aestimatione consistit; peccatum tamen extensive eo gravius est, quo plures sunt, qui detractionem audiant[1]).

---

[1]) *Lugo,* De poenit. disp. 16. n. 112. Cf. *s. Alphonsus* l. 5. n. 49.

Articulus tertius.

De licita revelatione criminis alieni.

649. Declarationes. Crimen alienum, quod manifestatur, vel *publicum* vel *occultum* est.

a. *Occultum* dicitur crimen, quod non est publice notum, etsi ab aliquibus sciatur vel iam aliquis de eo rumor spargatur, modo spes sit illud non esse ad cognitionem communitatis perventurum. *Publicum* seu notorium dicitur crimen, quod multis alicuius communitatis hominibus iam notum est.

b. Duplex distinguenda est *publicitas* seu notorietas: iuris et facti. Delictum dicitur *iure publicum,* si de eo constat per sententiam iudicis, et dicitur *facto publicum,* si multis alicuius communitatis hominibus notum est, sive quia crimen publice coram multis commissum fuit, sive quia occulte quidem commissum, postea vero per evulgationem factum est publicum.

Quot personis notum esse debeat crimen, ut facto publicum dici possit, determinari nequit. Universim dicendum est: quando tot personis innotuit, ut attenta communitate, rei qualitate, garrulitate hominum etc. iam celari amplius non possit, sed brevi tempore innotescet, facto publicum censeri debet. Plerique theologi has regulas statuunt: crimen publice notum est, si in collegio, quod triginta personis constat, septem, in collegio, quod centum personis constat, quindecim, in pago, qui mille personis constat, viginti per illud dispersi, in oppido quinque millium civium quadraginta dispersi id sciant.

c. Communitas, in qua notum est aliquod crimen, vel est communitas *clausa* (collegium, monasterium, seminarium etc.) vel communitas *patens* (urbs, oppidum, pagus etc.); iam vero crimen, quod notum est in communitate patenti, dicitur *absolute et simpliciter* publicum; crimen autem quod notum est solum in communitate clausa, dicitur *relative et secundum quid* publicum.

Nota. 1. Publice notum censetur etiam defectus vel delictum, quod in damnum communitatis ab eo committitur, qui munere publico fungitur: qui enim eiusmodi munus acceptat, iudicio publico se sub-

mittit, ita ut eius actus publici ab aliis diiudicari possint. Pari modo publicae censentur res omnes, quae publice geruntur, ut concionatorum, professorum actus, qui proinde aliorum prudenti aestimationi subiacent.

2. Crimini publice noto aequiparatur crimen, cuius divulgationem delinquens non curat, quin etiam sibi placere ostendit: consentienti enim non fit iniuria.

650. De revelatione criminis occulti. 1. Ex iusta causa licitum est manifestare crimen alienum occultum, dummodo serventur debitae condiciones. Eiusmodi causa iusta est bonum commune vel bonum privatum sive revelantis sive audientium sive ipsius delinquentis. Ius enim in famam falsam cessat, quando bonum sive publicum sive privatum promovetur, eo quod occulti aliorum defectus manifestentur.

a. Ergo non solum ex praecepto correptionis fraternae crimen occultum filiorum parentibus et subditorum superioribus licite significari potest, ut rei emendentur, sed etiam ex vera caritate defectus occulti aliis revelari possunt, ut vel orationibus vel aliis mediis ad emendationem delinquentis concurrant: bonum enim spirituale delinquentis eius famae praeferendum est.

b. Ideo excusantur ii, qui solatii vel consilii causa amico narrant iniuriam ab alio sibi factam, item famuli revelantes iniurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, religiosi a praelato etc., licet inde aliqua infamia auctori iniuriae proveniat. — Item si quis de falso crimine accusatur, licite potest accusantis occultum crimen aperire ad minuendam eius fidem et auctoritatem. Quin etiam reo id licet, dummodo manifestatio necessaria sit ad vim testimonii invalidandam. Nemo enim tenetur cum tanto suo incommodo tueri famam alterius praesertim iniuste laedentis.

c. Ideo licite minuitur alterius fama, ubi aestimatio falsa de eius doctrina et probitate aliis est perniciosa, si damnum grave et notabile, quod aliis imminet, alio modo impediri non potest. Bonum enim praesertim spirituale innocentis praeferendum est famae nocentis.

Ideo cum agitur e. g. de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, de assumendo medico, praeceptore, famulo etc., licet manifestare occultos alterius defectus, inhabilitatem, vitia, unde aliquod detrimentum merito timetur. — Qui novit aliquem esse furem, potest id manifestare iis, quibuscum ille habitat, ut sibi caveant. — Quilibet privatus delictum alterius ad iudicem deferre potest, ut illius punitione bonum commune promoveatur.

2. In eiusmodi tamen revelationibus *duplex condicio* servanda est: *a.* ut damnum, quod per revelationem cavetur, sit proportionatum damno, quod ex manifestatione vitii alteri infertur; proportionatum autem censetur, si damnum vitandum sit grave, quamvis maius damnum sequatur diffamato, quia ius innocentis potius est, non tamen si leve aut longe minus sit; *b.* ut revelatio fiat cum minimo nocentis damno, i. e. ne manifestetur pluribus, quam opus sit, neve reveletur persona, si opus non sit, neque manifestetur, quin antea moneatur delinquens, si monitio sine gravi incommodo fieri possit et ad finem intentum profutura speretur.

651. De revelatione criminis publici. 1. Crimen, *quod iure publicum est,* ubique sine alia causa excusante manifestari potest, *nisi emendatum et oblivione deletum sit.*

a. Iudex enim delinquentem sententia iudiciali non solum fama, sed etiam iure in famam in hac materia privat, idque in perpetuum, et sicut ipse sententiam publicandam curat, ita aliis omnibus licentiam tribuit eam ulterius divulgandi, ut omnes sibi a scelestis hominibus cavere possint[1]). Quare peccatum non est publice scribere vel loqui de crimine, propter quod aliquis carcere vel alia poena punitus est.

b. Denuo revelare crimen, quod *iure* publicum erat, sed nunc *emendatum et oblivione deletum est,* non est quidem *contra iustitiam,* quia vis sententiae iudicialis, quae delinquentem iure in famam spoliaverat, semper durat, sed *contra caritatem* est, si quis criminis memoriam sine utilitate in illis adiunctis instaurat, in quibus praevidet audientes illum tamquam criminosum habituros esse, qui iam se emendavit, ipsumque grave damnum laturum esse.

2. Crimen, *quod facto,* et quidem *simpliciter publicum est,* tum eiusdem communitatis membris tum extra communitatem, sine alia causa excusante manifestari potest, *nisi emendatum et oblivione deletum sit.*

a. Ad bonum publicum expedit, ut unusquisque cognoscatur qualis publice revera est, ne homines damnum patiantur, eo quod improbi aut imperiti pro probis aut peritis habentur. Ideo de rebus publice notis et de iis, quae publice aguntur, unusquisque coram omnibus etiam nescientibus libere loqui potest, quamvis aliorum aestimatio inde minu-

---

[1]) *Lugo* disp. 14. n. 72.

atur. Cavere tamen debet, ne veritatis limites excedat, neve sine utilitate aliis damnum inferat.

b. Denuo revelare crimen, quod *facto* publicum erat, sed nunc emendatum et *oblivione deletum* est, non solum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam est, quia per oblivionem res ad eum statum redit, quo ante criminis publicitatem erat, et proinde etiam ius ad famam reviviscit[1]).

c. Ad quaestionem, *num crimen facto publicum in uno loco, divulgari possit in alio loco dissito,* haec notanda sunt:

α. Si crimen intra breve tempus in illo loco iuste publicum fiet, licite divulgari potest: nam fama intra breve tempus certo amittenda nullius amplius valoris est, ergo eius amissio nullum damnum infert. Aliud dicendum est de anticipata amissione vitae, quia quodvis vitae momentum, quo praemium aeternum promereri possumus, maximi est valoris.

β. Si criminis fama (saltem intra breve tempus) ad illum locum perventura non est, alii quidem omnia crimina manifestare permittunt, quia ad bonum publicum expedit, ut unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publice est, ne homines in relationibus, quas cum ipso habent, decipiantur[2]); alii vero de illis tantum criminibus id permittunt, quae hominem aliis reddunt perniciosum ut crimina homicidii, proditionis, scandalosae impudicitiae etc. Etiam prima sententia probabilis est, cum eius ratio de omnibus criminibus et defectibus valeat[3]).

3. Crimen, quod *facto,* sed solum *relative publicum est,* membris eiusdem communitatis manifestari potest, at extra illam communitatem idem citra iniustitiam manifestari non potest.

Delinquens enim extra suam communitatem famam non amisit, cum membra communitatis clausae ea, quae intra communitatem nota sunt, extra communitatem occultare soleant, nec ordinarie ulla est ratio, quae ulteriorem divulgationem necessariam aut utilem ostendat. Ideo licite quidem loquuntur domestici inter se de crimine religiosi, quod in domo vel monasterio notum est; at non licet eis de illo loqui cum externis nec cum religiosis alterius monasterii sive eiusdem sive diversi ordinis[4]).

652. De scriptoribus ephemeridum. Ut determinetur, quid scriptoribus ephemeridum liceat quidve non liceat, condicones

---

[1]) *Lugo* disp. 14. n. 85. cum *Molina:* cf. tamen *Lessius* l. 2. c. 11. n. 82, qui putat solum contra caritatem peccari.

[2]) *Lugo,* l. c. n. 80 ss.

[3]) *S. Alphonsus* n. 974.

[4]) Cf. *Lacroix* l. c. n. 1221.

praesentis temporis prae oculis haberi debent, in quibus foliis publicis pro munere suo tam magnus influxus in vitam publicam tum politicam tum socialem competit. Quare iis, qui folia catholica moderantur, ampla, quatenus per leges morales licet, loquendi atque iudicandi facultas concedi debet: nisi enim hoc fieret, pravis foliis locus plane cederetur.

a. Res novas omnes narrare possunt: cum enim lectores exspectent, ut de omnibus recenter factis sive bonis sive malis doceantur, etiam crimina, defectus etc., quae vel iure vel facto saltem in uno loco, publica sunt, licite renuntiant; quae vero occulta sunt indagare atque indagata divulgare non licet, nisi bonum commune vel bonum tertii vere grave manifestationem licitam reddat. Cum res ista iudicatu difficilis sit, magna discretione et cautela opus est.

b. Res publicas publice diiudicare possunt: quae enim publice aguntur, praesertim ab iis, qui munere publico funguntur, censurae publicae subiici possunt. Quapropter referre possunt actus iniustos et defectus, qui a magistratibus in officio implendo in damnum communitatis committuntur. Hoc modo religionis catholicae inimici a vexationibus sive religioni sive piis hominibus inferendis deterreri possunt, cum officiales valde timeant, ne eorum actiones iniustae per ephemerides divulgentur et censurae subiiciantur.

c. Scriptoribus ephemeridum (id quod praesertim tempore electionum valet) licitum est eorum, qui in supremos magistratus reipublicae aut communitatis vel in comitia eligendi sunt, occulta crimina vel defectus, qui candidatum indignum reddunt, manifestare, tum quia bonum commune id postulat, tum quia ex consuetudine universali candidati quoad hoc censentur iure suo cedere, simul ac munus publicum ambiunt. Certo tamen damnandi sunt publicistae, „qui vel pruritu omnia divulgandi vel studio partium abducti ea etiam attingunt crimina, quorum notitia nihil confert ad bonum publicum“, eo vel magis, si invehunt in crimina et defectus hominum, qui altiore munere funguntur.

653. **Historiographis** maior quaedam licentia in narrandis defunctorum vitiis et criminibus concedi solet: possunt enim absque peculiari ratione boni communis aut privati crimina etiam occulta illorum, quorum contexunt historiam, litteris consignare, ut eorum exstet memoria, et possunt crimina oblivione iam deleta iterum exsuscitare, idque ex multiplici ratione. Imprimis ex generali fine historiae: nam ut historia esse possit id, quod esse debet, magistra vitae, testis veritatis, vindex iustitiae divinae etc., omnino requiritur, ut factorum etiam causae et effectus manifestentur, id quod criminum etiam occultorum revelationem exigit.

Deinde ad utilitatem publicam confert vitiorum et criminum prudens narratio: horror enim et abominatio criminis incutitur, a malo homines absterrentur, principes ad vitia punienda excitantur. Tandem etsi per se non liceat, ne defuncti damnati quidem (supposito quod sciatur eum esse damnatum), famam proscindere, licet tamen hominis impii, qui etiam post mortem influxum damnosum exercere pergit, occulta crimina narrare, ut eius auctoritas destruatur aut minuatur.

Tria tamen de hac re notari debent: *a.* In conscribenda historia recentis aetatis cavendum est, ne ex narratione criminum personae defunctae superstites coniuncti damnum patiantur. *b.* In conscribenda historia sive recentis sive prioris aetatis cavendum est, ne ex narratione criminum status aliquis e. g. clericalis, episcopalis ita diffametur, ut inde scandalum oriatur, quod bono ex manifestatione sperando maius sit. *c.* Cum nunc temporis tabularia etiam secretiora omnibus aperiantur et vera cupido ceperit eruditos divulgandi quaecunque inibi reperiri possunt, praestat, ut catholicus secundum veritatem narret ea, quae per se silentio tegenda essent, quam ut ab adversario ecclesiae adulterata promantur[1]).

Articulus quartus.

De audiente detractionem.

654. Quomodo peccet. 1. Qui audit detrahentem et detractionem *non impedit,* quam facile impedire potest, dupliciter peccat contra caritatem, imprimis quia non impedit peccatum detrahentis illum corrigendo, deinde quia non avertit malum ab infamato: quilibet enim ex caritate tenetur malum a proximo suo avertere, si commode potest.

Superior quoque, qui detractionem audit, *ex caritate,* at neque infamantis neque infamati superior eam *ex iustitia* impedire tenetur: non infamantis superior, quia solum subditum suum corrigere, non autem bono aliorum invigilare debet; non infamati superior, quia ratione sui muneris solum boni spiritualis, non autem temporalis suorum subditorum curam gerere debet.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 87 ss. *Lehmkuhl* I. n. 1183 *Ballerini-Palmieri* II. n. 1097.

Quilibet igitur, etiam persona privata, in materia gravi sub gravi ex caritate detractionem per se impedire tenetur, attamen ut audire et non impedire detrahentem sit grave peccatum, requiritur: *a.* ut alter certo et iniuste detrahat: fieri enim potest, ut adsit iusta causa alterius vitia narrandi, quae causa in persona gravi et timorata supponi debet; *b.* ut certa spes sit detractionem impediendi: saepe enim fit, ut detractor ex correptione potius excitetur ad augendas detractiones; *c.* ut detractio absque gravi incommodo impediri possit; eiusmodi incommodum essent convicia, quae timet, vel magna verecundia, quam pati debet impediens detractionem.

Hinc personae privatae fere semper a mortali excusantur, si detractionem ex negligentia, verecundia aut timore non impediant; et ab omni peccato excusantur, si timent, ne in maiora erumpat detractor aut ne ipsi graviter eum offendant. A fortiori omni culpa carent, qui advertentes detractionem discedunt, sermonem alio divertunt vel signo aliquo ostendunt hunc sermonem sibi displicere: hac ratione enim indirecte detractionem impedire conantur.

2. Qui *voluntarie audit* detrahentem, ita ut de diffamatione proximi gaudeat, attamen ad eius damnum non cooperatur, affectu *contra iustitiam* peccat, quia detrahenti consentit, ideoque interno affectu idem peccatum committit.

a. Qui contra voluntatem suam detrahentibus interesse debet nec detractionem impedire potest, ut e. g. famuli mensis inservientes vel in officinis clientibus ministrantes, nullatenus peccat, dummodo nec directe nec indirecte detractiones provocet nec audita aliis narret, nisi publica sint.

b. Qui non de detractione, sed solum de modo narrandi aut de rei novitate etc. gaudet, moraliter non peccat, quia haec non ad odium nec ad iniustitiam, sed summum ad otiositatem et curiositatem pertinent, quae nonnisi leviter mala sunt.

3. Qui alium directe vel indirecte *inducit* ad detrahendum in materia gravi sive illum provocando sive interrogando sive approbando, graviter peccat contra iustitiam, quia alium ad peccatum contra iustitiam provocat et sic causa est damni, quod tertius in fama patitur.

Qui tamen *privatim* alterius crimen ab alio expiscatur absque intentione illud divulgandi, non videtur graviter peccare, tum quia alterius famae non graviter nocet, tum quia magis ex curiositate quam ex intentione alium laedendi agit.

Articulus quintus.

De restitutione famae.

655. Obligatio detractoris et calumniatoris. 1. Detractor *iniustus* tenetur ex iustitia *a.* reparare quamprimum famam iniuste ablatam; *b.* reparare omnia damna temporalia, quae saltem in confuso ex diffamatione secutura praevidit: nam horum omnium est causa efficax et iniusta. Et prior quidem obligatio restituendi famam est *personalis,* ideoque non transit ad heredes; posterior autem reparandi damna temporalia est *realis,* proindeque ad heredes transit.

α. Calumniator ergo semper, detractor vero tum solum ad restitutionem famae tenetur, cum sine iusta causa alteri in fama nocuit, quia tum solum est causa damni iniusta.

β. Fieri potest, ut laesio famae levis grave damnum in bonis fortunae inferre possit; cum levi ergo detractione simul coniuncta esse potest gravis obligatio reparandi damna temporalia ex detractione orta, ut si quis narrat garrulum esse, quem audiens narrationem ad munus secretarii assumere vellet[1]).

γ. Qui famam laesam restituere non potest, non tenetur eam pecunia compensare, quia fama et pecunia non sunt bona eiusdem ordinis; si tamen diffamator per sententiam iudicis ad compensationem in pecunia praestandam condemnatur, iustae sententiae iudicis (ex iustitia vindicativa) parere debet.

δ. Qui alium diffamando (ex parvitate materiae) solum leviter peccavit, famam reparare debet sub levi, ideoque eam reparare non tenetur cum gravi suo incommodo: qui autem graviter peccavit, etiam cum gravi suo incommodo eam reparare debet; obligatio enim gravis iustitiae obligat cum incommodo proportionate gravi; si tamen damnum, quod diffamator pati deberet, multum excederet damnum diffamati, a restitutione excusaretur.

2. Detractor *non iniustus,* qui ex inadvertentia vel ex errore inculpabili alterius famam laesit, tenetur ex iustitia, in quantum commode potest, praecavere, ne suus sermo ulterius noceat: quilibet enim tenetur impedire ulteriora damna ex sua actione provenientia; ad id autem non tenetur cum gravi suo incommodo, quia inculpabiliter

---

[1]) Cf. *Génicot* I. n. 419.

alteri nocuit, nec tenetur, si praevidet retractationem fore inutilem (n. 454, b).

Qui retractationem debitam culpabiliter omittit, tenetur reparare damna, quae ex hac omissione sequuntur et aliquo modo praevisa sunt, etiam cum gravi suo incommodo, quia horum est causa culpabilis.

Ad quaestionem, *num fama reparari debeat non solum apud audientes*, sed etiam apud eos, *qui mediate diffamationem acceperunt,* distinguendum est. Si detractor praevidit audientes facile diffamationem evulgaturos esse, ut si absque secreto hominibus levibus et garrulis narrasset, per se tenetur, quia est causa efficax et iniusta damni: quia tamen causa damni mediata est, solum aliis, causis scilicet immediatis, deficientibus ipse tenetur. Quodsi damnum futurum non praevidit, quia sub secreto iis, quos prudentes iudicabat, narravit, non tenetur, quia non est causa damni theologice culpabilis. Dicitur *per se,* quia in praxi detractores plerumque excusantur ab obligatione restitutionis apud eos, qui mediate detractionem acceperant, tum quia moraliter impossibilis est, tum quia per retractationem factam apud eos, qui immediate rem acceperunt, implicite his committunt, ut etiam retractationem divulgent[1]).

656. Quomodo restituenda sit fama. Aliter a calumniatore et aliter a detractore restituenda est.

1. *Calumniator* tenetur apud audientes modo efficaci dicta retractare etiam cum iactura propriae famae vel alterius boni, quia melior est condicio innocentis quam rei; tum tantum excusatur, quando damnum, quod ipse pati deberet, multum excederet damnum diffamati.

Hinc si ad efficacem retractationem id requiritur, calumniator fateri debet se mentitum esse. Si retractatio non esset efficax, nisi iuramentum addatur aut testes adhibeantur, haec media adhibenda essent, quia non censentur admodum difficilia. Qui libro typis edito alterum calumniatus est, etiam revocationem, ut sit efficax, typis divulgare debet.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 15. n. 16.

2. *Detractor* stricte retractare nequit, ne mentiatur, sed alio modo famam laesam reparare debet; et primo quidem adhibendo verba aequivoca. Itaque dicere potest se iniuste locutum fuisse, se iniuriam alteri fecisse, se errasse, se deceptum fuisse; non autem: se falsum dixisse vel se mentitum esse. Quoniam autem ex his loquendi formulis plerique coniiciunt verum esse, quod non aperte falsum declaratur, saepissime damnum efficacius reparabit detractor data occasione diffamatum laude et honore prosequendo, eius vitia excusando etc.

657. Causae a restitutione famae excusantes quinque numerari solent:

a. Si prudenter iudicetur nullum famae detrimentum secutum esse, aut quia audientes detractioni non crediderunt, aut quia alius detrahentem corrigendo damnum impedivit: nam ut adsit obligatio reparandi famam, requiritur moralis certitudo de damno causato.

b. Si damnum iam sublatum sit, aut quia per iudicis sententiam aliorumve testimonium fama reparata fuit, aut quia decursu temporis diffamatio oblivione deleta est.

c. Si alter aut expresse aut tacite condonaverit, modo condonare potuerit; condonari autem iniuria facta non potest, si ex condonatione damnum aliorum sequeretur. Quandoque etiam condonatio praesumpta sufficit. „Et hac ratione, ait *Sporer,* communiter homines maxime plebei inter se excusantur a restitutione famae."

d. Si restitutio moraliter vel physice impossibilis est. Ideo excusatur, qui famam reparare solum posset cum vitae periculo; item qui multo maius famae aut honoris damnum pateretur, quam diffamato illatum fuit; tandem si diffamator illos, qui detractionem audierunt, ob nimiam distantiam convenire non potest, aut si delictum alia via factum est publicum.

e. Si etiam laesus diffamantis famam violavit et restituere recusat: non enim tenetur ius suum alteri reddere, si hic recuset reddere ius, quod ipse ei debet[1]).

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14 n. 44. *S. Alphonsus* n. 999.

Quaestio quarta.

De laesione honoris.

Honor laeditur *interne* per iudicium temerarium, *externe* per contumeliam.

Articulus primus.

De iudicio temerario.

658. Definitio. *Iudicium temerarium* est firmus mentis assensus de peccato alterius sine ratione sufficienti conceptus.

a. Differt ergo ab *opinione* temeraria, quae est mentis assensus non firmus sed probabilis de malo alterius absque motivo sufficienti; a *suspicione* temeraria, quae est suspensio quidem iudicii, cum propensione tamen iudicandi sine sufficienti motivo alium esse malum; a *dubitatione* temeraria, quae est suspensio iudicii de malo proximi absque sufficienti motivo dubitandi.

b. Si quis igitur ex ratione sufficienti, quia e. g. ab homine fide digno audivit, de alio sinistre iudicat, iudicium est iustum et prudens, licet forte erroneum. Item si quis de proximi malitia opinionem vel dubitationem mente concipit, quando adest ratio sufficiens opinandi vel suspicandi, non peccat temeritate. Quodsi opinionis aut dubitationis non exsistant sufficientia motiva, erunt actus temerarii ideoque plus minusve peccaminosi.

659. Malitia moralis et specifica. *a. Iudicium temerarium est peccatum ex genere suo mortale et quidem contra iustitiam.* Praeceptum enim Christi est: *Nolite iudicare et non iudicabimini; nolite condemnare et non condemnabimini*[1]). Et sane qui sinistre de proximo iudicat advertens non adesse motivum sic iudicandi, ex malitia alium contemnit et pertinaciter in hac mala voluntate persistit; sed hac ratione gravis iniuria proximo infertur, qui ius habet,

[1]) Luc. 6, 37. Matth. 7, 1 s.

ne cum contemptu iudicetur malus, donec probetur malus et aegerrime fert, si sciat se ab aliis temere iudicari et condemnari[1]).

Contra gravem malitiam iudicii temerarii hanc movent difficultatem: aliquem diffamare apud unum virum, qui eius crimen non est divulgaturus, leve peccatum est; atqui per iudicium temerarium aliquis proximum apud semetipsum diffamat sine periculo divulgationis. Huius argumenti alii negant maiorem (n. 647, 4.), alii autem respondent: iudicium temerarium non detractioni sed calumniae comparandum est; sed alteri grave crimen per calumniam imponere est grave peccatum. Deinde in detractione non habetur ille contemptus, qui iudicium temerarium reddit graviter iniuriosum.

b. Omnia autem iudicia temeraria sunt eiusdem speciei moralis, quia omnia eandem hominis aestimationem idemque ius interne laedunt. Quare materia, in qua quis temere iudicavit, in confessione non est exponenda.

660. Opinio, dubitatio et suspicio temeraria ordinarie non sunt nisi *venialia,* quia proximus per ea grave damnum non patitur, cum bonam eius existimationem non penitus auferant, sed solum diminuant et insuper raro concipiantur absque ullo motivo dubitandi vel suspicandi vel opinandi.

a. Ex sententia *s. Thomae*[2]) peccatum mortale solum committitur, ubi certum iudicium ex levibus indiciis de gravi malo habetur; ergo opinari vel suspicari de alio grave malum non est mortale peccatum. Haec sententia a *s. Alphonso* (n. 964) probabilis habetur. Recentiores tamen theologi communiter addunt temere suspicari aut opinari de viro probo peccatum gravissimum, e. g. de viro, qui ab omnibus habetur pius, ipsum esse atheum, peccatum grave esse, quia etiam per hos actus proximo gravis iniuria infertur: homines enim molestius ferre solent suspicionem de nefando aliquo crimine quam certum iudicium de peccato minus gravi licet mortali[3]). Verum certa haec sententia non est.

b. Orto dubio ex aliquo mali indicio de crimine alterius, iudicium suspendere nullum est peccatum: nemo enim tenetur alium positive bonum vel innocentem iudicare, nisi moraliter de eius bonitate constet, quia nemo tenetur se exponere periculo erroris.

---

[1]) Cf. *Lessius* l. 2. c. 29. n. 11. 21. *Lugo* disp. 14. n. 11.

[2]) *Summa* II. II. q. 60. a. 3.

[3]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 14.

661. Ut iudicium temerarium sit grave peccatum, requiritur, ut sit:

a. Temere i. e. ex levi et insufficienti motivo *conceptum.*

b. In materia gravi; gravis autem fere censetur materia, quae famam notabiliter laedit (n. 646); gravior tamen materia requiritur ad constituendum grave iudicium quam gravem detractionem.

c. Firmum: si enim non sit firmum sed tantum dubium, proximo non irrogatur gravis iniuria.

d. Deliberatum, i. e. qui temere iudicat, saltem in confuso advertere debet tum ad rei gravitatem tum ad motivorum levitatem et nihilominus mentis assensum velle et imperare.

Propter defectum huius ultimae condicionis iudicia temeraria plerumque non sunt gravia peccata, quia homines, nisi sint odio ducti, contra sanam rationem iudicare non solent; sana ratio autem non iudicat absque sufficienti motivo.

Num liceat ita se gerere, ac si alter esset malus.

Non licet firmo assensu iudicare alium esse improbum, nisi de hac re certo constet; attamen nisi constet aliquem esse virtutibus acquisitis probum, necesse non est, ut positive illum habeamus hoc sensu bonum, sed sufficit, ut negative eum non iudicemus malum. Supposito autem hoc mentis statu suspendentis iudicium, licitum est ad vitandum malum ita se gerere, ac si alter esset improbus: hac enim agendi ratione nihil fit, quod esset illicitum. Et sane qui ita agit, positive non iudicat nec suspicatur alium esse malum, sed iudicium de eius improbitate suspendit et positive solum iudicat *fieri posse,* ut sit improbus; atqui hoc iudicio, quamdiu de contrario non constat, nemini infertur iniuria. Insuper quilibet ius habet praecavendi damnum, quod sibi vel suis obvenire potest. Ideo licet pecunias occludere, quia fieri potest, ut ignoti hospites sint fures.

Articulus secundus.

De contumelia.

662. Notiones. 1. *Contumelia* (Beschimpfung) est iniusta honoris alieni laesio, quae personae aliquo modo praesenti irrogatur. Sicut honor in actu externo consistit, quo quis aestimationem erga alium significat, ita contumelia in actu externo (verbo vel facto) consistit, quo quis contemptum erga alium significat ob aliquod vitium sive verum sive fictum.

a. A detractione igitur differt *obiecto:* nam honorem laedit, non famam, et *modo:* non enim instar furti occulte et contra absentem sed instar rapinae aperte committitur contra praesentem.

b. Sicut honor bono famae maior est, quippe qui famam includat, ita etiam *contumelia detractione gravior* est, si una cum honore, ut saepe fit, etiam fama laeditur. Quodsi solus laeditur honor, detractione levius peccatum est, sicut honor a fama seiunctus minus bonum est quam fama: homo enim pluris aestimat famam sine honore, quam honorem sine fama[1]).

c. Praesens aliquis esse potest vel physice vel moraliter (per aliquid, quo repraesentatur e. g. imaginem vel legatum): ad contumeliam enim sufficit, ut alter sciat vel saltem scire possit se inhonoratum esse. Contra alicuius honorem etiam ipso absente aliis tamen audientibus vel spectantibus aliquid committi potest, ut si convicia et probra in conversatione cum aliis vel in foliis publicis alicui obiiciantur. Num proprie dictae contumeliae haec sint, disputari potest; vulgo tamen pro contumeliis habentur.

2. Contumelia irrogari potest *positive* seu *dictis vel factis,* quae scilicet contemptum continent: sunt namque quaedam verba et facta, quae ex communi hominum usu contemptum significant, et per haec contumelia irrogari potest; *negative* seu *omissione facti,* quando scilicet omissio honoris debiti e. g. salutationis contemptum involvit; ista omissio ratione huius contemptus contumeliam constituit.

Pro diversa ratione, qua contumelia infertur, distinguitur *irrisio,* si quis verbis et risu, *subsannatio,* si quis gestibus ridiculis, et *improperium* et *convicium,* si quis eo contemnitur, quod vitium vel defectus ei obiicitur.

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 9.

663. Malitia moralis et specifica. 1. *Contumelia est peccatum ex genere suo mortale contra iustitiam: Qui dixerit fatri suo: fatue, reus erit gehennae ignis*[1]). Et sane proximum laedit in bono honoris, quod ex communi hominum aestimatione bonis fortunae anteponitur; atqui bona fortunae in re gravi violare est grave peccatum. *Contra iustitiam:* quilibet enim ius habet, ne contemnatur, sed ut honor secundum condicionem debitus ei deferatur.

Ut peccatum grave contumeliae committatur, necesse non est, ut verba contumeliosa proferantur cum animo alium inhonorandi, sed sufficit, ut in se vel ratione personae laesae sint graviter contumeliosa et cum plena huius rei advertentia proferantur.

2. *Omnes contumeliae, licet aliae aliis sint graviores, eiusdem sunt speciei moralis:* eadem enim essentialis malitia in omnibus reperitur, laesio scilicet honoris, sicut omnia furta, licet diversa, laedunt bona fortunae. Ergo ad integritatem confessionis non requiritur, ut quis declaret, quomodo (utrum verbis an factis et quibusnam conviciis) honorem laeserit.

664. Materiae gravitas. Quando proximus notabilem honoris laesionem patiatur, ita ut contumelia grave peccatum sit, prudenti consideratione laedentis, laesi et verborum vel factorum desumendum est.

a. Hinc merito docet *Lacroix* convicia, quibus se mulieres et infimae plebis homines dicunt meretrices, adulteras, nebulones, communiter non esse peccata gravia, quia dicentes non vere ita sentiunt et audientes non credunt eiusmodi verbis in aestu passionis prolatis[2]). Item a mortali excusantur parentes, qui filios appellant nominibus contumeliosis (stupidos, asinos), quia ex eadem ratione honorem filiorum non censentur graviter laedere. Immo si id faciant correctionis gratia, nullum peccatum committunt, etsi praestaret a verbis contumeliosis etiam in correctionibus abstinere.

b. Verba contumeliosa contra aliquem coram aliis quidem sed ipso absente prolata, gravia peccata vix sunt, nisi contumeliam proferens velit, ut offensus rem comperiat, vel praevideat rem ei communicatum iri.

---

[1]) Matth. 5, 22.

[2]) L. 3. pr. 2. n. 1224.

c. Irrisio iocosa de exiguo alterius defectu, adeo ut parvo rubore suffundatur, fieri potest sine peccato, si absque contemptu et sine alterius ira aut contristatione fiat; immo est actus virtutis eutrapeliae, si inter amicos ad honestam recreationem fiat. Peccat autem contra caritatem, qui iocando alteri parvum vitium obiiciat praevidens illum hanc rem aegre laturum esse: caritas enim et prudentia postulant, ut in iocis alterius ira vel tristitia vitetur[1]). Iocans tamen non peccat graviter, etiamsi alterum *levem* iocum *graviter* ferre sciat, quia gravis huius erubescentiae non iocantis irrisio in se levis, sed alterius insipientia causa est.

665. De restitutione honoris. 1. Qui alteri contumeliam irrogavit, tenetur honorem ablatum reddere et damna reparare, quae inde secuta et saltem in confuso praevisa fuerint: qui enim alteri per iniuriam damnum intulit, illud reparare tenetur.

Ea honoris restitutio requiritur, quae ratione modi, quo contumelia est illata, et ratione condicionis personae offensae censeatur sufficiens ad iniuriam auferendam seu ad veram aestimationem significandam. Hinc qui publice contumeliam irrogavit, publice i. e. coram iis, qui contumeliae testes fuerant, restituere debet vel saltem ita, ut reparatio ad eorum notitiam pervenire possit. Qui occulte honorem laesit, laesionem pariter reparare debet, sed sufficit, ut occulte fiat. Semper autem satisfactio fieri potest per alium, qui nomine offendentis veniam petat.

2. *Modus* reparandi honorem laesum certe is sufficit, qui ratione condicionis personae offensae veram illius aestimationem significat; patet ergo alium modum eligendum esse, ut superiori, et alium, ut aequali vel subdito satisfactio exhibeatur.

a. Varii modi reparandi honorem laesum, qui ab auctoribus recensentur, sunt: amice aut prius salutare, benevole alloqui, invisere domi, invitare ad mensam, propinare, veniam petere, ad genua provolvi. Ceterum, ut sapienter monet *Lessius*, per veniae petitionem quaevis iniuria, etiam nobilissimo viro illata, sufficienter reparatur, qua satisfactione si contentus non sit, ad iudicem remitti potest.[2]).

b. A restitutione excusatur offendens: α. si merito supponit offensum condonare restitutionem; β. si a iudice propter iniuriam illatam punitus est; γ. si offensus vindictam sumpsit; δ. si offendens et offensus mutuo sibi aequalia convicia irrogarunt.

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 72. a. 2. ad 1.

[2]) *Lessius*, l. 2. c. 11. n. 145.

Num detur obligatio veniam petendi, ut honor reparetur.

a. Subditi et aequales veniam petere debent, si laesus *gravi* contumelia affectus id exigat nec aliam satisfactionem accipere velit; si autem laesus id non exigat, subditi et aequales etiam alio modo satisfacere possunt.

b. Praepositi nunquam obligantur veniam petere a subdito, qui iniuriam passus est, ut herus a famulo, praelatus a religioso, magister vel superior ab alumnis: laesus enim honor per aliquod signum benevolentiae abunde reparatur.

3. Qui contumelia affectus est, sine odio et sine studio vindictae eam patienter tolerare debet. Potest quidem et quandoque etiam tenetur satisfactionem et iustam poenam exigere; ita tamen dispositus esse debet, ut iniuriam, si opus fuerit, sine ulla reparatione sustineat, quin etiam inimico bene faciat[1]).

Quaestio quinta.

De violatione secreti.

666. Praenotiones. 1. *Secretum* subiective est obligatio rem aliquam occultam non manifestandi; obiective est ipsa res occulta et occultanda. Triplex distinguitur secretum (praeter secretum sacramentale):

a. Naturale, cuius obligatio sine contractu ex sola rei natura oritur, quia scilicet res, quam aliquis casu cognovit, manifestari non possit, quin alius rationabiliter sit invitus.

b. Promissum tantum, cuius obligatio ex promissione oritur, si quis de re ante iam cognita alteri promittat silentium.

Haec promissio in adiunctis dupliciter diversis dari potest: vel enim de re, quam antea iam noverat, alteri promittit secretum, vel de re, quam ab altero sine secreto acceperat, postea promittit secretum.

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 72. a. 3.

c. Commissum vel rigorosum, cuius obligatio pariter ex promissione oritur, si quis rem antea sibi ignotam ab alio accipiat sub condicione et promissione *expressa* vel *tacita* servandi secretum.

α. Secretum igitur commissum alterum oritur ex promissione seu ex pacto explicito et vocari potest secretum commissum *privatum;* alterum oritur ex promissione seu ex pacto tacito et vocari potest secretum (commissum) *officiosum* (Amtsgeheimnis). Illius observationem exigit solum bonum privatum, huius observationem exigit aliquatenus etiam bonum commune.

β. Obligatione *secreti officiosi* tenentur consiliarii, medici, obstetrices, advocati, theologi etc., quibus vi officii vel consilii vel auxilii petendi causa revelantur secreta. Nonnulli huc referunt etiam amicos et propinquos, quibus iure amicitiae et propinquitatis auxilii vel solatii causa manifestantur secreta.

Nota. Secretum potest esse inventum artis vel scientiae, potest esse aliquod factum (e. g. vacare officium), potest esse crimen occultum. Non eadem principia de quovis secreto valent.

2. Quilibet *ius* habet in suum secretum, hinc per se non licet *a.* secretum *explorare,* nec *b.* secretum *manifestare,* nec *c.* secreta notitia *uti.*

a. Explorare secretum iniuste non licet, quia secretum est veluti res aliena; qui ergo secretum iniuste explorat, rem alienam domino suo aufert.

α. Secretum, quod est *inventum* artis vel scientiae, non licet explorare mediis iniustis vel inhonestis (subauscultando, literas aperiendo, vim vel dolum adhibendo), licet autem mediis naturalibus honestis (arte, studio): dominus enim nequit esse rationabiliter invitus, quominus unusquisque mediis licitis haec secreta cognoscere studeat. Idem dicendum est de secreto, quod est aliquod *factum.* β. Secretum, quod est occultum *crimen* tum commissum vel postea committendum, explorare licet, ubi agitur de damno proprio vel tertii innocentis vere gravi avertendo, quod ab illo ipso imminet, cuius est secretum.

b. Manifestare secretum non licet, quia manifestatio est contra iustitiam aut saltem contra caritatem, nisi agatur de casu, in quo usus secreti licitus est.

c. Uti secreto seu secreta notitia *iniuste acquisita* non licet: qui enim alteri iniuriam intulit, tenetur eam tollere aut saltem non continuare; sed qui notitia iniuste acquisita in alterius damnum utitur, iniuriam alteri illatam con-

tinuat[1]). Licet uti in proprium vel alterius commodum secreta notitia *iuste acquisita,* etiamsi aliquod alterius damnum inde sequatur: quando enim aliquis secreti cognitionem iuste acquisivit, sive agitur de facto sive de invento artis vel scientiae, cessat ius secreti, eo quod cessat ipsum secretum[2]). Attamen *secreto commisso* in utilitatem propriam vel alterius invito committente uti non licet: ita enim secretum committi censetur, ut is, cui committitur, non solum ab eius manifestatione, sed etiam ab eius usu abstinere debeat[3]).

667. De secreto naturali. 1. Secretum naturale obligat vel *ex iustitia* vel *ex caritate,* proinde sub gravi in re gravi, ubi nempe proximus ex eius revelatione vel gravi tristitia vel gravi iniuria afficitur.

2. Secretum naturale *manifestare licet,* ubi sine gravi incommodo servari non potest, quod quidem incommodum maius esse debet, si secretum ex iustitia obligat.

Unum vero alterumve secretum minoris momenti revelare veniale peccatum non excedit. In dubio (positivo), utrum secretum sit parvi an magni momenti, illud citra grave peccatum revelari nequit, quia revelans se exponit periculo non solum graviter peccandi sed simul grave damnum inferendi; principium ergo probabilismi in hoc casu applicari nequit.

668. De secreto promisso. 1. *Secretum promissum* qua tale vel ex mera *fidelitate* sub levi, vel ex *iustitia* et quidem in re gravi etiam sub gravi obligat, prout pro-

---

[1]) Cf. *Lugo* l. c. disp. 14. n. 103. *S. Alphonsus* l. 3. n. 969. *Sporer-Bierbaum* II. tract. 5. n. 674. *Ballerini-Palmieri* II. n. 1083.

[2]) Cf. *Elbel-Bierbaum* I. pr. 4. n. 412 s. *Bucceroni,* Casus conse.[5] n. 88, 5.

[3]) *Exemplo sit: a.* Ex apertis alienis literis aliquis cognoscit vacare aliquod officium; hac notitia usus ipse illud maturius petit et accipit. *b.* Casu audiens alta voce colloquentes cognoscit inventum artis, cuius secretum illi diligenter custodiebant; hac notitia in proprium commodum ipse utitur. *c.* Advocatus officii causa cognoscens labilem alicuius negotii statum, fratrem suum, illius negotii creditorem, hac de re monet, ut sibi mature provideat.

mittens se obligare intendit sive ex fidelitate sive ex iustitia; ordinarie tamen solum ex fidelitate obligat.

a. Materia secreti promissi et commissi quandoque ea est, quae natura sua occulta servari debeat, quae proinde duplicem obligationem imponat, secreti naturalis et promissionis.

b. Notandum est promissionem servandi secretum quandoque fieri ex mera decentia et urbanitate, quae quidem promissio per se nullam inducit obligationem.

2. Secretum promissum *non obligat: a.* ubi sine gravi incommodo proprio vel alieno servari nequit, nisi quis expresse se aliter obligaverit; *b.* quando res absque promissione manifestari debuisset: ad id enim, quod illicitum est, per promissionem nemo se obligare potest.

Qui ergo a iudice vel a superiore legitime de aliqua re interrogatur, eam manifestare debet, etsi secretum promisisset.

669. De secreto commisso. *Secretum commissum* obligat *ex iustitia* et proinde sub gravi in materia gravi, quia haec obligatio oritur ex promissione utrimque onerosa. Insuper bonum commune postulat, ut omnibus praesto sit opportunitas quaerendi consilium vel auxilium necessarium; atqui hoc commodo privarentur homines, nisi ob *gravem* obligationem huius secreti de eius observatione certi essent.

a. Obligatio secreti commissi *strictior et gravior est* quam secreti promissi, et obligatio secreti officiosi gravior est quam obligatio secreti privatim commissi. Secretum enim commissum ex iustitia obligat, secretum vero promissum ordinarie solum ex fidelitate; secretum vero commissum officiosum etiam tum obligat, quando secus res manifestari debuisset, quia bonum commune postulat, ut hoc secretum exceptis paucis casibus illaesum servetur. Ideo secretum commissum ne iudici quidem aut superiori legitime interroganti aperire licet, et interrogatus cum restrictione respondere debet se nihil scire, quod scilicet revelare possit[1]).

---

[1]) Iure civili plerumque prohibitum est, ne ii, qui munere publico funguntur ut parochi, medici etc. a magistratibus vel iudicibus interrogentur de iis, quae ipsis ratione muneris concredita sunt. Id nonnullis tamen locis lege civili iniungitur omnibus etiam medicis, qui partui adstiterint, ut nomen patris et matris magistratui denuntient. Ubi eiusmodi lex viget, cum dicenda sit iusta (ut infantes parentes suos

b. Non omnia secreta commissa sunt *eiusdem rigoris et obligationis,* sed alia aliis strictius urgent, id quod attendendum est, ubi de licita revelatione secreti commissi agitur. Sic minor est obligatio secreti, quod prorsus libere sine alia causa homini privato committitur; maior est obligatio secreti, quod consilii capiendi causa homini privato committitur; adhuc maior est obligatio secreti, quod hominibus in officio publico constitutis (medicis, advocatis, etc.) committitur; maxima tandem (si a sacramento praescindimus) est obligatio secreti, quod consiliariis in causis publicis committitur[1]).

c. Secretum etiam commissum maioris momenti *uni alterive viro prudenti revelave* sub secreto peccatum veniale est, dummodo aliud grave damnum inde non sequatur, nec illi secretum manifestetur, cui committens illud prae ceteris occultare voluerit: res enim uni tantum communicata adhuc secreta dici potest, quare levis tantum iniuria hac secreti laesione alteri infertur.

670. Secretum commissum licite revelari potest in quatuor sequentibus casibus.

Per se patet obligationem secreti cessare: *a.* Si consensus illius, qui secretum commisit, iure merito praesumi potest. Si subditus (exemplum est cardinalis *de Lugo*) sub secreto superiori manifestat delictum alicuius subditi, supponi debet deferentem quidem velle manere occultum, at supponi etiam potest ipsum permittere, ut superior circa delinquentem faciat, quod opportunum iudicaverit[2]). *b.* Si res iam aliunde nota aut divulgata est; hinc licite unusquisque de secreto commisso loqui potest cum viro, qui illius notitiam habet, etiamsi haec nondum sit publica. Idem valet, si ille, cui commissum est secretum, rei notitiam aliunde accepisset. Secretum itaque revelari potest:

1. Si necessarium est ad avertendum *grave damnum commune ecclesiae vel reipublicae:* obligatio enim secreti, quae propter bonum publicum introducta est, cessat, ubi idem bonum publicum secreti manifestationem exigit. At secretum revelare non licet propter damnum publicum leve, quale e. g. ex eo oritur, quod reus impunitus manet.

Si quis sub secreto cognoscit alterius propositum nocendi civitati, a cuius exsecutione hic aliter revocari nequit, potest et debet secretum sibi commissum revelare.

---

cognoscant), etiam a medicis observari debet: cessat enim pro iis in hoc casu obligatio secreti commissi seu officii.

[1]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 1198.

[2]) *Lugo* disp. 14. n. 117.

2. Si necessarium est ad avertendum *grave damnum tertii innocentis* ab eo, qui secretum commisit, iniuste inferendum: caritas enim postulat, ut innocentem liberemus ab iniuria nocentis etiam cum aliquo damno nocentis.

a. Si Titius sub secreto cognoscit alterius propositum occidendi Caium, et flagitiosus a proposito suo averti nequit, Titius potest et debet illud manifestare, quantum necesse est ad avertendum malum e. g. monendo Caium, ut sibi caveat. Item medicus sciens sponsum, qui se sanum fingit, laborare morbo contagioso, posset rem sponsae deceptae manifestare, si sponsus admonitus desistere nollet.

b. Nota obligationem secreti commissi in gratiam innocentis non cessare, nisi secretum est de malo per iniuriam adhuc inferendo; etenim si secretum versatur circa malum iam commissum, eius obligatio non cessat, etsi manifestatione damnum innocentis averti posset. Si quis e. g. ex secreto commisso sciret Titium esse homicidam, rem revelare non posset ad liberandum Sempronium, qui loco Titii iniuste ad mortem damnatur. Nam sicut ipse Titius non tenetur cum aequali suo damno manifestare crimen suum ad liberandum Sempronium a malo, cuius non est causa nisi per accidens, ita ille, cui Titius secretum commisit, non tenetur, immo nec potest manifestare crimen Titii ad liberandum Sempronium. Siquidem Titius rationabiliter invitus est de revelatione secreti a se commissi, quamdiu ipse illud licite servare potest.[1]).

3. Si necessarium est ad avertendum *grave damnum ipsius committentis:* committens enim de manifestatione secreti non potest esse rationabiliter invitus.

Si quis sub secreto cognoscit Caium statuisse matrimonium inire cum occulto impedimento, et a matrimonio ineundo aliter impediri nequit, potest et debet impedimentum denuntiare.

4. Si necessarium est ad avertendum *grave damnum proprium*, etsi inde pro ipso committente sequeretur mortis periculum: acceptans enim secretum non censetur cum tanto incommodo se obligare velle, nisi diserte promittat, se etiam cum gravissimo incommodo servaturum esse secretum.

Si quis sub secreto sciret homicidium ab alio patratum, et ipse, cui secretum commissum est, de homicidio suspectus in periculo versaretur subeundi gravem poenam, licite revelaret secretum etiam cum committentis periculo mortis, supposito quod non adsit aliud medium avertendi imminentem gravissimam poenam.

---

[1]) Cf. *Laymann* l. 3. tr. 3. pr. 2. c. 5. n. 2.

De alienis literis.

671. Secretum literarum. Alienas literas aperire aut apertas et secrete servatas legere per se est peccatum ex genere suo grave contra iustitiam: quilibet namque ius strictum habet in suum secretum. Datur autem in hac re parvitas materiae; si quis proinde literas legeret, quas prudenter supponat non continere nisi res levis momenti, graviter non peccaret.

Literas minutatim discerptas et in locum publicum proiectas colligere et compositis fragmentis legere *probabiliter* non est contra iustitiam; si tamen literae quidquam contineant, cuius revelatio in detrimentum domini cedat, id pro ratione damni sub gravi aut sub levi ex caritate occultum servari debet.

S. Alphonsus quidem (n. 70) probabilius censet composita fragmenta legentem peccare contra iustitiam, quia literae ideo dilacerantur ne legi possint, et proinde dilacerationem signum esse dominum velle sibi ius reservare in secretum, quod literis continetur: *Lugo* econtra (disp. 14. n. 151) censet legentem non peccare contra iustitiam, quia proiectio in locum publicum signum est dominum cedere iure suo in literas proiectas, quarum lectionem impedire nequit; dilacerantur autem, ut difficilior reddatur lectio.

672. *Licentia aperiendi alienas literas.* Licet alienas literas aperire aut apertas legere:

a. Ex consensu tacito aut iure merito (e. g. ratione amicitiae) praesumpto sive illius, qui literas scribit, sive illius, ad quem scriptae sunt: uterque enim iure in secretum cedere potest, et proinde sic nemini fit iniuria.

b. Ex regula, cui quis libere se subiecit. Ideo superiores regulares licite aperire et legere possunt literas subditorum suorum, ubi vel ex regula hoc ius eis conceditur vel per legitimam consuetudinem introductum est. Excipiuntur tamen literae, quae ad mediatos superiores directae sunt, et literae, quae secreta conscientiae continent. Si superior iure dubitet, num literae revera contineant secreta conscientiae, licite eas inspicere potest; quodsi revera secreta contineant, a lectione abstinere debet.

c. Ex necessitate avertendi grave damnum a republica, a subditis, a se ipso. Ideo α. Licet *auctoritati publicae* (principibus, belli ducibus) aperire literas, si sufficientia adsint indicia id necessarium esse ad consulendum bono publico. β. Licet *patrifamiliae* legere literas filiorum, qui adhuc sub paterna potestate sunt, et *superiori* legere literas alumnorum, qui eius curae commissi sunt, nisi de rebus conscientiae agant aut secreta familiae contineant, quia id necessarium censetur ad consulendum bono filii aut subditi. γ. Licet *homini privato* in casibus particularibus legere alienas literas, quando iure merito iudicat in iis aliquid contineri, quod in grave suum damnum cedat (n. 666).

Dominis literas famulorum, maritis literas uxorum ratione famulatus, matrimonii legere non licet, si tamen morali certitudine iudicent in illis aliquid mali contineri, ex supra dictis id eis licet.

Pars tertia.

De praeceptis ecclesiae[1]).

Ecclesiam habere potestatem condendi leges in conscientia obligantes ex natura ecclesiae, ex certis Christi Domini effatis ac tandem ex praxi et doctrina ecclesiae constat[2]). Quamobrem etiam praecepta ecclesiae observare oportet, ut finem vitae aeternae consequi possimus. Praecepta ecclesiae alia sunt *universalia,* quae omnes fideles obligant, alia sunt *particularia,* quae ad particulares fidelium status referuntur. Praecepta universalia, de quibus hic agendum est, a diversis auctoribus quoad numerum et ordinem diversimode recensentur. Cum de observatione festorum superius, ubi de tertio decalogi praecepto sermo erat, iam actum sit, dicendum restat: *a.* de abstinentia et ieiunio; *b.* de annua confessione et de communione paschali; *c.* de prohibitione librorum; quibus ob peculiaria huius temporis adiuncta addendum est *d.* de sustentatione pastorum; *e.* de prohibitione cremandi cadavera.

[1]) *S. Alphonsus* l. 3. n. 1004—1050. *Tamburini,* In quinque ecclesiae praecepta (Opus postumum). *St. Fagundez,* Quaestiones in quinque ecclesiae praecepta *M. Struggl,* Theologia moralis tract. VIII. De praeceptis ecclesiae. *Ballerini-Palmieri,* Opus theolog. morale[3] II. n. 1103—1225. *Lehmkuhl,* Theologia moralis[10] I. 1201—1222. *Génicot,* Theologiae moralis instit.[5] I. n. 434—460.

[2]) Veritatem hanc dogmatici et canonistae ex professo demonstrant. *Palmieri,* De romano pontifice (Romae. Typograph. S. C. de prop. fide. 1877) p. 126 ss. *Wernz,* Ius decretalium (Romae Typograph. S. C. de prop. fide 1898) I. n. 90 ss. *Aichner,* Compendium iuris ecclesiastici[10] (Brixinae. Weger. 1900) § 23, 3.

Liber primus.

De abstinentia et ieiunio.

Quaestio prima.

De praecepto abstinentiae.

673. De ipso praecepto. Praeceptum abstinentiae, quod a praecepto ieiunii hic consideratur seiunctum, tria prohibet: *a.* carnes; *b.* ova et lacticinia; *c.* promiscuitatem ciborum. Porro quandoque solum carnes, quandoque etiam ova et lacticinia cum promiscuitate ciborum prohibentur.

a. Etsi non possit afferri canon, quo praeceptum abstinentiae a ieiunio seiunctae pro universali ecclesia primitus praescribatur, exsistere tamen eiusmodi praeceptum ex variis summorum pontificum constitutionibus, ex cathechismis, ex universalis ecclesiae praxi certum est.

b. Voluntariam abstinentiam a cibo et potu *lex naturae* eatenus praecipit, quatenus effectus per ieiunium obtinendus necessarius est. Ex *s. Thoma* ieiunium multum inservit ad cupiditates carnis refraenandas, ad satisfaciendum pro peccatis, ad mentem liberius sursum elevandam[1]). Ieiunium enim ad ipsam cupiditatem cibi et potus, deinde vero ad omnes concupiscentias carnis reprimendas assumitur. Quoniam autem ieiunium plus minusve omnibus necessarium est: *in multis enim offendimus omnes*[2]), et in omnibus *caro concupiscit adversus spiritum*[3]), ecclesia suis legibus modum ieiunandi omnibus convenientem determinat. Nec mirum: nam α. cum protoparentes per usum illicitum cibi ruinam in mundum intulissent, abstinentia ab usu licito cibi optimum medium est hominem sanctificandi et peccata praeterita expiandi;

---

[1]) *Summa* II. II. q. 147. a. 3.

[2]) Iac. 3.

[3]) Gal. 5.

β. Christus Dominus ieiunium exemplo suo commendavit, cum opus redemptionis quadraginta dierum ieiunio inchoaret.

c. Cum ecclesia hoc praecepto reprimere intendat concupiscentiam carnis, quae fertur in delectationes cibi et veneris, illos cibos potissimum prohibet, quae magis sapiunt ac nutriunt corpusque opime nutriendo ad luxuriam excitant. Caro autem avium atque animalium terrestrium et ea, quae ex illis proveniunt, ova scilicet avium et lac animalium magis sapiunt et nutriunt, ideo haec potissimum ab ecclesia diebus abstinentiae prohibentur[1]).

Articulus primus.

De abstinentia a carnibus.

674. Eius declaratio. 1. Solum praeceptum abstinentiae (absque ieiunio) ex lege universali ecclesiae *obligat: a.* dominicis in quadragesima (nisi concedatur dispensatio); *b.* singulis feriis sextis excepto die nativitatis Domini, si in feriam sextam incidat[2]); *c.* die sabbati, nisi indultum vel legitima consuetudo excuset.

Num abstinentia die sabbati per *legem universalem* ecclesiae praecepta sit, non satis constat. Illud certum est legem universalem abstinentiae die sabbati nunc non amplius exsistere. Ideo affirmat *Benedictus XIV.* licitum esse carnes comedere die sabbati, ubicunque earum usus a recepta consuetudine non est interdictus[3]). Sed ubi haec lex abstinentiae viget, sive praecepto ecclesiae sive consuetudine primitus introducta est, considerari debet ut lex universalis ecclesiae. Ideo peregrini venientes e loco, ubi lex ista non viget, in regionem, ubi ea viget, ad abstinentiam servandam tenentur[4]). Si lex ista nunquam fuit universalis, *consuetudine* factum est, non solum ut abstinentia introduceretur, sed etiam ut tamquam lex universalis ecclesiae consideraretur, ubi introducta est.

2. Praeceptum abstinentiae *obligat omnes fideles usum rationis habentes,* i. e. qui septimum aetatis annum com-

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 147. a. 8.

[2]) Ex consuetudine ab *Honorio III.* approbata C. Explicari 3. *de observ. ieiuniorum* (III. 46).

[3]) De synodo l. 11. c. 5. n. 5.

[4]) *S. Officium* 10. ian. 1855 declaravit peregrinos extra Belgium (ubi abstinentia die sabbati non viget) non posse die sabbati carnes comedere in locis, in quibus viget lex abstinentiae.

pleverunt: est enim praeceptum ecclesiasticum, quod ante usum rationis non obligat.

Ante septimum aetatis annum completum pueri ad servandam abstinentiam non tenentur, etsi rationis usum iam adepti sint; parentes tamen enixe hortandi sunt, ut filios quamprimum ad abstinentiam assuescant: facilius enim postea servabunt praecepta, ad quae servanda mature iam assuefiunt.

3. Praeceptum abstinentiae *per se obligat sub gravi,* quia eius finis et materia gravis est; admittit autem parvitatem materiae.

a. Omnes in eo conveniunt gravem esse materiam, quae notabiliter nutrit; in determinanda autem quantitate, quae notabiliter nutriat, auctores valde dissident; dicendum videtur gravem esse materiam, quae duas uncias (60 gr.) excedit.

b. Maior quantitas ad peccatum grave constituendum requiritur, si non caro proprie dicta, sed aliquid, quod ex carne provenit, manducatur. Qui ergo portionem ordinariam leguminum sagimine conditorum vel iusculum ex carne confectum manducat, graviter non peccat[1]).

4. Toties committitur peccatum contra abstinentiam, *quoties* actibus moraliter distinctis *comeditur caro:* hoc enim praeceptum, etsi iam laesum, semper denuo violari potest.

675. Quid nomine carnis et piscis significetur. 1. Quoad abstinentiam animalia dividuntur in *carnem* et *piscem:* diebus enim abstinentiae prohibentur *carnes,* permittuntur autem *pisces,* quia horum caro minus nutrit et minus sapit. Quid nomine carnis et piscis sensu ecclesiastico veniat, non ex theoriis physicorum sed potius ex communi aestimatione fidelium et praesertim ex consuetudine discere debemus.

a. Animalia, quorum *caro* prohibetur, *sunt mammalia,* (Säugetiere) et *aves;* permittuntur tamen ex mammalibus (quia ordinarie in aqua vivunt et piscibus nutriuntur aut nutriri putabantur): *lutrae* (Fischottern), *castores* seu fibri (Biber), *phocae* (Seehunde), *tricheci* (Walrosse), ex avibus *colymbi* (Tauchenten) et probabiliter etiam *fulicae*

[1]) *Génicot* I. n. 443.

(Wasser- u. Rohr-Hühner)[1]; nullatenus vero *corvi marini* (Seeraben).

b. Nomine *piscium* intelliguntur non solum pisces stricte tales sed omnia animalia, quae frigidum sanguinem habent: α. *Reptilia* et *amphibia* ut *ranae* (Frösche) et *testudines* (Schildkröten). β. *Molusca* ut *limaces* (Schnecken), *conchae* (Muscheln), praesertim *ostreae* (Austern). γ. *Crustacea* ut *cancri* (Krebse), *cammari* (Meerkrebse).

a. Auctores antiqui carnem prohibitam dicunt carnem *animalium terrestrium seu „in terra quiescentium et respirantium"*[2] (Landtiere), carnem vero licitam piscium dicunt carnem *animalium aquaticorum,* quae *in aqua vivunt et respirant* (Wassertiere). Ad haec refereoant etiam *lutras, castores, anates* et *fulicas,* quia, desumpto criterio ex ordinaria horum animalium sede, putabant ea ad instar piscium in aquis vivere vel saltem piscibus nutriri[3].

b. Haec animalia sola permittit *consuetudo;* ubi ergo consuetudo eorum usum licitum reddit, comedi possunt, quamvis ex errore de rebus naturalibus orta sit; ubi vero haec consuetudo non exsistit, ad carnes prohibitas pertinent.

c. In dubio, utrum aliquid sit caro an piscis, illud comedere licet: quod enim non certe constat esse carnem, prohibitum non est.

2. Nomine *carnis* sensu ecclesiastico veniunt *omnes partes* animalium prohibitorum, ergo etiam sanguis, medulla ossium, partes cerebrales, pinguedo seu adeps, laridum (Speck), nisi horum quidquam consuetudine vel indulto permittatur; *non autem fructus* horum animalium ut ova, lac. Prohibentur ergo per se etiam cibi cum carne cocti ut iusculum carnis et cibi adipe vel carne conditi.

a. Iam pridem ad parandos cibos permittebatur *pinguedo* (loco olei); antea hoc nomine sola *pinguedo suina* (Schweinfett) concede-

---

[1]) Ex indulto a *Pio VII.* concesso religiosis ordinis Minimorum s. Francisci a Paula, qui ex voto a carnibus perpetuo abstinere debent, non licet inferre fulicas per se, non solum ex consuetudine, diebus abstinentiae permitti: eo enim, quod ad illorum religiosorum petitionem, ut libere uti possint eo (fulicarum) cibo, s. pontifex benigne annuit pro gratia, esum illius carnis piis religiosis permisit, quin dirimere intenderet quaestionem theoreticam de natura huius cibi. Cf. *Ballerini-Palmieri* II. n. 1110.

[2]) *Thomas* II. II, q. 147. a. 8.

[3]) Cf. *Olfers,* Pastoralmedicin (Herder. Freiburg. 1893) S. 46 ff.

batur, nunc vero pinguedo seu adeps *cuiuscunque animalis* (jede Art von Tierfett) permittitur[1]); idem quando adeps permittitur, butyro quoque tamquam condimento uti licet[2]).

b. Ubi usus *laridi* (ut in nonnullis Italiae locis) ad condiendos cibos permittitur, facultas ita interpretanda est, ut licite sumantur etiam minutissima illa frustula, quae larido igne liquefacto immixta manent[3]).

c. Usus *margarinae* permittitur non solum ad parandos cibos, sed etiam per modum cibi vel condimenti, licito manente usu butyri[4]).

d. Diebus abstinentiae licet adhibere *condimentum iusculi a Maggi* inventum (Maggi's Suppenwürze), quia non constat illud esse ex carne confectum; at non licet vesci *extractis carnis,* quae dicuntur (Fleischextrakt), cum certe ex carne confecta sint.

676. A praecepto abstinentiae excusantur, qui *sine magno incommodo* a carnibus abstinere nequeunt. Huiusmodi sunt:

a. Pauperes mendicantes, qui carnem manducare possunt, si nihil aliud habeant.

α. *Si pauperes operarii,* qui aliud condimentum non habent, ad condiendos cibos adhibent aliquid sagiminis vel laridi, in hac re non sunt damnandi.

β. Ergo carnes, quae usque ad diem non prohibitum sine periculo corruptionis conservari nequeunt, dari possunt pauperibus, qui a lege abstinentiae excusantur.

b. Aegroti, convalescentes, stomachi debilitate laborantes, viribus debiles, qui medicinam sumere debent, cuius efficacia cibis esurialibus impeditur, ac tandem feminae praegnantes et nutrientes: illae quidem, si debiles sunt vel ex cibis esurialibus sanitatis periculum timent, hae vero, si puerum infirmum alere debent.

Constat *mulieres praegnantes* quandoque magna carnis appetentia laborare, cui si non satisfaciant, foetus nocumentum subire posset. Negant quidem *Olfers*[5]) et *Capellmann*[6]) foetui aliquod damnum oriri,

---

[1]) *S. Officium* 1. maii 1889.

[2]) *S. Officium* 13. maii 1896.

[3]) *S. Poenitent.* 17. nov. 1897.

[4]) *S. Officium* 6. sept. 1899. *Margarina* est butyrum artefactum (Kunstbutter) ex adipe bovillo et puriore lactis parte confectum.

[5]) Pastoralmedicin (Freiburg. Herder. 1893) S. 51.

[6]) Medicina pastoralis (Aquisgrani. Barth. 1893) p. 101.

eo quod huic appetentiae utut magnae resistitur, nihilominus *Lehmkuhl* (I. n. 1208.) eiusmodi mulieres praegnantes a peccato excusat, „si quando buccellam carnis sumant".

c. Operarii, qui difficillimis laboribus vel laboribus ciborum appetentiam auferentibus addicti sunt ut operarii in fusoriis, vitrariis vel ferrariis, in fodinis metallicis vel carbonariis. His aequiparari possunt etiam ii, qui curare debent fornaces in fabricis vel locomotivis.

d. Qui alios cibos habere non possunt:

α. Uxores, filii, famuli, si paterfamilias alios cibos non admittit, quia in morali impotentia versantur observandi praeceptum; famuli autem per se alium dominum quaerere tenentur.

β. Viatores, qui alios cibos in cauponis non accipiunt; attamen tunc tantum excusantur, si cibo ad congruam refectionem indigent et si alios cibos serio postulaverint.

γ. Hospes, qui die abstinentiae ad prandium invitatur, quod ex carnibus parari novit, per se invitationem recusare tenetur eamque tum solum licite acceptare potest, si ex refutatione notabile incommodum ut gravem offensionem, inimicitias merito timere debet. — Hospes, qui praeter exspectationem integrum prandium ex carnibus paratum invenit, licite carnes manducat, si neque alios cibos accipere nec sine gravi incommodo discedere potest[1]).

δ. Si errore prandium paratum est ex cibis vetitis, hoc modo distingui potest. Si de solo condimento ex carnibus agitur, esus permitti potest: cum enim hoc sub levi tantum prohibitum sit, rationabilis causa excusat; quodsi de integro prandio ex carnibus parato agitur, attendendae sunt circumstantiae, scilicet num alii cibi mox parari possint, num cibi ex carnibus parati sine notabili detrimento asservari possint in sequentem diem etc.: si enim prandium paratum sine gravi incommodo relinqui non potest, licite sumitur[2]).

ε. A servanda abstinentia non excusantur, qui non accipiunt nisi cibos peiores et cariores, excepto casu, quo cibi tam mali sint, ut congruam refectionem non praebeant, aut tam cari, ut notabile detrimentum in bonis fortunae afferant.

---

[1]) Cf. *Berardi,* Praxis confess[3]. Faventiae. Novelli. 1899) II n. 1463.

[2]) Cf. ibid. 1464 s.

Articulus secundus.

De aliis cibis vetitis.

677. De abstinentia ab ovis et lacticiniis. 1. Lex universalis per consuetudinem introducta *ova et lacticinia* prohibet. Nomine lacticiniorum intelliguntur lac et ea omnia, quae ex lacte comparantur ut butyrum, caseus etc. Prohibentur autem ova et lacticinia ab illis animalibus provenientia, quorum carnes prohibitae sunt.

2. Prohibentur tantum *in quadragesima, etiam diebus dominicis,* nisi obtenta sit dispensatio; aliis autem ieiunii diebus per annum non sunt prohibita. Inter alia enim ieiunia sollemnius est ieiunium quadragesimale; et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium, in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur etiam ova et lacticinia[1]).

Prohibitio ista viget in Italia, Gallia, Hispania etc., in nostris autem Germaniae regionibus per consuetudinem contrariam iam diu abrogata est. Potissima huius consuetudinis ratio est penuria ciborum esurialium, praesertim vero olei et piscium. Attamen etiam ubi lex adhuc viget, dispensatio conceditur ad ova et lacticinia pro integra fere quadragesima, paucis tantum diebus exceptis, eo fere modo, quo apud nos ad carnes conceditur dispensatio.

3. Prohibitio haec obligat in conscientia, ut constat ex declaratione ecclesiae[2]), et quidem *sub gravi:* si enim lex abstinendi ab ovis et lacticiniis in conscientia obligat, cum materia eius gravis sit, graviter sane obligat, id quod sensus fidelium et consensus theologorum confirmat.

Ad materiam gravem constituendam in hoc praecepto maior quantitas requiritur, quam in esu carnis, quia ova et lacticinia non aeque principaliter prohibentur ac caro. Probanda videtur sententia eorum, qui duplo maiorem quantitatem exigunt, adeo ut, quatuor unciae (120 gr. = duo ova gallinacea) gravem materiam constituant[3]).

---

[1]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 147. a. 8. ad 3.

[2]) *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova te lacticinia in quadragesima obliget.* Propos. 32. ab *Alexandro VII. damnata.*

[3]) *Génicot* I. n. 443.

4. Ova et lacticinia *aequiparantur;* hinc dispensatus ad lacticinia censetur etiam dispensatus ad ova; carnes autem et lacticinia non aequiparantur; ideo dispensatus ad lacticinia non est eo ipso etiam dispensatus ad carnes; dispensatus autem ad carnes eo ipso censetur etiam dispensatus ad lacticinia, quia minus in maiore continetur.

Butyrum et *lac* non aequiparantur, sed se habent ut minus et plus in eadem specie; hinc si in loco, in quo prohibita sunt lacticinia, conceditur usus butyri ad condiendos cibos, non conceditur eo ipso etiam usus lactis.

678. De vetita promiscuitate ciborum. 1. Prohibitio haec, quam edidit *Benedictus XIV.,* his continetur: qui *vi dispensationis* carnes comedere potest, non potest licite *diebus ieiunii in eadem refectione simul carnes et pisces comedere.* Indultum enim seu dispensatio comedendi carnes diebus ieiunii ex voluntate summi pontificis hac solum condicione conceditur et concedi potest, ne carnes simul cum piscibus in eadem refectione sumantur[1]).

a. Vi dispensationis; qui ergo non vi dispensationis seu indulti, sed ex alia ratione e. g. ob affectam valetudinem diebus ieiunii licite carnes comedunt, simul etiam pisces comedere possunt[2]). Qui vero *ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur,* ut pueri post septennium vel operarii graviter laborantes, qui pluries se reficere possunt, hac lege tenentur: qui enim ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, ex hac ratione solum saepius refici possunt, carnes autem in refectione vi indulti comedunt[3]).

b. Carnes comedere potest; qui autem ad ova et lacticinia tantum dispensatus est, potest simul etiam pisces comedere. Pariter iis, qui non ad carnes, sed solum ad ius carnis vel ad condimentum carneum dispensati sunt, non interdicitur simul cum his etiam pisces comedere[4]).

---

[1]) De hac re agit *Benedictus XIV.* in tribus literis encyclicis praesertim vero *In suprema* 22. aug. 1741; et *s. Poenitentiaria* complura decreta hac de re edidit.

[2]) *S. Poenitent.* 9. ian. 1899.

[3]) *S. Officium.* 24. maii 1841; 23. iun. 1875.

[4]) *S. Poenitent.* 8. febr. 1828.

c. In eadem refectione; qui ergo ex dispensatione in prandio carnes sumpsit, non prohibetur in coena piscibus vesci.

d. Nomine *piscium* intelliguntur pisces latiore sensu, prout opponuntur carnibus (n. 675). Ergo non licet comedere carnes simul et testacea marina vel caviale (Kaviar)[1]) vel ranas vel limaces vel fulicas in iis locis, in quibus fulicae pro piscibus habentur. Licet autem carnes comedere simul cum iusculo piscis vel cum condimento ex pisce confecto, et vicissim licet pisces comedere simul cum iusculo carnis vel cum condimento ex carne confecto: siquidem iusculum et condimentum ex carne non dicitur caro, et iusculum aut condimentum ex pisce non dicitur piscis; prohibentur autem *carnes* simul et *pisces*[2]).

*e. A*t non licet offam cum carnibus minutatim sectis conditam simul cum piscibus, aut offam cum pisciculis minutatim sectis conditam simul cum carnibus comedere: caro enim manet caro et piscis manet piscis, etsi in frusta sint minutatim secta, nec illa frusta proprie condimenta sunt, sed alia substantia carni vel pisci adiuncta.

2. Haec prohibitio ex declaratione eiusdem summi pontificis obligat *sub gravi*[3]) et quidem *omnibus diebus ieiunii;* ergo: *a.* toto tempore quadragesimae etiam in dominicis[4]); *b.* in quatuor temporibus et in vigiliis, in quibus praecipitur ieiunium; *c.* in adventu; at non obligat eos, qui feria sexta et sabbato, quando non obligat lex ieiunii, a lege abstinentiae dispensati sunt[5]).

---

[1]) *S. Poenitent.* 16. ian. 1834.

[2]) *S. Poenitent.* 14. iun. 1880.

[3]) *Benedictus XIV.* (8. iul. 1744) *Si fraternitas tua* ad Archiep. Compostell. n. 1.

[4]) *Benedictus XIV.* praeceptum de non miscendis epulis etiam ad dominicas quadragesimae extendit, etsi ieiunium illis diebus servari non debeat. Ibid. n. 5.

[5]) *S. Poenitent.* 15. febr. 1834.

Quaestio secunda.

De praecepto ieiunii.

Articulus primus.

De ipso praecepto ieiunii.

679. Notiones. *Ieiunium* triplex distinguitur: *naturale,* quod consistit in abstinentia ab omni prorsus cibo et potu; *ecclesiasticum,* quod consistit in abstinentia a cibis iuxta formam ab ecclesia fidelibus praescriptam; *morale,* quod est abstinentia a cibo et potu iuxta formam diversam ab ea, quam praescribit ecclesia, ut si quis ieiunet in pane et aqua vel solis radicibus et herbis vescatur vel solum altero quoque die cibum sumat. Ieiunium ecclesiasticum dicitur *strictum,* si praecipitur abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis, et *non strictum,* si sola abstinentia a carnibus praecipitur.

Finis ieiunii ecclesiastici (et moralis) potissimum triplex est: ad reprimendas concupiscentias carnis, ad elevationem mentis in res divinas faciliorem reddendam, ad satisfaciendum pro peccatis[1]). Praeceptum ecclesiasticum de abstinentia et ieiunio sanitati non nocere sed potius prodesse ostendunt physiologi[2]).

680. De praecepto ieiunii. 1. *Praeceptum ieiunii,* etiam quoad sollemne ieiunium quadragesimale, non *iuris* divini sed *ecclesiastici* est: nullum enim legis divinae apparet vestigium; insuper in lege ieiunii etiam quadragesimalis tanta est varietas quoad tempus et modum etc., quanta in lege divina occurrere nequit, cum lex divina ab omnibus eodem modo servari debeat nec consuetudine immutari possit.

---

[1]) *S. Thomas* II. II. q. 147. a. 1. et 3.

[2]) Cf. *Moser,* Das kirchliche Fasten- und Abstinenzgebot in gesundheitlicher Beleuchtung. Frankfurter zeitgem. Broschüren (Heft 6, 1907).

Ieiunium, si in genere spectetur, ab apostolis introductum esse certum est, sed aeque certum est ieiunium quadragesimale non ab apostolis descendere. A Christo Domino eatenus derivari potest, quatenus ieiunium, quod primitus solum per paucos dies ante pascha servabatur, ad exemplum ieiunii, quod ipse servavit in deserto, paulatim ad quadraginta dies extensum est[1]).

2. Praeceptum ieiunii per se duplex est, alterum ad quantitatem, alterum ad qualitatem ciborum refertur; illud *unicam refectionem* permittit, hoc *abstinentiam a carnibus* praecipit. Qui ergo ieiunium quoad utrumque praeceptum violat, duo peccata committit.

3. Praeceptum ieiunii *ex genere suo grave est,* quia de re gravi agitur, quae scilicet ad bonum spirituale fidelium notabiliter conducit. Constat etiam ex declaratione ecclesiae[2]); admittit autem *parvitatem materiae.*

Dissentiunt auctores in assignanda quantitate cibi, quae materiam gravem constituat. Dicendum videtur materiam gravem constituere quantitatem, quae quatuor uncias (120 gr.) excedat. Nihil autem refert, utrum haec quantitas simul una comestione, an divisim pluries per diem sumatur, quia parvae comestiones per diem sumptae coalescunt et simul materiam gravem constituunt, id quod habetur ex propositione 29. ab *Alexandro VII.* damnata[3]). Grave igitur peccatum contra ieiunium non ille solum committit, qui essentiam ieiunii per secundam refectionem solvit, sed etiam ille, qui ieiunium in materia gravi violat, i. e. qui ad quantitatem cibi, quae diebus ieiunii ad ientaculum et collationem vespertinam licite sumi potest, addit quantitatem gravem quatuor unciarum sive ad ientaculum sive ad collationem sive alias per decursum diei.

4. Ieiunium ex lege communi et citra dispensationem servandum est *diebus quadragesimae* (exceptis dominicis), *in quatuor temporibus* et in *quibusdam* (5) *vigiliis.*

---

[1]) Cf. *Linsenmayr,* Entwicklung der kirchlichen Fastendisziplin bis zum Konzil von Nizäa (München. Stahl. 1877). *Funk,* Die Entwicklung des Osterfastens (Theol. Quartalschrift v. Tübingen 1893). S. 179 ff.

[2]) *Frangens ieiunium ecclesiae non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inoboedientia hoc faciat . . .* Propositio 23. ab *Alexandro VII.* damnata.

[3]) *In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.*

Vigiliae, in quibus ieiunandum est, sunt vigiliae pentecostes, ss. apostolorum Petri et Pauli, assumptionis beatae virginis Mariae, omnium sanctorum et nativitatis Domini. Antiquitus in omnibus fere vigiliis praescriptum erat ieiunium; abrogatis vero deinceps quibusdam festis (ut apostolorum) etiam ieiunium vigiliae praecedentis abrogatum est. In locum ieiunii harum vigiliarum substitutum est *ieiunium feriae quartae et sextae adventus.*

5. Praeceptum ieiunii *quoad unicam refectionem* non obligat fideles *ante vigesimum primum* aetatis annum completum. Quia homo ante hanc aetatem ordinarie uberiore cibo indiget, noluit ecclesia adolescentes cum tanto incommodo obligare; et quia ecclesia communiter contingentia respicit, ieiunare non tenentur, qui ante hanc aetatem viribus iam perfecte evolutis pollent.

681. Essentia ieiunii. 1. *Essentia ieiunii in unica tantum refectione diurna consistit.* Qui ergo ieiunium sive advertenter sive inadvertenter per secundam refectionem iam essentialiter laesit, eo die ieiunare amplius non tenetur: essentiâ enim ieiunii semel laesâ praeceptum ieiunii servari amplius non potest.

a. Nihil refert, utrum aliquis unica comestione iterum plene se reficiat an pluries per diem comedendo, quia singulae comestiones coalescunt. Qui ergo praeter unam plenam refectionem tantum cibi per diem sumit, ut totum simul alteram plenam refectionem efficiat, essentiam ieiunii solvit.

b. Ad quaestionem ergo, num pluries mortaliter peccat, qui plures refectiones sumit, responderi debet illum semel tantum graviter peccare, quia ieiunium, quatenus in unica refectione consistit, semel tantum frangi potest, sicut ieiunium naturale vel votum hac die non bibendi vinum semel tantum violari potest: nam ex mente theologorum ieiunium ita ab ecclesia institutum est, ut altera refectio solvat essentiam ieiunii; fracta autem essentia ieiunium nec servari nec frangi amplius potest.

c. Ex his deducitur, quid facere debeat, qui die ieiunii ex oblivione integrum ientaculum sumpsit. Si nimirum ientaculo plene se refecit, a secunda refectione, et si non plene se refecit, a collatione vespertina abstinere debet. Sumpto enim ientaculo praeceptum adhuc servari potest et debet, a cuius observatione solum grave incommodum excusat.

2. *Abstinentia* a carnibus *ad essentiam ieiunii non pertinet,* ex quo sequitur, ieiunium ab abstinentia separari

posse i. e. ieiunium quoad essentiam servari posse, etsi non servetur abstinentia.

Diu inter theologos disceptabatur, num abstinentia a carnibus ad essentiam ieiunii requireretur, ita ut abstinentia sublata essentia proindeque etiam praeceptum ieiunii cessaret. Qui putabant abstinentiam a carnibus ad essentiam ieiunii pertinere, dispensatis circa carnes ideo etiam plures refectiones concedebant. Controversiam tandem sustulit *Benedictus XIV.*, qui constitutione *Non ambigimus* (30. maii 1741) statuit dispensatos circa esum carnium diebus ieiunii ad unicam refectionem teneri.

Articulus secundus.

De unica refectione.

682. De ipsa refectione. 1. Diebus ieiunii *una tantum refectio* plena permittitur, cui nunc ex consuetudine ab ecclesia approbata licite additur coenula seu *collatio vespertina* et ientaculum seu *frustulum matutinum*. Ad ieiunium quoad *qualitatem* ciborum per se etiam abstinentia a carnibus requiritur; ideo cibi, quibus diebus ieiunii vesci licet, sunt cibi esuriales, nisi indultum aut causa excusans carnes permittat; circa *quantitatem* autem lex ecclesiastica nihil praecipit; servanda est lex naturalis temperantiae. Hinc fieri potest, ut quis in illa unica refectione violet legem naturalem temperantiae, praeceptum autem ecclesiasticum ieiunii non laedat.

Si unquam alias, certe in hac re consuetudo plurimum valuit ad praeceptum ecclesiasticum interpretandum et mitigandum. Primis namque ecclesiae temporibus fideles vix non naturale ieiunium servabant usque ad occasum solis, et inde a saeculo sexto usque ad horam tertiam pomeridianam. Postea ad unicam refectionem addi coepit collatio vespertina, quae quoad nomen originem traxit ex monasteriis: nam diebus ieiunii ad collationes seu conferentias, quae in monasteriis vespere haberi solebant, monachis aliquid liquidi, et „ne noceat potus“ etiam frustulum panis vel aliquid de fructibus permittebatur. Saeculares, eundem morem sumendi aliquid cibi diebus ieiunii ecclesiastici servantes, quantitatem ciborum maiorem paulatim addiderunt, quam consuetudinem postea ecclesia probavit. Deinde refectionem hora ordinaria prandii, quae erat hora duodecima, sumere coeperunt, ac tan-

dem etiam mane pro ientaculo modicum quid sumebant. Hunc quoque usum ecclesia tandem approbavit[1]).

2. Refectio debet esse *moraliter continua:* si enim per interruptionem moralis continuatio solveretur, non una esset refectio, sed plures. Manet una refectio tum si inter unam alteramque comestionem non intercedit nisi horae spatium, tum longiore spatio intercedente, si quis cum intentione explicita vel implicita redeundi ad comestionem a mensa recedit.

Quaeritur, quantum temporis spatium inter unam alteramque comestionem licite intercedere, seu quanta prandii interruptio licite fieri possit.

a. Prandium *leviter interrumpere* etiam sine causa licet; levis interruptio censetur, quae dimidiam horam non excedit. Hinc si quis iam a mensa surrexit cum animo non amplius redeundi, potest iterum comedere, si intra dimidium horae aliquid praeter exspectationem afferatur, quia hoc moraliter ad prandium pertinet.

b. Prandium *notabiliter* i. e. ad horam interrumpere ex rationabili causa licet, modo interrumpens intentionem redeundi habuerit et prius non se refecerit; si id sine causa fiat, leve peccatum est. Ideo licite ante prandium aliquid cibi sumere possunt, qui, ut fieri solet in communitatibus religiosis, ad mensam legunt: cum enim ex iusta causa fiat et cum intentione postea prandendi, sumptio moraliter cum prandio cohaeret.

c. Prandium sine iusta causa *valde notabiliter* (multum ultra horam) interrumpere grave peccatum est, quia comestiones adeo interruptae ad unam refectionem non uniuntur. Si quis autem nondum plene refectus cogeretur prandium intermittere, etiam post duas horas ad illud redire posset, quia ecclesia non exigit, ut quis sine sufficienti refectione diem transigat.

683. De collatione vespertina. 1. Ex consuetudine iam ubique recepta in collatione vespertina, quod *quantitatem* cibi attinet, quarta pars coenae (prandii) vel absolute octo unciae (circiter 240 gr.) licite sumi possunt etiam ab iis, qui hac quantitate plene reficerentur: nam mere per accidens est, quod haec aliquem satient. Ex iusta causa etiam plus sumi potest, praesertim si quantitas superaddita materiam levem non excedat. Quaelibet

[1]) Cf. *Noldin,* Zur Erklärung des Fastengebotes (Zeitschrift f. k. Theol. 1903) S. 565 ff.

autem causa, ob quam aliquis ad officia sua convenienter implenda ampliore cibo indigeat, censeri debet iusta, e. g. complexio corporis, genus laborum, duratio ieiunii, ratio regionis, defectus vini etc.

a. Prior determinatio quantitatis licitae *relativa* est: cum enim quantitas prandii seu plenae refectionis pro diversa ciborum quantitate ad sustentationem in singulis necessaria valde diversa sit, etiam quarta eius pars pro diversis diversa est. Posterior autem determinatio *absoluta* est et in genere plus concedit, quam prior illa relativa.

b. Universalis viget consuetudo in *vigilia nativitatis Domini* sumendi quantitatem duplo maiorem (ieiunium gaudiosum)[1]. In aliquibus locis eadem quantitas duplo maior etiam in aliis vigiliis solemniorum festorum sumitur; ubi haec consuetudo viget, licite servari potest.

c. In pondus praedictum alii computandum esse dicunt solum id, quod habet rationem cibi solidi, non autem, quod rationem potus habet[2]. Alii tamen hac sententia iure reiecta statuunt pondus solidi cibi minuendum esse, si cum aqua, vino vel alio liquore per modum pultis vel offae solida substantia coquatur, ita ut non octo sed solum quinque vel sex uncias panis, farinae, orizae etc. quae decoquantur, sumere liceat[3].

Nota. Quantitas cibi, quae diebus ieiunii vespere licita est, ex instructione, quam nonnulli episcopi in indulto quadragesimali fidelibus proponunt, ita determinari potest, ut dicatur praeter unicam refectionem circiter dimidiam partem ordinariae coenae licite sumi posse. Cum hisce determinetur quantitas, quae praeter unicam refectionem — ergo ad ientaculum et collationem — licite sumi possit, haec regula non multum differt ab ea, quae supra statuitur.

2. Quoad *qualitatem* ciborum in collatione solum cibi leviores non admodum nutritivi permittuntur ut offa, panis, fructus, olera, legumina, dulciaria etc.; quodsi validiores cibi sumantur ut ova, caseus, pisces etc., quantitas proportione debita minuenda est. Etiam in hac re standum est consuetudini, quae alia est in regionibus calidioribus, alia in frigidioribus. Ubi ergo consuetudo aliud non permittit, servanda est haec praescriptio; in nostris autem Germaniae regionibus ex consuetudine non fit distinctio

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 1025.

[2]) *Génicot,* I. n. 437. *Berardi,* Praxis confessariorum[3] II. n. 1474.

[3]) *S. Alphonsus* n. 1029. *Lehmkuhl* I. n. 1211.

ciborum, adeo ut omnes cibi esuriales ea quantitate, quam dixi, indiscriminatim permittantur.

684. De ientaculo. 1. Ex universali consuetudine licitum est mane ientaculum sumere (cafeum, chocolatam, theam cum frustulo panis), sed in parva quantitate tantum, quae scilicet quoad cibum nutritivum duas uncias seu circiter 60 gr. non excedat.

2. Ex declaratione s. Poenitentiariae constat eiusmodi ientaculum ubique sumi posse, etiam ubi consuetudo ientandi nondum invaluit, et ab omnibus, etiam ab iis, qui absque ientaculo ieiunare possent[1]).

685. De tempore refectionis. 1. Ex universali consuetudine tempus unicae refectionis est *circa meridiem;* ubi tamen mos est prandendi hora undecima ante meridiem, non est necesse, ut diebus ieiunii ab hac hora recedatur.

a. Pro *ientaculo* et pro *collatione vespertina* determinatum tempus neque lex neque consuetudo praescribit, quare generatim illud mane, haec autem vespere sumi potest.

b. Tempus refectionis eatenus determinatum est, quatenus refectio ex antiqua consuetudine non rationem prandii sed coenae habere debet. Ideo tempus refectionis antiquitus erat tempus vespertinum vel hora post meridiem tertia; unde sequitur differre refectionem in serius tempus semper licitum esse, illud autem anticipare sine causa non licere.

2. Tempus refectionis etiam *notabiliter anticipare* grave peccatum non est, quia circumstantia temporis respectu ieiunii accidentalis est: si enim unica tantum refectio sumatur, finis a praecepto intentus quoad substantiam non frustratur. Anticipatio notabilis censetur, quae horam excedit. Ideo infra horam refectionem anticipare etiam sine peculiari causa, ultra horam autem solum ex iusta causa licitum est.

---

[1]) „An permitti possit, ut mane diebus ieiunii in parva quantitate sumatur cafeum aut chocolata cum frustulo panis, ut fit in regione canadensi.“ *Respondit s. Poenitent.* 21. nov. 1843 *eos, qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos.*

a. Hanc sententiam *s. Alphonsus* initio quidem tamquam communiorem et probabiliorem proposuerat[1]); postea vero eam ne probabilem quidem habuit, et affirmativam, iuxta quam notabilis anticipatio grave peccatum esset, omnino tenendam edixit[2]). Verum ratio allata, cui innititur sententia negans, certe probabilis est[3]).

b. Iusta et *rationabilis causa* notabiliter anticipandi prandium esset e. g. iter inchoandum, urgens negotium expediendum, debilitas complexionis, consuetudo tali hora prandendi etc.

3. Licet *invertere tempus prandii et coenulae,* adeo ut collatio sumatur circa horam 10. vel 11. matutinam et refectio vespere circa horam 4. vel 5. „si inversionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa"[4]). In hoc casu autem ante cubitum non licet amplius quidquam sumere nisi illarum rerum, quae non frangunt ieiunium. Ex rationabili causa licet etiam mane collationem sumere, meridie prandium et vespere frustulum[5]).

4. Certe non licet tempus refectionis immoderate *protrahere,* quin praeceptum ieiunii violetur; potest autem absque ulla culpa ad *duas horas* protrahi, et si peculiaris causa adesset, etiam ultra hoc tempus.

S. Alphonsus (n. 1020 in fine) haec habet: „*Elbel* cum *Gobato* concedit usque ad tres vel quatuor horas, saltem pro Germanis iuxta eorum morem; sed *Croix* merito dubitat, an haec consuetudo sit approbata, nisi, ut ait, post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores maxime si postea vespere omittatur refectiuncula. Hocque ego nec approbo nec reprobo."

686. *Quid extra plenam refectionem (cum collatione et ientaculo) sumere liceat, quin frangatur ieiunium.* Quod *rationem cibi* habet, diebus ieiunii prohibetur, quod autem *rationem potus* habet, diebus ieiunii licite sumi potest; unde axioma invaluit: *liquidum (i. e. potus) non frangit ieiunium.* Rationem cibi habet, quod principaliter nutri-

---

[1]) Cf. l. 3. n. 1016.

[2]) Cf. secundus elenchus quaest. reform. n. 13.

[3]) *Ballerini-Palmieri* II. n. 1118, qui in hac re complures auctores antiquos ut *Laymann, Lessium, Sporer, Holzmann, Elbel* etc. secutus est.

[4]) S. *Poenitent.* 10. ian. 1834.

[5]) *D' Annibale* III. n. 134.

tioni inservit, sive solidum est sive liquidum; rationem potus habet liquidum, quod ex usu communi sumitur ad depellendam sitim vel ut vehiculum cibi ad iuvandam digestionem.

a. Rationem potus non solum aqua habet, sed etiam vinum, cerevisia, varii liquores ut limonata, aqua saccharata, cafeum, thea cum parva quantitate sacchari admixta, licet per accidens haec etiam nutriant ut cerevisia. Rationem potus autem non habet iusculum, oleum, mel, saccharum, chocolata neque per se lac, quamvis haec liquida sint et potando sumantur. Notandum est autem in nonnullis regionibus (tirolensibus) ex usu et consuetudine lac (flore depuratum) sumi ad depellendam sitim ut alibi vinum vel cafeum; ibi ergo huiusmodi lac sine dubio ad liquida pertinet, quae non frangunt ieiunium.

b. Poma, pira, uvae et eiusmodi fructus potius rationem cibi habent, ideoque non permittuntur, nisi forte in modica quantitate ad exstinguendam sitim sumantur: ea enim non bibere sed comedere dicimus. *S. Alphonsus* permittit electuaria (Pastillen) et liquorem congelatum, sed utrumque in parva tantum quantitate.

c. Extra horam refectionis et collationis liquidum (vinum, cerevisiam etc.) et, *ne noceat potus,* frustulum panis sumere, per se non frangit ieiunium, quia panis per modum medicinae sumitur. Verum panem certe non licet toties sumere, quoties bibere lubet, sed ad summum semel aut iterum in die; praesertim vero iis permitti id potest, qui alias ieiunium ferre non possent, maxime si prandium diu differri contingat.

Articulus tertius.

De causis a ieiunio excusantibus.

687. Quinam excusentur. Ut quis a ieiunio excusetur, requiritur causa gravis gravitati praecepti proportionata. Ad tres revocari possunt causae a ieiunio excusantes, quae sunt: *a.* debilitas corporis; *b.* paupertas; *c.* gravis labor sive corporis sive mentis.

1. *Propter debilitatem corporis* excusantur:

a. Infirmi, convalescentes, debiles; item qui una vice alimentum sufficiens sumere nequeunt; insuper omnes, qui ex ieiunio notabilem capitis dolorem aut vertiginem patiuntur vel qui sine coena per notabilem noctis partem dormire nequeunt.

b. Praegnantes, nutrientes, etsi ob vires robustas ex ieiunio detrimentum pati non videantur; his medici accensent mulieres, quae fluxum menstruum patiuntur.

c. Qui *ex nervis* laborant: ex iudicio enim medicorum „nervosi" cibum in minori quantitate sed frequentius sumere debent; hinc illi, quorum morbus (nervositas) notabilis est, a lege ieiunii excusantur, vel saltem adest sufficiens ratio petendi et concedendi dispensationem.

d. Senes i. e. viri *sexagenarii* ab inchoato 60., feminae *quinquagenariae* ab inchoato 50. aetatis anno. Incipiente enim aetate senili fideles a ieiunio excusantur; sed ex communiter contingentibus senectus in viris incipit a 60., in feminis, quae citius senescunt, sicut citius aetate florent, a 50. aetatis anno. Haec eadem aetas excusat etiam a ieiunio, quod vi regulae in ordinibus religiosis servatur vel quod ex voto suscipitur, nisi aliud expresse statutum sit.

α. Ratio, ob quam aetas senilis a ieiunio excuset, haec est, quia hinc quidem in senectute natura et vires minuuntur ideoque restauratione saepius indigent, inde vero senes ob debilitatem virium et ob calorem paulatim deficientem simul et semel cibum sufficientem concoquere nequeunt, ideoque cibo frequentiore indigent.

β. Cum senes *per se* a ieiunio excusentur, ieiunare non tenentur non solum ii, qui reipsa viribus debiles sint, sed etiam ii, qui satis robusti ad ieiunium ferendum videantur: id enim per accidens est.

2. *Propter paupertatem* omnes illi excusantur, qui non habent, unde plenam refectionem sibi comparent ut ostiatim mendicantes, et qui non habent tales cibos, ut una plena refectio ad nutritionem eis sufficiat: panis enim et legumina vel alii cibi parum nutritivi ad iustam totius diei nutritionem non sufficiunt.

3. *Propter laborem corporis* excusantur: *Operarii,* qui artem mechanicam cum magno corporis labore exercent: agricolae, fabri ferrarii, lignarii, murarii, textores, lapicidae, nautae, baiuli, cursores, sutores, coqui, qui plures cibos pro multis personis parare debent etc.; et hi quidem (ratione consuetudinis) *per se* excusantur, adeo ut nec illi ieiunare debeant, qui ob vires sat rubustas sine gravi

incommodo ieiunare possent, quia artem exercent, quae per se cum magna corporis defatigatione coniungitur.

Itinerantes, si iter sine incommodo differri non potest vel si iam coeptum est, et quidem: *a.* Longius iter pedestre i. e. quatuor vel quinque horarum a ieiunio per se excusat, et si via ardua est vel tempestas maligna vel viator debilis, etiam brevius. *b.* Qui equo vel curru iter agunt, excusantur, si per plures dies in itinere versantur; iter unius diei excusat solum, si cum magna defatigatione agendum est. *c.* Iter autem in viis ferreis, cum laboriosum non sit, solum per accidens excusare potest, si nimirum itinerantes congruo alimento carent.

α. Qui ratione laboris corporalis a ieiunio excusantur, non tenentur ieiunare iis diebus, quibus laborem intermittunt, si uno tantum alterove die id faciunt: namque excusantur, ut vires proximis laboribus necessarias reficiant et conservent. Sed ut reipsa excusati censeantur, qui artem cum gravi labore coniunctam exercent, saltem ordinarie per maiorem diei partem laborare debent: etenim si ordinarie solum per duas tresve horas in eiusmodi laboribus occuparentur, per se excusati non essent.

β. Nemo tenetur, ut ieiunare possit, intermittere labores cum ieiunio insociabiles, quos ordinarie exercet, etsi labore non indigeat, cum etiam propter laborem non necessarium a ieiunio excusetur: ecclesia enim non intendit fideles ab ordinariis occupationibus impedire.

γ. Non licet tamen laborem cum ieiunio insociabilem, qui alias non exercetur, die ieiunii sine iusta causa i. e. mere recreationis causa assumere, nisi valde raro id fiat; licet autem ad finem utilem, etsi non necessarium. Ideo licet die ieiunii suscipere piam peregrinationem, si adsit specialis ratio eo die illam suscipiendi e. g. specialis utilitas spiritualis peregrinantium; quodsi absit specialis eiusmodi ratio, in alium diem differenda est peregrinatio.

Nota. Admitti nequit eos omnes *per se* a ieiunio excusari, qui serium laborem praesertim corporeum exercent: complures enim sunt operarii et artifices, quorum occupatio non adeo laboriosa est, ut per se a ieiunio excusentur, cuiusmodi sunt pictores, scribae, typos collocantes aliique in typographiis laborantes, qui prelum non ipsi versare debent, barbitonsores, sartores, famuli et ancillae, quae leviora tantum servitia domestica peragunt. Ob magnam autem hominum debilitatem nunc temporis horum complures praesertim in oppidis *per accidens* a ieiunio excusantur.

4. *Propter laborem mentis,* qui cum corporali defatigatione saepe coniunctus est, excusantur:

Lectores scientiarum, etsi semel tantum in die lectionem habeant, quando magno studio et labore indigent ad lectiones praeparandas, non autem ii, qui tradunt lectiones iam prius praeparatas et saepius repetitas[1]).

Professores grammaticae et ludimagistri, qui per quatuor vel quinque horas quotidie cum magna defatigatione docere debent.

Studiosi, qui per maiorem diei partem (per novem vel decem circiter horas) scholas frequentant et serio studiis incumbunt.

Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent; et a fortiori missionarii, qui maiore adhuc defatigatione in missionibus exercentur; at generatim non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada sermonem habent, nisi notabile incommodum in ieiunio servanda subeant.

Confessarii excusantur, si poenitentes audire et simul ieiunare sine gravi incommodo nequeant; id autem ordinarie solum contingit, si fere per totam diem i. e. per septem vel octo horas confessiones excipiunt.

Hi omnes tamen non excusantur per se, sed solum *per accidens,* si scilicet ratione alicuius circumstantiae laborem ordinarium aggravantis (debilitas personae, peculiaris gravitas laboris etc.) ieiunantes sua officia obire non possent. Facile autem habent rationem sufficientem, propter quam dispensationem petere et accipere possunt.

Nota. 1. Omnes, qui a lege ieiunii vel abstinentiae se excusari existimant, propter periculum hallucinationis monendi sunt, ut, ubi causa excusans non est omnino manifesta, petant declarationem parochi vel medici, et ut petant dispensationem, ubi propter levitatem causae non sufficiat sola declaratio.

2. In concedenda dispensatione ne sint difficiles superiores ecclesiastici; meminerint autem solam hanc rationem, quod dispensatione negata praeceptum violetur, non esse causam sufficientem concedendae

---

[1]) *S. Alphonsus* n. 1094.

dispensationis. Attamen fideles, qui dispensationem petunt, ordinarie aliquam causam rationabilem habere praesumi possunt ut debilitatem, laborem defatigantem etc.; immo fundatus timor, ne dispensatione non concessa debiles in fide et in vita christiana ab ecclesia alienentur, ipse constituit aliqualem causam concedendae dispensationis.

3. Caveant confessarii, ne de praecepto abstinentiae et ieiunii ad apicem theologiae moralis observando moneant eos, qui in bona fide sunt et non obtemperaturi praevidentur, ne moniti peccata formalia committant et a sacramentis absterreantur.

4. Non quaevis molestia, quae ex ieiunio sequitur, ab eo observando excusat, sed solum gravis molestia externa, quae cum ipsa natura praecepti non cohaeret: aliqua enim corporis debilitatio et aliquis capitis dolor, item difficultas in munere exercendo aliquantulum solitâ maior, necessario ex ieiunio sequuntur, et proinde ad incommoda huic praecepto interna pertinet.

Articulus quartus.

De dispensatione ab abstinentia et ieiunio.

688. Quis dispensare possit: *a. Summus pontifex* pro tota ecclesia. Eius dispensatio ex notis principiis semper valida et exsistente iusta causa etiam licita est.

b. Episcopus cum subditis suis ex iusta causa in casibus particularibus, sed absque indulto non cum integra communitate; ergo nec cum integra dioecesi nec cum aliqua parochia nec cum aliqua familia[1]).

Recenti tempore episcopis concessa est facultas ob gravissimas causas dispensandi in lege abstinentiae, si aliquod festum sollemne inciderit in feriam sextam vel sabbatum, exceptis temporibus quadragesimae et adventus, diebus quatuor temporum et vigiliis ieiunio consecratis. Haec potestas extenditur etiam ad dies, quibus nundinae extraordinariae cum magno populi concursu habentur[2]).

c. Parochus ex consuetudine cum suis subditis in particulari casu i. e. singulares personas, non autem cum

---

[1]) Constitutio Benedicti XIV. *Libentissime* (24. iun. 1745); attamen auctores concedunt episcopo facultatem dispensandi cum aliquo collegio particulari vel instituto *ex causa urgenti* e. g. in morbo epidemico.

[2]) Concessa est haec facultas a *Leone XIII.* per decretum *s. Officii* 5. dec. 1894 et 15. dec. 1897. Cf. Acta s. sedis XXVII. 512.

tota parochia nec cum integra familia ne ad unum quidem diem.

d. Superior regularis cum suis subditis singillatim sumptis, non autem cum integra communitate.

e. Confessarii, nisi sint expresse delegati, nullam habent facultatem dispensandi, sed solum declarare possunt, num adsit causa excusans, quod de cetero etiam medici possunt et superiorissae monialium.

In declaranda impotentia ieiunandi, praesertim si causa excusans non sit plane certa, superiores et confessarii attendant, quod sapienter monet *Sanchez,* ut necessitati provideant cum minima legis iactura; sic ubi sufficiat ientaculum matutinum vel collationem vespertinam indulgentius sumere, hoc concedant, nullatenus vero ex toto ieiunium relaxent[1]).

689. De ipsa dispensatione. 1. *Dispensatio universalis* per indultum pontificium, sive immediate a s. pontifice sive mediate per episcopum conceditur et ordinarie *solum a lege abstinentiae,* non autem a lege unicae comestionis dari solet, quia in hac re legitima excusatio sufficit. Dispensatio autem particularis tum ab utraque lege tum ab alterutra concedi solet.

a. Non deest exemplum concessae facultatis generatim in utraque lege dispensandi ipsiusque dispensationis: Die 14. ian. 1892 s. pontifex *Leo XIII.* omnibus orbis episcopis propter morbos ipso anno grassantes concessit, ut fideles a lege solverent, qua abstinentiam et ieiunium servare tenentur. Ipse s. pontifex per quadragesimam anni 1898 ob grassantes morbos Romae tum ab abstinentia tum a ieiunio dispensavit.

b. Ex voluntate *Benedicti XIV.* particularis dispensatio solum concedenda est *de utriusque medici consilio*[2]). Petitioni ergo adiungendum est testimonium tum parochi vel confessarii tum medici; in quibusdam vero regionibus hoc praeceptum in desuetudinem abiit.

c. A lege *de non miscendis epulis* superiores romano pontifici inferiores dispensare nequeunt sine speciali delegatione. Quamvis rarissime concedatur haec dispensatio, non desunt tamen nonnulla eius exempla.

2. Si quando pro pluribus indeterminate petitur aut conceditur generalis dispensatio a lege abstinentiae, causa

---

[1]) Consil. l. 5. c. 1. dub. 4. n. 3 s.

[2]) Constitutio *Non ambigimus* 30. maii 1741.

dispensationis aliquo modo omnes afficere debet, pro quibus petitur aut conceditur; sic in locis balneorum ratione infirmitatis concedi posset dispensatio pro omnibus, qui in diversorio balneantibus destinato habitant.

3. Is, cui indultum conceditur *vescendi carnibus diebus ab ecclesia vetitis, salva tamen ieiunii lege,* hac dispensatione uti potest non solum diebus abstinentiae, sed etiam diebus ieiunii, at diebus ieiunii solum pro refectione, minime vero pro collatione vespertina: sed si ieiunium servare non tenetur, potest carnes comedere in omnibus comestionibus.

690. Nonnulla documenta ieiunium spectantia, quae ex variis decretis s. Officii et praesertim s. Poenitentiariae colliguntur[1]).

a. Qui ratione aetatis vel laboris vel infirmitatis a ieiunio excusati (non autem, qui ex iusta causa dispensati) sunt, possunt diebus ieiunii, quibus per indultum generale episcopi esus carnis permittitur, *toties carnes comedere, quoties cibum sumunt*[2]), nisi episcopus vi indulti apostolici dispensans hanc facultatem restringat[3]).

Qui ex iusta causa a ieiunio *excusati* sunt, ex voluntate s. sedis, nisi ex eadem causa etiam ab abstinentia excusentur, ab abstinentia plane dispensantur, nisi episcopus aliud statuat. Hanc dispensationem autem s. sedes non extendit ad eos, qui solum ratione *dispensationis* ieiunare non tenentur. Hi ergo indigent peculiari dispensatione, ut saepius carnes comedere possint, quam per indultum quadragesimale licet.

b. Dispensatio concessa patrifamilias per se non extenditur ad totam familiam; quare si filiis permittitur, ut in eiusmodi casu carnes manducent, id non fit propter dispensationem patris, sed propter impossibilitatem, in qua versantur, observandi abstinentiam[4]).

c. Episcopi ex indulto pontificio in esu carnium dispensantes solent iniungere fidelibus, qui dispensatione

[1]) Decreta ipsa confer apud *Lehmkuhl* I. n. 1219 ss.

[2]) *S. Poenitentiaria* 24. febr. 1819.

[3]) *S. Poenitentiaria* 27. maii 1863.

[4]) *S. Poenitentiaria* 16. ian. 1834: 19. dec. 1862; 20. apr. 1865.

utuntur, aliquod opus pium (aut certas preces aut eleemosynam). Hoc praeceptum sub levi obligat et affixum est diei, quare elapso die cessat.

691. *De bulla cruciatae.* 1. Bulla cruciatae primo Hispanis a Iulio II. 1509 concessa et a Gregorio XIII. ampliata fuit. Eadem postea a Pio V. 1569 etiam Neapolitanis concessa fuit.

2. Bulla cruciatae varia eaque magna indulta et privilegia continet; quorum praecipua ad haec quatuor revocantur:

a. Comedendi carnes, ova et lacticinia tempore ieiuniorum totius anni (paucis diebus exceptis)[1]).

b. Commutandi vota simplicia in alia pia opera et aliquam eleemosynam exceptis votis castitatis et religionis et peregrinationis ultramarinae.

c. Absolvendi a peccatis et censuris reservatis cuilibet ordinario et etiam sedi apostolicae, excepto crimine haereseos et quoad ecclesiasticos excepta censura, quae continetur in bulla *Sacramentum poenitentiae.*

d. Complures indulgentiae tum partiales tum plenariae.

3. Ut quis gaudeat gratiis et privilegiis bullae, debet *summarium* bullae recipere, taxatum stipendium solvere et receptum summarium prudenti diligentia custodire. Bulla autem recepta valet per annum, unde quotannis soluta taxa denuo sumi debet. Potest summarium bullae etiam bis quovis anno sumi dato pro quolibet taxato stipendio; quod qui fecerit, gratiis bullae bis in anno frui potest.

4. Bulla conceditur „Omnibus christifidelibus, qui degunt in toto hispanico territorio, vel qui in illud veniunt infra annum a publicatione bullae, eleemosynas erogant ad pios fines et eiusdem bullae summarium accipiunt."

5. *Notandum: a.* Bulla dicitur *cruciatae,* quia ad similitudinem illarum bullarum, quae olim occasione „cruciatae" ad recuperandam terram sanctam concessae fuerant, regi Hispaniarum pro expugnatione infidelium concedebatur.

b. Etsi ratio, propter quam primitus concessa fuit, non amplius vigeat, ipsa bulla tamen adhuc vim habet, quippe quae a summis pontificibus pluries prorogata fuerit. Eleemosynae vero, quae hac ratione colliguntur, in alias pias causas impenduntur.

c. Bulla cruciatae non est privilegium personale, sed *locale,* ideo extra Hispaniam vel regnum neapolitanum non licet ea uti[2]). Bullae privilegia sunt *late* interpretanda.

[1]) Hoc privilegium proprie non continetur in Bulla cruciatae, sed in addito indulto apostolico pro usu carnium.

[2]) *S. Officium* 2. iun. 1897.

Liber secundus.

De annua confessione et de communione paschali.

Quaestio prima.

De annua confessione.

692. De ipso praecepto. Statuit ecclesia, ut omnes fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, saltem semel in anno peccata sua confiteantur proprio sacerdoti.

a. Confessio annua primo praescripta est a *concilio lateranensi IV.* c. 21.: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti . . . suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.“ Idem praeceptum a *concilio tridentino* innovatum est[1]).

b. Cum certum anni tempus, quo ex praescripto ecclesiae peragenda sit confessio, determinari non possit, praecepto annuae confessionis satisfit, quocunque anni tempore instituatur confessio. Quomodo ex voluntate ecclesiae computandus sit annus, intra quem instituenda sit confessio praescripta, certo non constat. *De Lugo*[2]) quidem tuetur annum iuxta usum civilem a ianuario ad ianuarium computandum esse, quia vox *anni* naturaliter hunc sensum habet; nihilominus praeferenda videtur sententia, quam cum aliis tenet *Suarez*[3]), annum computandum esse a paschate ad pascha, tum quia universalis consue-

---

[1]) Cf. sess. 13. can. 9.; sess. 14. can. 8. et c. 5.

[2]) *Lugo,* De poenitent. disp. 15. n. 157.

[3]) *Suarez,* De poenitent. disp. 35.

tudo legem in hunc sensum interpretata est, tum quia ecclesia communionem in paschate praecipiens eodem tempore etiam confessionem tamquam necessariam praeparationem praecipere videtur.

693. Eius declaratio. 1. Praeceptum annuae confessionis *sub gravi* obligat, id quod tum ex gravitate materiae tum ex addita gravi poena (privatio sepulturae ecclesiasticae) colligitur.

2. Praeceptum istud per se obligat omnes fideles, *qui ad annos discretionis pervenerunt* i. e. gravis peccati capaces sunt; expleto igitur septennio fideles ad confessionem obligantur, nisi constet ipsos praeter ordinarium naturae cursum ad sufficientem usum rationis nondum pervenisse.

Ab obligatione admittendi ad confessionem pueros, qui octavum aetatis annum attigerunt, non excusantur parochi, nisi prudenter supponant eos nondum graviter peccasse. Si itaque, quod monet *Busenbaum*, „puer crasso saltem modo videatur cognoscere Deum per hoc vel illud offendi ostendatque dolorem et propositum, debet absolvi, secus tamen si non notetur sufficiens usus rationis; si vero dubium sit, potest (immo in articulo mortis debet) absolvi sub condicione."

3. Praeceptum confessionis annuae illos tantum obligat, *qui grave peccatum commiserunt:* ad confessionem enim venialium neque iure divino tenemur, quia secundum concilium tridentinum venialia in confessione citra culpam taceri possunt[1]), neque iure ecclesiastico, quia ecclesia hoc praecepto non intendit novam quoad materiam confessionis obligationem imponere, sed solum tempus instituendae confessionis praescribere.

Praecepto annuae confessionis ille tantum satisfacit, qui confitetur materiam necessariam, quae sola cadit sub praecepto, non autem, qui solum venialia confitetur (aut mortalia iam remissa), quia haec non cadunt sub praecepto. Qui ergo e. g. in paschate venialia tantum confessus est et dein labente anno peccatum mortale committit, eo ipso anno ad alteram confessionem tenetur. Hanc doctrinam complures auctores cum *Lugo* tuentur[2]); *Ballerini* autem cum multis aliis censet eum, qui solum venialia commisit, non obligari quidem ad confessionem, per ipsam autem confessionem venialium satisfieri praecepto. Et

[1]) Sess. 14. c. 5.

[2]) Cf. *Lugo,* de poenitent. disp. 15. n. 162 ss.

sane usus et persuasio fidelium hanc opinionem certe confirmat: qui enim tempore paschali sua venialia confitetur cum animo satisfaciendi praecepto, huic se satisfecisse existimat, nec putat se obligari ad confessionem eodem anno denuo instituendam, si forte peccatum mortale commiserit[1]). Insuper aequum non est, ut melioris condicionis sit, qui eodem anno peccata mortalia, quam qui solum venialia confessus sit. Unde merito suadet *Lehmkuhl* (n. 1204) fideles de ulteriore obligatione non esse monendos.

4. Huic praecepto non satisfit per *confessionem invalidam* et multo minus per *sacrilegam:* nam praeceptum divinum exigit confessionem, qua peccator reconcilietur cum Deo, quod solum per confessionem validam fieri potest. Hinc contraria propositio damnata est[2]).

5. *Proprius sacerdos* est porochus, episcopus et papa; confessio autem nunc fieri potest cuicunque sacerdoti approbato, nec requiritur amplius, ut fiat parocho vel in ecclesia parochiali: nam post privilegia pontificia regularibus concessa consuetudo invaluit peragendi confessionem annuam apud quemcunque sacerdotem approbatum, qua consuetudine abolita est contraria dispositio concilii lateranensis.

6. Utrum obligatio confitendi affixa sit tempori unius anni *ad finiendam,* an vero *ad urgendam obligationem,* non consentiunt auctores; verum omnino dicendum videtur cum *s. Alphonso* tempus ab ecclesia determinari ad urgendam impletionem praecepti divini[3]).

Qui ergo praeceptum intra annum non implevit, tenetur postea; quamprimum confiteri ad implendum praeceptum, quia adhuc urget obligatio anni praecedentis.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* V. n. 696.

[2]) Propositio 14. ab *Alexandro VII.* damnata: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto ecclesiae.*

[3]) Cf. *Lugo,* De poenitentia disp. 15. n. 177 ss.

Quaestio secunda.

De communione paschali.

694. De ipso praeceptо. Praecipit ecclesia, ut omnes fideles sufficientem discretionem habentes saltem semel in anno, et quidem tempore paschali, in propria parochia ad s. communionem accedant[1]).

Hoc praeceptum quoad *rem divinum*, quoad determinationem autem *temporis ecclesiasticum* est. Reipsa hoc praeceptum duo continet, alterum *divinum-ecclesiasticum*, scilicet praeceptum divinum de manducanda carne Christi quoad tempus indeterminatum ab ecclesia ita determinatum, ut saltem semel in anno s. communio sumenda sit; alterum *mere ecclesiasticum* de communione sumenda tempore paschali, quia tempus paschale ad implendum hoc praeceptum maxime conveniens est propter memoriam, quae tunc recolitur, institutionis huius sacramenti et passionis dominicae.

695. Eius declaratio. 1. *Annus,* intra quem sumenda est s. communio, ex universali consuetudine ab ecclesia probata computatur a *paschate ad pascha*[2]), ita ut annus incipiat a fine unius temporis paschalis et desinat cum fine sequentis temporis paschalis.

Tempus paschale ex universali lege ecclesiae complectitur solum *quindecim dies* a dominica palmarum usque ad dominicam in albis inclusive[3]). Episcopi tamen illud prorogare possunt; et pro singulari quidem persona vel pro aliquo pago vi potestatis quasi-ordinariae, pro tota dioecesi autem ex consuetudine vel, ubi haec non viget, ex speciali facultate s. sedis. Parochi et confessarii existente legitimo impedimento pro singulari persona communionem paschalem ad tempus differre possunt ex concilio lateranensi.

---

[1]) Cf. *concilium lateranense IV.* c. 21. *Omnis utriusque sexus concilium trid.* sess. 13. can. 9.

[2]) *Eugenius IV.* const. *Fide digna* 8. iul. 1440.

[3]) *Eugenius IV.* in cit. constit.

Ergo tempus paschale, quod in plerisque locis ultra quindenam paschalem prorogatur, considerari debet tamquam *privilegium locale*, quo fruuntur tum ii, qui in ipso loco domicilium aut quasi-domicilium habent, tum vagi et peregrini, qui communionem paschalem licite extra propriam parochiam suscipere possunt.

2. Praeceptum hoc etiam *quoad determinationem temporis grave est;* qui ergo s. communionem ultra tempus paschale vel ad diem culpabiliter differt, per se grave peccatum committit.

3. Determinatio temporis apponitur non ad finiendam obligationem, sed *ad urgendam observationem.*

a. Ratio huius sententiae, quam recentiores praesertim post *s. Alphonsum* (l. 6. n. 297) fere unanimiter statuunt, ex verbis concilii lateranensis et tridentini desumitur: cum enim dicatur fideles teneri *ad minus in pascha* vel *saltem in paschate,* manifesto statuitur duplex obligatio, altera primaria communicandi semel in anno, altera secundaria id faciendi tempore paschali. Accedit, quod concilium lateranense eos, qui ob defectum dispositionis tempore paschali communicare non possunt, ad s. communionem postea sumendam obligat; hoc autem non faceret, si obligatio cum tempore paschali cessaret.

b. Qui ergo non communicavit tempore paschali, tenetur postea per decursum anni (usque ad sequens tempus paschale) communicare; necesse autem non est, ut id *quamprimum* fiat: cum enim, ut monet *de Lugo,* communio *paschalis* facta sit impossibilis, non manet nisi praeceptum communicandi semel in anno, cui quovis anni tempore satisfieri potest[1]).

4. Huic praecepto non satisfit per sacrilegam, sed *solum per dignam communionem;* sicut enim solum digna communione satisfieri potest praecepto divino, ita ex voluntate ecclesiae etiam praecepto ecclesiastico solum digna communione satisfit, ut constat ex propositione (55) ab *Innocentio XI.* damnata[2]).

696. De loco communionis paschalis. 1. Communio paschalis ex praecepto ecclesiae in *propria parochia* reci-

---

[1]) Cf. *Lugo,* De euchar. disp. 16. n. 69.

[2]) Propositio 55. ab *Innocentio XI.* damnata: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Dei manducationem.*

pienda est[1]). Quae quidem circumstantia loci *sub gravi* obligat, quia eius finis gravis est, ut scilicet pastor proprias oves cognoscere possit, hae vero suam erga eum subiectionem contestentur. Ergo non satisfacit praecepto, qui in paschate communicat in ecclesia cathedrali vel in ecclesia regularium, sed tenetur denuo in ecclesia parochiali communicare.

a. Si praeceptum communicandi in ecclesia parochiali *grave* dicitur, his non affirmatur eum iam graviter peccare, qui semel, sed eum, qui saepius communionem paschalem in alia ecclesia sumit.

b. Qui tempore paschali in *propria parochia sacrilege* communicavit, tenetur quidem denuo communicare, at non tenetur communicare in parochia, quia praecepto, quatenus circumstantiam loci praescribit, iam satisfecit. Qui tempore paschali *extra ecclesiam parochialem* communicavit, per se tenetur postea communicare in parochia, nisi adfuerit legitimum impedimentum excusans (e. g. absentia, infirmitas), quominus ad ecclesiam parochialem accederet. Qui autem *non communicavit tempore paschali,* tenetur postea in ecclesia parochiali id facere, quia etiam praeceptum communicandi in propria parochia adhuc urget, nisi aut consensus parochi aut legitimum impedimentum excusat.

c. Praecepto satisfacit, qui tempore paschali s. communionem *per modum viatici* recipit a parocho vel eius delegato: nam una actione diversa praecepta impleri possunt, si fini utriusque praecepti satisfit; insuper etiam finis alterius praecepti, qui est submissio erga proprium parochum, hac ratione obtineri potest, quia viaticum de manu proprii parochi recipitur.

d. Infirmus, qui *ante tempus paschale viaticum* suscepit, tempore paschali communicare debet, quia praeceptum impleri non potest, antequam urget. Susceptio autem communionis paschalis pro eiusmodi infirmo ultra tempus paschale, si opus esset, differri potest: ecclesia enim consentit in dilationem, ubi quis legitime impeditus fuerit.

2. Licentiam communionem paschalem *extra parochiam* in alia ecclesia sumendi concedere potest s. pontifex, episcopus (vicarius generalis) et parochus: etenim hi omnes significantur nomine proprii pastoris.

---

[1]) Hoc praeceptum nec in concilio lateranensi nec in concilio tridentino clare expressum continetur, sed per consuetudinem primitus introductum postea variis summorum pontificum, praesertim Clementis VIII., Clementis X. et Benedicti XIV. (const. *Magno cum animi* 2. iun. 1751) decretis firmatum est. Cf. De synodo l. 9. c. 16. n. 5.

Sufficit etiam *licentia praesumpta*, dummodo morali certitudine constet parochum consentire. Consensus iste sive parochi sive episcopi nunc temporis in magnis civitatibus eo facilius praesumi potest, quo maius est periculum, ne complures fideles a sacra communione omnino abstineant, si aut ecclesiam parochialem adire aut a parocho licentiam alibi communicandi petere cogantur[1]).

3. A praecepto sumendi communionem paschalem in ecclesia parochiali *eximuntur:*

a. Sacerdotes, qui per missae celebrationem ubique satisfaciunt.

b. Regulares utriusque sexus et saeculares, qui sunt de eorum familia.

c. Peregrini, qui cum ad propriam parochiam accedere nequeant, communionem suscipere possunt in loco, ubi tempore paschali versantur, nec tenentur adire eius loci parochiam, quia loci parochus non est eorum pastor. Item vagi, qui propriam parochiam non habent.

d. Fideles omnes iis in locis, in quibus contraria consuetudo (40 annorum) legitime introducta est ut in hisce nostris regionibus.

697. De prima communione puerorum. Quaestionem hucusque inter theologos controversam, qua nempe aetate pueri admittendi sint ad primam communionem, apostolica sedes ipsa novo decreto diremit, eodemque decreto praxim in diversis ecclesiae partibus valde diversam ad unitatem revocavit[1]).

a. Summi momenti est hoc decretum, quippe quod authenticam interpretationem exhibeat tum legis divinae de s. Eucharistia sumenda, tum canonis lateranensis et tridentini de hac eadem re agentis.

b. Aetas primae communionis ex obligatione sumendae hucusque in diversis locis variabat inter octavum et decimum quartum aetatis annum, adeo ut ante determinatum annum e. g. 10. immo quandoque (praesertim in Germania et Gallia) ante 14. prima communio non concederetur. Ad hanc aetatem determinandam pastores plerumque non ex interna puerorum dispositione, sed ex adiunctis externis rationes desumebant.

---

[1]) S. C. de S. 10. aug. 1910.

1. Reiecta distinctione inter usum rationis imperfectum et perfectiorem, s. Sedes statuit pueros admittendos esse ad primam confessionem simul et communionem, cum primum ad annos discretionis pervenerint, id quod septimo circiter aetatis anno contingit.

a. Primis ecclesiae saeculis (fere usque ad saec 13.) s. communio vel ipsis infantibus dabatur statim post baptismum susceptum et in aliquibus locis etiam hinc inde per decursum infantiae, et quidem sub specie vini. Posteriore tempore iis dabatur, quando usum rationis adepti erant, et conc. later. IV. edixit, ad sacramentum poenitentiae et eucharistiae suscipiendum omnes teneri, quando ad usum rationis seu ad annos discretionis pervenerunt. Decursu temporis factum est, ut aliam discretionem ad confessionem, aliam eamque perfectiorem ad s. communionem exigerent et proinde s. communionem ad maturiorem aetatem remitterent.

b. Non sunt admittendi ad ss. sacramenta, antequam sufficienter instructi sunt. Attamen non requiritur, ut perfectam doctrinae christianae sacramentorumque, quae suscipiant, cognitionem acquisierint, sed sufficit, ut mysteria necessitate medii necessaria pro suo captu percipiant, eucharisticum panem a communi et corporali distinguant et ea devotione, quam eorum fert aetas, ad s. communionem accedant: perfectiorem enim dispositionem compensat eorum innocentia. Perfectiorem catechismi cognitionem postea gradatim addiscent.

2. Iudicium de idoneitate puerorum ad s. communionem suscipiendam eorumque ad primam communionem in forma privata admissio ad parentes et confessarium spectat. Attamen prima communio in forma sollemni in nonnullis regionibus (e. g. in Germania, Austria, Gallia, Belgio) ex iure particulari provinciae vel dioecesis aut ex consuetudine ad parochos spectat, salvis exceptionibus quoad regulares, qui educationi iuventutis dant operam[1]).

3. Si autem pueri in *mortis periculum* adducantur, tenetur parochus praemissa apta instructione s. viaticum eis praebere, etsi ad s. communionem nondum admissi fuerint, modo signa discretionis in eis appareant. Quod cum ante septennium completum iam contingere possit,

[1]) *S. C. Ep. et Reg.* 14. mart. 1908 regularibus ius asserit admittendi alumnos ad primam communionem in forma sollemni.

parochus prudenter explorare debet, num forte iam sint huius sacramenti capaces: nam in articulo mortis urget praeceptum divinum sumendi s. eucharistiam[1]).

Nota. Rationes, quae huic decreto ansam dederunt, potissimum hae sunt: *a.* Christus Dominus singulari amore prosequitur parvulos atque, ut ad ipsum veniant, ex corde desiderat; parvuli vicissim indito amore ac desiderio in Iesum, patrem et amicum suum, feruntur. *b.* Ad innocentiam conservandam summopere confert, ut pueri spirituali cibo alantur, antequam sensuales tentationes exsurgant, eodemque ut saepius roborentur, quo tempore mundi periculis exponuntur.

---

[1]) *Benedictus XII.* De synodo l. 7 c. 12. n. 3.

Liber tertius.

De prohibitione librorum[1]).

Triplex distinguenda est prohibitio legendi libros pravos: *a.* ex lege naturae; *b.* ex lege ecclesiastica simpliciter prohibente; *c.* ex lege ecclesiastica prohibente cum censura. De tertia agendum est, ubi de poenis ecclesiasticis dicitur, de secunda hoc loco agendum est, ita tamen, ut etiam de prima pauca praemittantur.

698. De prohibitione librorum ex lege naturae. 1. Lege naturae prohibita est lectio cuiusvis libri, qui fidei vel bonis moribus *periculum affert;* cum igitur ratio prohibendi sit periculum spirituale, quod ex lectione timendum est, consequitur *a.* omne id prohibitum esse, quod legenti damnum afferre potest, cuiusvis formae vel magnitudinis sive typis impressum sive manu descriptum est; pari modo nihil referre, utrum aliquis librum ipse legat, an legentem audiat; *b.* prohibitionem hanc cessare, ubi

[1]) *A. Vermeersch,* De prohibitione et censura librorum[4] (Romae, Desclée. 1906). *J. Hollweck,* Das kirchliche Bücherverbot[2] (Mainz. Kirchheim. 1897). *Ph. Schneider,* Die neuen Büchergesetze der Kirche (Mainz. Kirchheim. 1900). *M. C. Gennari,* La costituzione „Officiorum" (Napoli. Typogr. d. Artigianelli. 1898). *G. Péries,* L'Index (Paris. Roger et Chernoviz. 1898). *J. Pennachi,* Commentarium in constitutionem *Officiorum ac munerum* (Romae. Typogr. S. C. de. prop. fide. 1898). *A. Boudinhon,* La nouvelle législation de L'index (Paris. Lethielleux. 1899). *J. Hilgers,* Der Index der verbotenen Bücher (Freiburg. Herder. 1904). *Wernz,* Ius decretalium (Romae. Typogr. polyglotta. 1901) III. De prohib. censura et divulgat. librorum n. 95—131. *Sleumer,* Index romanus[2] (Osnabrück. Pillmeyer. 1906).

omne periculum perversionis cesset; ideo uni prohibitum esse potest, quod alteri licet.

2. *Gravitas peccati*, quod legens librum iure naturae prohibitum committit, non a qualitate vel magnitudine libri, sed unice a periculo dependet, quod ex lectione enascitur; si igitur periculum proximum gravis damni spiritualis timendum est, erit grave, si autem vel periculum remotum gravis damni vel periculum proximum levis damni ex lectione oritur, leve peccatum erit. Quocirca ex causa proportionate gravi licitum est libros legere, ex quibus nonnisi leve aut remotum periculum timendum est.

Ergo prava folia (Zeitungen) legere grave peccatum est, si ex lectione proximum periculum gravis damni spiritualis timetur; et quoniam frequens lectio ordinarie eiusmodi periculum affert, ipsa ordinarie grave peccatum est.

3. *Retinere* libros pravos lege naturae eatenus prohibitum est, quatenus ex retentione periculum damni spiritualis proprii vel alieni oritur.

Quaestio prima.

De prohibitione librorum in genere.

699. De ipsa lege. 1. Omnia praecepta ecclesiae, quae de lectione atque editione librorum hodie adhuc vigent, continentur in constitutione recenter edita *Officiorum ac munerum* et in *Indice librorum prohibitorum* iussu huius constitutionis edito: abrogatis enim omnibus legibus et statutis antea hac de re editis, sola decreta, quae in hac constitutione et in Indice continentur, vim legis habent[1]).

a. Est quidem et alia constitutio de libris pravis agens, nempe *Sollicita et provida* Benedicti XIV. (9. iul. 1753), quae ex voluntate

[1]) Constitutio *Officiorum ac munerum* Leonis XIII. 25. ian. 1897.

s. pontificis adhuc vim suam retinet; sed cum benedictina haec constitutio solum normas statuat a s. congregatione Indicis et a s. Officio sequendas in examinandis et proscribendis libris, constitutio *Officiorum* et Index continent omnes leges universales hodie de hac re vigentes.

b. Ergo abrogatae sunt etiam praescriptiones *Urbani VIII.* de narratione miraculorum et de appellatione Sancti vel Beati servis Dei attributa; quocirca protestationes, quae vitis sanctorum vel beatorum antea praefigendae erant, nunc omitti possunt.

c. Duplex excommunicatio, quae circa libros prohibitos in bulla *Apostolicae sedis* (I. 2., IV. 5.) habetur, per hanc constitutionem abrogatur quidem, attamen in posterum adhuc viget, quia utraque in hac constitutione instauratur (n. 47. 48).

2. Obligatio praeceptorum et prohibitionum huius constitutionis *in materia gravi gravis* est: finis enim legis arcendi a fidelibus periculum, quod ex pravorum librorum lectione fidei et moribus imminet, gravis est, et ad hunc finem obtinendum lex ipsa multum confert. Idem praeterea ex additis poenis gravibus colligitur.

Ergo tum praecepta ex se gravia in materia levi, tum nonnulla huius constitutionis praecepta leviora ob materiae parvitatem sub levi tantum obligant. Sic liber, qui propter materiam, quam tractat, prohibetur, sub gravi prohibitus censetur, liber autem in se aut nullatenus aut non multum periculosus, qui propter defectum approbationis prohibetur, ordinarie non censetur sub gravi prohibitus.

3. Haec constitutio *universalis est,* quae omnes totius orbis fideles afficit: sic enim in praefatione ipsius constitutionis habetur: *Quibus* (decretis generalibus) *catholici homines toto orbe religiose pareant;* et n. 45. dicitur: *Libri ab apostolica sede damnati ubique gentium prohibiti habeantur.* His igitur controversia de obligatione *indicis* sublata est[1]).

Ergo *consuetudo universalis* huic constitutioni contraria, si alicubi erat legitima, hac constitutione certe ablata est; num etiam abrogatae sint legitimae consuetudines *particulares,* auctores non conveniunt. Assentiendum videtur iis, qui omnes, etiam particulares consuetudines, abrogatas censent: quamvis enim in ipsa constitutione clausula derogatoria expresse non contineatur, constat tamen de voluntate legislatoris introducendi inter omnes catholicos totius orbis uniformam hac de re disciplinam[2]).

[1]) Cf. *S. C. Ind.* 23. maii. 1898.

[2]) Cf. *Wernz* n. 110 nota 46, econtra *Vermeersch* n. 21.

4. Non solum *poenae* sed etiam *prohibitiones,* quas constitutio haec continet, *strictae interpretationis* sunt: etenim omnes notas prae se ferunt, quae legem faciunt odiosam. Insuper antiquae leges ex mente legislatoris hac constitutione effectae sunt *aliquanto molliores, ita plane, ut iis obtemperare . . . grave arduumque esse non possit*[1]*;* sed huic fini non respondet nisi stricta interpretatio.

Nec quidquam valet argumentum, quod in favorem fidei latae sint: omnes enim leges aut fidei aut moribus favent, sed eo favent, quod libertatem restringunt et culpam poenamque inducunt.

5. Huius constitutionis *prohibitiones,* quae libros vetant propter *materiam,* quam tractant, comprehendunt etiam libros antea editos, quia idem legentibus afferunt periculum sicut libri postea edendi; quae vero libros prohibent propter *defectum approbationis,* non extenduntur ad libros antea editos: cum enim in hoc casu lex afficiat actionem humanam, valet principium: lex non agit retro.

700. Quae materia gravis. *a.* Quoad *editionem* libri ordinarie grave peccatum committit, qui edit librum ideo prohibitum, quia pravus eiusque lectio nociva est: etenim indefinite multos in periculum damni spiritualis inducere potest. Quodsi liber ideo prohibitus est, quia debita approbatione caret, grave peccatum facilius abesse poterit.

b. Quoad *lectionem* grave peccatum committit, qui legit notabilem partem libri prohibiti; atqui in libro (parte libri) sive propter materiam, quam tractat, sive propter modum tractandi vere periculoso tres quatuorve paginae, in libro vero vel potius in parte libri, quam constat non esse graviter periculosam, circiter 30 (si liber sit parvae formae 60) paginae partem notabilem constituunt.

Antiquorum hac de re sententia fere haec erat, paucas lineas ad gravem materiam sufficere, si ibi continetur error contra fidem, et paucas paginas gravem materiam constituere, si in illis tractetur materia indifferens[2]). Gravis materia ex hoc principio determinanda est:

---

[1]) Cf. Praef. const. *Officiorum ac munerum.*

[2]) Cf. *Lugo,* De fide disp. 21. n. 85. *S. Alphonsus* l. 7. n. 284. 292.

materia, quae legenti per se seu ordinarie grave periculum inducit, gravis est, etsi per accidens in casu particulari maius vel minus periculum afferat; ex quo principio, consideratis adiunctis nostri temporis et ratione recentis constitutionis, norma supra exposita sequi videtur.

c. Quoad *retentionem* grave peccatum committit, qui librum prohibitum ultra mensem retinet. Si quis tamen librum prohibitum ex rationabili causa retinet, e. g. donec advenerit licentia vel donec occasionem tradendi librum alicui habenti facultatem nactus sit, non est damnandus de peccato, quamvis diutius illum retineat, non tamen notabiliter ultra mensem: nam intra hoc tempus petita licentia vel exspectata occasio facile adesse potest.

701. Quid nomine libri intelligatur. Nomine *libri* intelligitur scriptum, quod *aliqua mole* et *unitate obiecti* constat et *typis* impressum est. Quid nomine libri significetur, ex usu loquendi hodie recepto desumendum est; sed hodie non vocatur *liber*, nisi scriptum his notis distinctum.

a. Aliqua moles. Quaenam moles requiratur, ut scriptum possit dici liber, ex usu communi repetendum est; ut tamen aliqualis norma habeatur, dici poterit scriptum, quod in forma libri seu integri tractatus exaratum 10 integris foliis = 160 paginis constat, nomine libri significari.

α. Haec sententia, qua nomine libri non significatur nisi scriptum aliqua mole constans, duplici insuper argumento confirmatur. Ex declaratione enim ecclesiae excommunicationem in legentes *libros prohibitos* inflictam non incurrunt, qui legunt *ephemerides* propugnantes haeresim[1]). Deinde ipsa haec constitutio distinguit inter libros et minoris molis scripta, cum diaria, folia, fasciculos etc. expresse nominet, sicubi etiam haec comprehendere suis decretis intendat.

β. Quare nomine libri non comprehenduntur *ephemerides, folia volantia, epistolae, orationes,* exigui *fasciculi* nec *folia* ex libro prohibito *separata.*

b. Unitas obiecti; quare libri non sunt parvi fasciculi diversi obiecti in unum volumen ligati, nec ephemerides seu diaria in unum volumen collecta; unitas autem obiecti, quae ad librum constituendum requiritur, non deest publicationibus periodicis, quae ad unum volumen com-

[1]) *S. Officium* 27. apr. 1880.

ponendum destinantur. Quare tum singuli fasciculi periodicae publicationis (modo requisita mole constent) tum volumen ex pluribus eiusmodi fasciculis compositum, librum constituunt[1]).

Ergo nomine libri non comprehenduntur *anthologiae* seu *chrestomathiae,* quae partes ex prohibitis operibus desumptas continent, proindeque prohibitae non sunt, nisi aut ex tota indole collectionis fidei vel bonis moribus adversentur, aut partes prohibitae tantae sint, ut vel singulae vel omnes simul (quibus scopus collectionis sufficientem unitatem tribuere videtur) ad quantitatem libri excrescant.

c. Typis impressum. Antiquitus quidem, scilicet ante inventam artem typographicam opus manuscriptum dicebatur liber; hodie vero usu communi libri a manuscriptis distinguuntur. Insuper quia manuscripta difficilius divulgantur et minus etiam ex eis imminet periculum perversionis, saltem probabile est *manuscripta* non comprehendi nomine libri.

Illa ergo decreta, in quibus de solis *libris* sermo est, non sunt extendenda ad libellos et scripta tam exiguae molis, ut non censeantur libri, nec ad manuscripta vel ad scripta lithographice impressa.

702. Termino „prohibere" usu ecclesiastico tres actiones directe interdicuntur: librum *edere, legere, retinere*[2]).

a. Librum *edere* dicuntur, qui librum vulgandum curant, qui proinde vulgationis exstant causa primaria et principalis, scilicet *auctor,* qui opus conscripsit, si tamen eo fine, ut edatur, illud tradidit; *typographus,* qui opus imprimendum suscipit; *editor,* qui opus impressum divulgandum curat.

Non raro typographus ab editore distinctus est, quo in casu typographus ad eos pertinet, qui editori proxime cooperantur, idque plerumque formaliter, quamvis etiam materialiter tantum cooperari possit.

---

[1]) *S. Officium* 13. ian. 1892 declaravit censuram latam in legentes *libros* haereticorum eos incurrere, „qui scienter legunt publicationes periodicas in *fasciculos* ligatas.

[2]) Cf. *D' Annibale,* Summula Theologiae moralis[5] (Romae. Desclée 1908) III. n. 143.

b. Librum *legere* dicuntur, qui propriis ipsi oculis librum perlustrantes intelligunt, quae scripta sunt.

Ergo *legere* non dicuntur, qui alium legentem audiunt, nec qui memoriter ex libro aliquid recitant, nec qui propriis oculis librum lustrantes ex ignorantia idiomatis, quae legunt, non intelligunt. Qui alium legentem audit, quem ipse precibus vel iussione ad legendum induxerit, vere *moraliter* legit, scilicet, per alium. Nihilominus iuxta probabilem *s. Alphonsi* sententiam (n. 292) inter legentes non numeratur, quia lex ad *physice* legentes restringenda est.

c. Librum *retinere* dicuntur, qui librum sive proprium sive alienum apud se servant aut retento dominio apud alium deponunt, nisi is facultatem habeat legendi retinendique libros prohibitos et librum servet, donec tradens legendi facultatem obtinuerit.

α. Librum *retinere* ne ei quidem licet, qui illum ob ignorantiam idiomatis non intelligit.

β. *Custos bibliothecae* non dicitur *retinere* libros, quia non in propria domo neque in proprio cubiculo neque proprio nomine eos asservat.

γ. *Compactor librorum,* qui libros prohibitos compingit, eos retinere dicendus est; si tamen eos compingit pro habente facultatem legendi, per epikiam excusatur; si pro non habente facultatem legendi compingit, investigandum est, num rationem excusantem habeat proportionate gravem.

δ. Qui habet librum prohibitum, hunc aut destruere aut habenti facultatem retinendi tradere aut sibi facultatem illum retinendi comparare debet.

703. De libro prohibito. *a.* Liber *totus* prohibetur, non sola pars, quae errorem continet vel legenti periculum affert; si tamen haec pars quomodocunque removetur, ita ut legi non possit, cessat prohibitio[1]).

Libri ergo prohibiti ne partes quidem innocuae licite legi possunt, etsi quis proponat omittere partem, quae ansam dederat prohibitioni, quia considerata hominum indole imminet periculum, ne etiam partem prohibitam legant, qui semel aliam partem legere inceperint. Hinc etiam fit, ut amota parte, quae ansam dederat prohibitioni, cesset prohibitio libri, quia cessat omne periculum legendi partem nocivam.

b. Si opus prohibitum pluribus tomis constat, *omnes* prohibentur, si de eodem argumento eoque indivisibili agunt;

[1]) *S. Alphonsus* n. 283.

solus tomus, qui errorem seu partem periculosam continet, prohibetur, si diversi tomi agant de argumento diverso, vel de eodem quidem sed divisibili, ut est e. g. historia universalis, quia in hoc casu diversi tomi plures diversi libri censentur[1]).

c. Prohibetur etiam eius libri *nova editio,* quantumvis emendata sit, nisi obtenta fuerit edendi licentia a s. congregatione Indicis (n. 31), et eiusdem *translatio,* in quodcunque idioma vertatur (n. 45).

Operis prohibiti *compendium* non est nova eiusdem operis editio, sed considerari debet ut novum opus a priore distinctum.

d. Si alicuius auctoris *opera omnia* prohibentur, α. prohibita censentur opera, quae de religione agunt, eorum vero, quae de religione non agunt, ea tantum, quae vel ex speciali vel ex generali decreto interdicuntur; β. opera eiusdem auctoris postea edita non sunt quidem prohibita, sed *praesumenda* sunt per generale decretum prohibita; quam ob rem licite legi non possunt, nisi constet ea nullo decreto prohiberi; γ. prohibitio de solis *libris* intelligenda videtur, non item de scriptis minoris molis, nisi ratione materiae etiam haec per generale decretum prohibeantur.

704. De auctore et modo prohibitionis. 1. Libri prohibentur *a s. sede* pro universa ecclesia:

a. per literas apostolicas; *b.* per *s. congregationem Indicis,* a qua pleraeque prohibitiones procedunt; *c.* per *s. Officium,* quod tamquam supremum tribunal fidei et morum quandoque exercet munus prohibendi libros.

2. Libri prohibentur *ab ordinariis* pro sua dioecesi et a praelatis regularibus pro suis subditis.

a. Monentur ordinarii, ut noxia scripta in sua dioecesi edita (etsi ab exemptis) vel diffusa (etsi alibi edita) ipsi proscribant, ea vero, quae subtilius examen exigunt, ad s. sedem deferant (n. 21. 29).

b. Prohibitiones episcoporum regulares exemptos non afficiunt sive ordinaria potestate sive tamquam delegati s. sedis agunt episcopi[2]).

---

[1]) *Lugo,* De fide disp. 20. sect. 2. n. 9.

[2]) *Vermeersch* n. 6 tr.

3. Considerato *modo* libri prohibentur vel per *decreta generalia* (genera librorum) vel per *decreta specialia* (singuli libri). Omnes libri nominatim prohibiti expresso nomine auctoris, si notus est, et titulo libri *in indicem librorum prohibitorum* inseruntur.

Index librorum prohibitorum, quem s. pontifex hac ipsa constitutione diligentissime recognosci et recognitum vulgari iubet (Praef.) prodiit Romae typis vaticanis, eumque *Leo XIII.* per breve *Romani pontifices* (27. Sept. 1900) vulgandum et ab omnibus ubique locorum observandum praecepit.

705. De facultate legendi ac retinendi. Quia lex seu prohibitio universalis est, etiam necessitas impetrandi licentiam legendi librum prohibitum prorsus universalis est, ita ut nec gradus hierarchicus (cardinalatus) nec singularis legentis doctrina ab hac lege eximat. Necessitas tamen vel magna utilitas legendi librum prohibitum ab observatione legis excusat, saltem ubi non suppetit occasio petendi licentiam.

1. *Quis eam dare possit.*

a. Facultatem *generalem* legendi retinendique libros a s. sede prohibitos dare possunt (n. 24):

α. S. congregatio Indicis et s. Officium pro universo orbe; β. magister s. palatii pro Urbe tantum.

b. Facultatem *specialem* i. e. „pro singularibus libris atque in casibus tantum urgentibus" concedere possunt (n. 25):

α. *Episcopi* eorumque *vicarii generales.*

β. *Praelati* iurisdictione quasi-episcopali pollentes. Huiusmodi sunt nuntii, vicarii apostolici, vicarii capitulares et superiores regularium: abbates generales, provinciales et probabiliter etiam superiores locales (guardiani, priores, nisi subsint abbati, rectores).

Cum haec potestas sit quasi-ordinaria, quae nempe episcopis et praelatis iurisdictionem quasi-episcopalem habentibus de iure competat, eam etiam aliis delegare possunt.[1])

[1]) Praeter hanc facultatem episcopi (et superiores regularium) aliam a s. sede specialiter sibi delegatam habent, quae tamen com-

c. Facultatem legendi retinendique libros *ab ordinariis* prohibitos dant:

α. Ordinarii ipsi; β. illi, quibus ordinarii ad id delegatam potestatem fecerunt.

2. *Quomodo interpretanda sit.*

a. Qui facultatem habent legendi retinendique libros a s. sede prohibitos, non habent eo ipso etiam facultatem legendi et retinendi libros et ephemerides ab ordinariis proscriptas, „nisi in apostolico indulto expresse facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuscunque* damnatos“ (n. 26).

b. Qui facultatem habet legendi *libros* prohibitos, eo ipso etiam *diaria, folia* et *libellos periodicos (ephemerides),* quae hac constitutione (n. 21) prohibentur, legere potest: minus enim in maiore continetur, non autem vice versa.

c. Qui hanc facultatem *a s. sede* accepit, *ubique* ea uti potest, quod pari modo dicendum est de facultate ab *ordinario* accepta: cum enim haec dispensatio sit privilegium *personale,* contraria quorundam sententia fundamento caret.

---

pluribus limitibus circumscribitur: ordinarie enim solis sacerdotibus (episcopi Germaniae etiam laicis) licentiam generalem legendi retinendique libros prohibitos concedere possunt „exceptis tamen operibus de obscoenis et contra religionem ex professo tractantibus.“ Sed facultas vi huius constitutionis concessa nullas patitur exceptiones, quae exsistente iusta causa quemcunque librum cuicunque ex subditis suis permittere possunt. Per clausulam: *contra religionem ex professo tractantibus* prohibentur libri, qui contra totam religionem tum revelatam tum naturalem agunt. Libri ergo, qui religionem revelatam impugnant, religionem autem naturalem intactam servant, hac clausula non excipiuntur. Cf. *Konings-Putzer,* Commentarium in facultates apost.[5] (Neo Eboraci. Benziger. 1898) n. 157.

Quaestio secunda.

De editione librorum.

Hoc loco colliguntur decreta, quae ad *typographos* et librorum *venditores* referuntur.

706. Typographis praecipitur: *a.* Ne audeant librum ab apostolica sede proscriptum iterum in lucem edere, nisi prius obtenta fuerit licentia s. congregationis Indicis et servatis condicionibus ab ea praescriptis, si quidem ex gravi causa eiusmodi liber iterum edendus videatur (n. 31).

Sunt, qui non immerito censeant, solum de libris per decreta specialia prohibitis et in indicem relatis hic esse sermonem.

b. Ne ullum scriptum, quod approbatione ecclesiastica indiget, sine approbatione edant.

c. Ne ullus liber, qui approbatione ecclesiastica indiget, excudatur, quin nomen et cognomen tum auctoris tum editoris, locum et annum impressionis et editionis praeferat, nisi ordinarius iustas ob causas celandi nomen auctoris licentiam dederit (n. 43).

α. Libri ergo, qui censura ecclesiastica non indigent, sine nomine auctoris, sine loco et anno impressionis et editionis vulgari possunt. Et quoniam decretum de libris tantum loquitur, scripta, quae molem libri non attingunt, quin etiam publicationes periodicae, ut videtur, sine nomine auctoris edi possunt.

β. Si de publicanda *versione* agitur, huic praecepto, ut videtur, satisfit, sive nomen auctoris sive interpretis operi praefigitur.

γ. Ordinarius, qui licentiam concedere potest sive supprimendi nomen auctoris sive librum sub ementito nomine edendi, est ordinarius, qui libri approbationem concedit.

d. Ne novam operis approbati editionem aut in aliam linguam versionem sine nova approbatione imprimendam suscipiant (n. 44).

Articulus ex publicatione periodica excerptus non censetur nova editio, ideo non indiget nova approbatione[1]); liber autem ex pluribus

[1]) S. C. Ind. 23. maii 1898.

articulis compositus atque in lucem editus nova censetur editio et proinde nova approbatione indiget.

e. Ne liber sine approbatione ordinarii talis loci, et si agitur de regularibus, sine approbatione superiorum ordinis et ordinarii talis loci (n. 36) in principio vel in fine operis *imprimenda* edatur (n. 40).

Utrum obtenta approbatio imprimenda sit in forma authentica ipsis verbis, quibus concessa est, an sufficiat eam generalibus tantum verbis indicare, auctores non conveniunt. *Gennari, Hollweck, Schneider* priorem sententiam tenent, posteriori adhaerent *Pennachi, Vermeersch, Génicot, Dilgskron, Göpfert,* quia verba constitutionis illud expresse non exigunt, quia hoc ad finem legis obtinendum sufficiens est, quia usus legem in hunc modum interpretatur.

707. Venditoribus praecipitur: *a.* Ne vendant, commodent vel retineant libros de obscoenis ex professo tractantes (n. 46).

Qui tamen libri licite legi ac retineri possunt, ii etiam licite venduntur; quare libri classici turpia ex professo tractantes iis vendi possunt, quibus eorum lectio (n. 10) conceditur.

b. Ne alios libros prohibitos venales habeant, nisi a s. congregatione Indicis per ordinarium licentiam impetraverint (n. 46).

c. Ne librum prohibitum cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint illum ab emptore legitime peti (n. 46).

Ut libri prohibiti licite vendi possint, necesse non est, ut bibliopola quemvis emptorem librum prohibitum petentem de licentia illum legendi interroget, sed sufficit, ut ratione habita libri et ementis non certo moraliter appareat ipsum licentia legendi carere. Sub iisdem condicionibus bibliopola etiam librum, quem venalem non habet, petenti procurare potest.

Nota. 1. Cuiusvis generis venditio libri pravi (sive in officina sive in plateis sive per subhastationem fit) ex his non solum lege naturae sed etiam lege positiva prohibetur. Attamen licentia obtineri potest libros prohibitos retinendi et quovis modo vendendi, exceptis libris de obscoenis ex professo tractantibus.

2. *Vendentes* scripta vel folia periodica, lege ecclesiastica prohibita, propria actione ad malum cooperantur. Iam vero haec actio prorsus illicita est, si liber vel folium omnino pravum est, ut scripta pornographica vel plane impia, reliqua autem scripta vel folia prohi-

bita ex causa proportionate gravi vendi possunt. Monendi autem sunt eiusmodi venditores, ut etiam ephemerides bonas venales habeant atque emptoribus offerant.

Quaestio tertia.

De censura librorum.

708. Notiones. 1. Duplex distinguitur censura librorum: *censura praevia*, quae in examine libri edendi atque in eiusdem approbatione vel reprobatione consistit; et *censura repressiva*, quae in prohibitione libri iam editi consistit. Per illam ecclesia editionem librorum pravorum impedire, per hanc a fidelibus periculum librorum iam existentium avertere intendit.

2. Censura praevia, de qua hic agitur, atque approbatio et *licentia* imprimendi edendique librum non est approbatio rei, de qua agit liber, sed per se aliud non significat, nisi librum talem esse, ut in praesentibus adiunctis sine periculo in fide et moribus legi possit.

Praeceptum de non edendo libro absque praevia licentia tum ad editorem tum ad auctorem refertur. Quamvis hoc praeceptum per se grave sit, culpa tamen propter non petitam licentiam contracta, excluso scandalo et contemptu auctoritatis, vix unquam gravis erit, si agitur de libri approbati nova editione; quodsi de prima editione agitur, culpa gravis esse potest, si liber sit gravissimi momenti vel salebrosi argumenti.

Nota. Secundum antiquam disciplinam omnes libri typis mandandi praeviae censurae ecclesiasticae subiiciendi erant. Quoniam autem lex ista decursu temporis evasit impossibilis, magna ex parte in desuetudinem abiit. Indicanda sunt scripta, quae ex nostra hac constitutione approbatione praevia indigeant.

709. Quae scripta praevia censura indigeant.

1. Libri, qui divinas scripturas, s. theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem,

ethicen aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt (n. 41).

a. Huc igitur referendi sunt etiam libri de rebus liturgicis tractantes et libri vitam sanctorum describentes. Ex libris philosophicis solum *theodicaea* et *ethica* praeviae censurae subiiciuntur.

b. Quoniam praeviae censurae solum *libri* subiiciuntur, huic legi non subsunt publicationes, quae minoris sunt molis, quam ut libri censeantur, nisi ratione argumenti peculiaris (ex n. 13. 17. 20. 32. 41.) indigeant approbatione; et quia approbatione solum indigent libri, qui *vulgantur*, scripta, quae *usui privato* destinantur, sive lithographice sive typis eduntur, praevia approbatione non indigent.

c. Publicationes periodicae, quae disciplinas theologicas tractant et quarum singuli fasciculi ad molem libri assurgunt, ex hoc decreto per se approbatione indigent.

2. Scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit (n. 41).

Sensus verborum est: *scripta omnia rem tractantia, quae pro religione et moribus peculiare momentum habet.* Statuitur ergo non solum libros sed et scripta omnia indigere approbatione, si eorum obiectum peculiaris momenti est quoad religionem et mores. Sic tempore concilii vaticani scripta de infallibilitate romani pontificis eiusque definitione tractantia vi huius decreti indiguissent approbatione, quia religionis specialiter intererat[1]).

3. Novae editiones et in aliam linguam versiones operis, quod subiacet legi censurae, etsi iam approbati (n. 44).

a. Et nova quidem *editio*, quia solet esse emendata et aucta, *versio* autem, quia, quod innocuum est in uno loco, potest esse nocivum in alio, id quod auctoritas ecclesiastica discernet.

b. Elucubrationes in foliis periodicis primo publicatae et postea seorsim editae nova approbatione non indigent[2]).

4. Versiones omnes s. scripturae etiam a viris catholicis confectae (n. 7).

5. Libri et scripta, quae narrant *novas* apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae *novas* inducunt devotiones, etiam sub praetextu, quod sint privatae (n. 13).

---

[1]) *Vermeersch* l. c. n. 21.

[2]) *S. C. Ind.* 23. maii. 1898.

a. Non solum libri, sed etiam *scripta* seu publicationes cuiusvis molis vel formae sive typis impressae sunt sive non impressae, modo *publicentur*, indigent approbatione.

b. Novae dicuntur devotiones, quarum aut *obiectum* novum est ut cor s. Iosephi, s. Theresiae, aut *modus* colendi novus est ut cingulum s. Antonii.

6. Imagines *novae* quomodocunque impressae Domini nostri Iesu Christi, s. Mariae virginis, angelorum atque sanctorum vel aliorum servorum Dei, sive preces habeant adnexas sive absque illis edantur (n. 15).

Ergo imagines, quae diu inter fideles iam sunt diffusae et longo usu veluti approbatae, non indigent approbatione: *novae* enim sunt et dicuntur imagines, quae exhibent repraesentationem recenter inventam, hucusque non usitatam.

7. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur (n. 17).

a. Hoc statuto cavetur, ne indulgentiae apocryphae inter fideles divulgentur; simul iniungitur superioribus ecclesiasticis, ut indulgentias apocryphas iam divulgatas e manibus fidelium auferant.

b. Ergo approbatione non indigent imagines, quae in memoriam vel primi sacri Deo oblati vel alicuius defuncti inter amicos distribuuntur, sive etiam imagines, quae simpliciter divulgantur, etsi adnexas habeant preces indulgentiis ditatas: aliud enim est folium continens concessiones indulgentiarum (Ablaßzettel), aliud imago annexas habens orationes indulgentiis ditatas (Andenkenbilder mit einem Ablaßgebet).

8. Litaniae omnes praeter iam a s. sede approbatas, quae sunt: litaniae omnium sanctorum et agonizantium, b. Virginis lauretanae, ss. Nominis Iesu, sacratissimi Cordis Iesu[1]) et S. Iosephi[2]) (n. 19).

Litaniae, quae cum ordinarii approbatione publicantur, privatim tantum recitari possunt; ut publice in ecclesia vel in oratorio publico recitentur, indigent approbatione S. C. R.[3]).

9. Libri et libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur (n. 20).

Ergo approbatione non indigent *folia* typis impressa nec *scripta*, quae typis impressa non sunt; ea vero indigent publicationes perio-

[1]) Approbatae sunt 2. apr. 1895.

[2]) S. C. R. 18. mart. 1909.

[3]) *S. Officium* 18. apr. 1860.

dicae huius argumenti, nisi adeo exiguae sint, ut nomen libelli non mereantur.

10. Libri ab apostolica sede proscripti, si ex gravi causa iterum in lucem edendi videantur (n. 31).

11. Scripta, quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei utcunque pertinent (n. 32).

De iis servis Dei sermo est, quorum causae nondum sunt absolutae; probationes igitur a defensore allatae, observationes a promotore fidei factae etc. sine licentia S. R. C. publicari nequeunt.

12. Collectiones decretorum singularum romanarum congregationum (n. 33).

710. Quis approbationem concedere debeat. 1. *S. sedes* quorundam operum approbationem sibi vel congregationibus romanis reservavit:

a. Versiones bibliorum in lingua vernacula, quae sine notis eduntur, ab ipsa s. sede approbandae sunt (n. 7).

b. Libri ab apostolica sede prohibiti a s. congregatione Indicis approbandi sunt, si ex gravi causa et servatis condicionibus praescriptis iterum edi permittantur (n. 31).

c. Scripta ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei pertinentia a s. congregatione Rituum approbanda sunt (n. 32).

d. Collectiones decretorum congregationum romanarum a s. congregatione, cuius decreta eduntur, approbari debent (n. 33).

e. Scripta vel libri sive directe vel indirecte de religione tractantes sive disserentes de rebus ecclesiasticis, qui a missionariis s. congregationi propagandae fidei subiectis publicantur, examinari et approbari debent a congregatione Indicis vel s. Officii et approbatio in scriptis obtineri et in operis initio imprimi debet (n. 34).

Episcopi seu vicarii apostolici tamen permittere possunt, ut in lucem edantur parvae doctrinae, catechismi, instructiones ac preces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt.

f. *Indulgentiarum* libri, summaria, libelli, folia approbari debent a *competenti auctoritate* (n. 17). Quaenam sit

haec competens auctoritas, discimus ex iuris statutis iam pridem vigentibus. Itaque α. approbatio dari debet a *s. congregatione Officii,* si agitur de publicandis novis indulgentiis vel de collectionibus novis prima vice edendis; β. dari potest *ab episcopo,* si agitur de publicandis indulgentiis, quae ex rescriptis pontificiis vel ex collectionibus iam approbatis desumuntur[1]). γ. Catalogus indulgentiarum, quae adnecti solent crucibus, rosariis, numismatibus etc. et vulgo appellantur *indulgentiae papales,* approbari debet a sancta sede seu a *s. congregatione Officii.*

2. *Ordinarius loci,* in quo scripta *publici iuris fiunt,* ea approbare debet, quorum approbatio a s. sede non sit reservata (n. 35).

a. Iuxta antiquam disciplinam opus approbari debuit ab episcopo loci, in quo *impressio fiebat;* iuxta recentem vero ab episcopo loci, in quo opus *publici iuris fit* seu ubi editor exsistit. Exceptio fit (n. 37) respectu auctorum Romae degentium.

b. Si ipse episcopus edat librum, idque in sua dioecesi, nulla indiget approbatione; quodsi eum edat extra dioecesim, requiritur approbatio episcopi loci, ubi editur liber.

3. Cardinalis urbis vicarius *et* magister s. palatii approbare debent opera auctoris Romae degentis, etiamsi librum alibi imprimere velit; sed praeter hanc alia approbatio non requiritur, etsi opus alibi extra Urbem edatur (n. 37).

711. Particularia. 1. Pro *clericis saecularibus* statuitur:

a. Ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant (n. 42).

Plerique auctores hocce articulo verum praeceptum contineri autumant, quo clerici tenentur adire ordinarium suum eiusque consilium petere, antequam librum, etsi profanum, publicant. Attamen in magnis praesertim dioecesibus hoc praeceptum facile in desuetudinem abibit.

b. Ne absque praevia ordinarii venia diaria vel folia periodica moderanda suscipiant (n. 42).

---

[1]) *S. C. Indl.* 23. ian. 1858. *S. C. Indl.* 7. aug. 1897.

2. *Regulares* praeter episcopi licentiam operis edendi facultatem etiam a superiore suo obtinere debent, prout concilium tridentinum praescribit[1]) (n. 36).

Regulares ergo *episcopi* approbatione pro omnibus libris indigent, qui censurae ecclesiasticae subiacent; *praelati* sui autem licentiam concilium tridentinum stricte solum pro sacris scripturis, earum annotationibus et commentariis exigit; attamen statuta ordinis obligationem petendi approbationem superioris etiam ad alios libros extendunt.

3. In triplici casu ipse liber prohibetur, qui sine praevia approbatione editus fuerit, alias autem peccat quidem, qui librum sine approbatione imprimit, at libri lectio et retentio non prohibetur.

a. Libri, qui prohibentur, si absque approbatione edantur, sunt: α. libri narrantes novas apparitiones, revelationes, visiones etc. (n. 13); β. libri et libelli precum, devotionis, doctrinae christianae etc. (n. 20); γ. versiones s. scripturae etiam a viris catholicis in lingua vernacula confectae (n. 7).

b. Si tamen in aliqua regione sine approbatione edantur huiusmodi libri, qui tamquam utiles ad fovendam fidelium pietatem passim noti sint, necesse non est, ut fideles ab eorum lectione abstineant.

Quaestio quarta.

De prohibitione librorum in specie.

Opera, quorum lectio et retentio per decreta generalia prohibetur, ad tria capita revocari possunt.

712. Libri omnibus absolute prohibiti. 1. Libri omnes, quos ante annum 1600 aut summi pontifices aut concilia oecumenica damnarunt, iis exceptis, qui per haec decreta generalia permittuntur (n. 1).

a. Nonnulla exempla librorum, qui ante hoc tempus aut a summo pontifice aut a concilio damnati sunt, in ipsa hac constitutione (praef.) recensentur, scilicet libri Manichaeorum et Monotheletarum, libri Beren-

[1]) Sess. 4. decretum de edit. et usu sacr. libr.

garii, Abaelardi, Marsilii patavini, Wicleffi, Hussii, Lutheri etc.; authenticus autem eorum catalogus non exsistit.

b. Libri tamen haereticorum primi temporis ut *Tertulliani, Eusebii neocaesareensis, Origenis, Pelagii* etc. qui ante hanc constitutionem communiter a prohibitione excipiebantur, nunc quoque excipiendi videntur, licet a summis pontificibus damnati fuerint. Remoto enim hodie omni periculo, quod fidelibus ex eorum lectione immineat, finis legis quoad illos libros omnino cessavit, econtra eorum lectio saltem theologis valde utilis esse potest; quocirca ut documenta mere historica habentur, quae ab omnibus legi possunt.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcunque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes aut ipsa religionis fundamenta utcunque evertentes (n. 2).

a. His duae condiciones assignantur, quarum utraque efficit, ut liber absolute prohibitus sit: *propugnatio* haeresis et *eversio* fundamentorum religionis, etsi liber non tractet de religione.

b. Haeresim *propugnare* dicitur, non qui haeresim simpliciter proponit, sed illam additis rationibus tuetur et defendit.

c. Religionis *fundamenta* intelliguntur veritates ordinis naturalis, quae sciri debent, ut quis fidem amplecti possit, cuiusmodi sunt exsistentia Dei, immortalitas animae, possibilitas miraculorum, vis probandi, quae miraculis inest, possibilitas et exsistentia revelationis etc.

d. Utcunque evertere sive directe sive indirecte sive rationibus sive iniuriis ea impugnando; quare hoc decreto prohibiti sunt etiam libri, qui materialismum aut scepticismum tuentur, quia illis theoriis admissis exsistentia Dei demonstrari nequit.

3. Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent (n. 9).

a. Ut liber *ex professo* de aliqua re tractet, requiritur, ut ea res sit praecipuum argumentum libri et proinde, ut directe et notabiliter de ea agat. De obscoenis *directe* agit, si ex tota indole libri appareat intentio scribentis lectorem de peccatis turpibus instruendi vel ad libidinem excitandi, cuiusmodi sunt libri romanenses, qui illicitos amores narrant et describunt. *Notabiliter* de iis agit, si non solum obiter et sparsim hinc inde, sed aut in toto libro aut in magna eius parte e. g. integro capite de iis sermo sit.

b. His ergo non prohibentur libri, qui de rebus quidem obscoenis agunt, sed eo fine, ut de illis necessariam institutionem suppeditent, ut libri anatomici, medicinales, scientiae moralis.

4. Libri, in quibus Deo aut b. virgini Mariae vel sanctis aut catholicae ecclesiae eiusque cultui vel sacramentis aut apostolicae sedi *detrahitur* (n. 11).

Ut liber ex hoc capite prohibitus sit, non sufficit, ut detractio obiter et per accidens fiat, sed requiritur, ut notabilem partem (plures paginas, integrum caput) libri impleat.

5. Libri, in quibus *inspirationis* sacrae scripturae *conceptus* pervertitur aut eius *extensio* nimis coarctatur (n. 11).

Patet ea opera tantum prohiberi, quae *certam* inspirationis doctrinam impugnant aut eius formalem rationem pervertendo aut eius extensionem nimis coarctando, cuiusmodi esset liber, in quo non solum affirmatur, sed rationibus propugnatur inspirationem ad res fidei et morum vel ad aliquas tantum scripturae partes coarctandam esse.

6. Libri, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt (n. 11.), non solum aliquam personam aut aliquem ordinem religiosum.

Ut liber *data opera* de aliqua re agat, non requiritur, ut ea res sit praecipuum libri argumentum, requiritur tamen, ut non obiter et transitorie, sed aut saepius per decursum libri aut in notabili eius parte e. g. integro capite de ea sermo sit, et quidem cum intentione lectorem de ea instruendi.

7. Libri, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur (n. 12).

Hoc igitur decreto prohibentur *Thalmud, Magazor,* libri superstitioso modo somnia explicantes ac tandem libri de magia et spiritismo vel alia huiusmodi superstitione ut de magnetismo animali etc. agentes; non tamen libri, qui *facta* superstitiosa simpliciter *narrant,* sed qui *artem* magicam aut spiritisticam *docent* vel *commendant.*

8. Libri, qui duella, suicidium, vel divortium licita statuunt (n. 14).

a. Divortium intelligitur perfectum, quod in solutione vinculi matrimonialis consistit, adeo ut uni parti altera adhuc superstite ad alias nuptias transire liceat.

b. Statuunt i. e. qui liceitatem non solum affirmant, sed rationibus demonstrare conantur.

9. Libri, qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agunt easque utiles et non perniciosas ecclesiae et civili societati esse contendunt (n. 14).

a. Sectis massonicis similes dicuntur sectae, quae contra ecclesiam et societatem civilem machinantur. Eiusmodi sunt sectae *anarchisticae, nihilisticae, fenianae, carbonariae, mazzinianae, socialisticae*[1]).

b. Duo ergo requiruntur, ut huius argumenti libri prohibiti censeantur: α. ut illas societates utiles esse demonstrare conentur; β. ut non obiter et incidenter sed ita de illis agant, ut integri libri aut magnae eius partis praecipuum sint obiectum.

10. Libri, qui errores ab apostolica sede proscriptos tuentur (n. 14).

Nihil refert, utrum propositio ab ipso summo pontifice an ab aliqua congregatione romana damnata fuerit; utraque enim damnatio *ab apostolica sede* profecta dicitur. Hoc decreto comprehenduntur etiam libri permulti, in quibus errores a *Syllabo* damnati propugnantur[2]).

11. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt. Curent autem ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere (n. 21).

a. Nomen *religionis* in hoc decreto duplici sensu accipi potest, aut ita, ut significet religionem *veram* tum naturalem tum revelatam (catholicam), aut ita, ut significet solam religionem *naturalem*. Si posteriore sensu accipitur, illae solum ephemerides prohibentur, quae religionem naturalem impugnant, cuiusmodi sunt ephemerides materialismum et atheismum propugnantes. Decretum accipiendum videtur priore sensu, adeo ut prohibeantur ephemerides, quae omnem religionem veram impugnant, cuiusmodi sunt ephemerides tum liberales et socialisticae, tum atheisticae et materialisticae.

b. Diaria intelliguntur ephemerides quotidianae, *folia* ephemerides, quae vel semel vel aliquoties in hebdomada apparent, *libelli periodici* fasciculi minoris molis statis temporibus apparentes.

c. Publicationes istae periodicae etiam *lege positiva* prohibentur, si *data opera* impugnant religionem aut bonos mores i. e. si ex frequentia et copia, qua res impiae aut turpes in illis tractantur, apparet earum intentio impugnandi religionem aut bonos mores. Ergo lege positiva non prohibentur publicationes periodicae, in quibus hinc inde, obiter et per accidens aliquid contra religionem aut bonos mores continetur, nec illae in quibus solum semel aut iterum eiusmodi articulus, etsi longior, reperitur.

d. Ex eo, quod eiusmodi publicationes nunc etiam lege positiva prohibentur, haec duo sequuntur: α. quod iis quoque interdicantur,

---

[1]) Quae requirantur qualitates, ut secta ad genus massonicarum pertineat, exponitur *De poenis eccles.* n. 74.

[2]) *S. C. Ind.* 23. maii 1898.

qui ex earum lectione nullum damnum patiuntur; β. quod integrae interdicantur, non solum partes periculosae. Aliae autem publicationes, quae hac lege non continentur, ab iis legi possunt, qui nullum damnum timent.

e. Graviter contra hanc legem non ii solum delinquunt, qui eiusmodi foliis emendis associati sunt, sed etiam ii, qui citra associationem habitualiter vel saepius ea legunt, vel semel iterumve notabilem partem de ea re tractantem, propter quam prohibita sunt. Semel iterumve, quin et saepius in folio prohibito ea legere, quae non pertinent ad materiam prohibitam ut articulos mere politicos, mere litterarios, nuntios mercatorios veniale non excedit, et si ex rationabili causa fiat, peccato prorsus caret. — Nullatenus tamen probari potest, ut sacerdotes itinerantes in via ferrea emant legantque folia liberalia. Nam praescindendo a peccato, quod committunt, nisi eiusmodi folia legendi licentiam habeant, aliis scandalo sunt, eo quod socios itinerantes inducunt tum ad contemnendas leges ecclesiae, quas ne a sacerdotibus quidem observari deprehendunt, tum ad legenda folia ipsis nociva.

12. Imagines quomodocunque impressae Domini nostri Iesu Christi, beatae Mariae virginis, angelorum atque sanctorum vel aliorum servorum Dei ab ecclesiae sensu et decretis difformes (n. 15).

a. Terminus *imagines* (Bilder) stricte accipiendus videtur, adeo ut nec numismata nec statuae aut picturae hac prohibitione comprehendantur, licet prohibitione tridentina continerentur[1]): constitutio enim loquitur de imaginibus *impressis*, quae *publicantur*.

b. Ecclesiae sensui et decretis difformes sunt imprimis imagines, quae occasionem erroris in fide praebent aut quae sensuali venustate ad lasciviam provocant. Ceterum normas in approbandis vel reprobandis imaginibus servandas exponit Benedictus XIV. constit. *Sollicitudini* (1. oct. 1745).

c. Si ergo imagines novae publicentur absque ecclesiastica licentia, editor quidem peccat, imaginum vero usus fidelibus non interdicitur, dummodo ab ecclesiae sensu et decretis non sint difformes (n. 709, 6).

713. Libri sub condicione prohibiti. 1. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu, quod sint privatae, *si publicentur absque legitima superiorum ecclesiae licentia, proscribuntur* (n. 13).

---

[1]) Cf. concil. trident. sess. 25. De sacr. imag.

a. Scripta ergo, quae narrant apparitiones fidelibus iam notas ut apparitiones ss. Cordis Iesu aut b. Virginis lapurdensis, aut quae devotiones in ecclesia iam usitatas fidelibus explicant atque commendant, indigent quidem approbatione (n. 41), sed ubi sine approbatione publicantur, eorum lectio et retentio non prohibetur.

b. His non prohibentur *ephemerides,* quae facta mira, ordinem naturae specietenus excedentia narrant atque divulgant, quia incidenter tantum eiusmodi narrant, non tamquam proprium obiectum.

2. Novae editiones missalis, breviarii, ritualis, ceremonialis episcoporum, pontificalis romani aliorumque librorum liturgicorum a s. sede apostolica approbatorum prohibentur, *si diversae sint ab editionibus* authenticis (n. 18).

a. Authenticae dicuntur editiones, quae a legitima potestate i. e. a s. sede approbatae sunt. Iam vero novae editiones prohibitae sunt, etsi in rebus minoris momenti tantum mutatae fuerint sive aliquid addendo sive omittendo sive transponendo, dicitur enim (n. 18): *nemo quidquam immutare praesumat.* At non censetur mutata nova editio eo quod in commodum utentium suis locis quaedam repetantur.

b. Novae editiones librorum liturgicorum ab episcopo approbari debent, tum quia ex episcopi approbatione de hac conformitate constat, tum quia n. 41. et n. 44. approbationem exigunt. Quodsi absque approbatione edantur, ipsi libri prohibiti non sunt, dummodo editionibus authenticis seu typicis conformes sint: proindeque non solum ad usum privatum, sed etiam ad usum publicum seu liturgicum adhiberi possunt[1]).

3. Libri aut libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, prohibiti sunt, *si praeter legitimae auctoritatis licentiam publicentur* (n. 20).

Hoc decreto non comprehenduntur libri, qui *theoretice* doctrinam religiosam, moralem vel asceticam exponunt, sed libri et libelli, qui fideles in rebus religiosis, moralibus vel asceticis *practice* instituere intendunt. Unde sequitur libros prioris generis indigere quidem approbatione (n. 41), sed si absque approbatione edantur, non esse prohibitos, libros autem secundi generis prohibitos esse, nisi approbati sint.

---

[1]) Ergo abolita censetur praescriptio *Urbani VIII.*, qua usus librorum liturgicorum vetatur, si (extra Urbem) edantur sine licentia ordinarii loci, quae licentia, in scriptis obtinenda, mentionem facere debebat de diligenti collatione cum exemplari typico deque reperta inter utrumque conformitate, atque in initio vel in fine libri imprimenda erat.

4. Libri acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, prohibentur, *nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri* (n. 3).

a. Acatholici vi vocis proprie non solum haeretici et schismatici dicuntur, sed etiam iudaci et infideles; usu theologico autem soli haeretici et schismatici hoc termino significantur; in hoc decreto tamen sensu latiore terminus accipiendus videtur.

b. De religione tractare censentur non solum libri, qui stricte de dogmatibus revelatis agunt, sed omnes, qui de disciplinis theologicis agunt: de s. scriptura, de iure canonico, de historia ecclesiastica, de disciplinis moralibus, de rebus liturgicis, de ascesi christiana et libri pietatis.

c. Libri acatholicorum ex professo de religione tractantes prohibiti sunt, etsi solum hinc inde contra fidem aliquid contineant; econtra libri acatholicorum de religione ex professo non tractantes prohibiti non sunt, etsi hinc inde aliquid contra fidem misceant (n. 4).

d. Hos libros ergo legere non licet, nisi *ante lectionem* ex aliorum testimonio *constet* nihil in eis contineri, quod sit contra fidem: per se enim prohibiti censentur, quia acatholici de religione tractantes fidei contraria scribere praesumuntur.

5. Versiones omnes bibliorum in *lingua vernacula*, etiam a viris catholicis confectae, prohibentur, nisi fuerint *a. aut a sede apostolica approbatae, b. aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus et ab episcopis approbatae* (n. 7).

α. Ad edendam ergo versionem licitam sacrae scripturae in lingua vernacula sine notis requiritur approbatio s. sedis, ad eam edendam cum notis sufficit approbatio episcopi.

β. Versiones sacrae scripturae in lingua vulgari ab omnibus etiam laicis legi ac retineri possunt, si in earum editione serventur condiciones praescriptae, i. e. si approbatae sint.

γ. His non interdicitur, quominus adnotationes, quae non fidem ac mores sed res profanas respiciunt ut geographiam, archaeologiam, ethnographiam etc. ex doctis operibus acatholicorum possint esse desumptae, modo ab episcopo approbentur.

δ. Libri precum, in quibus partes s. scripturae e. g. epistolae et evangelia officii ecclesiastici sine notis continentur, item *historiae biblicae*, quae dicuntur, ex usu iam recepto sine speciali approbatione s. sedis cum sola approbatione episcopi publicari possunt.

714. Libri aliquibus tantum permissi. 1. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum s.

scripturae, etiam ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscunque publicatae; aliae *versiones* sacrorum bibliorum sive latina sive alia lingua *non vulgari* ab acatholicis editae; *versiones* omnes sacrorum bibliorum quavis *vulgari* lingua ab acatholicis quibuscunque confectae atque illae praesertim, quae per societates biblicas divulgantur, permittuntur: *a.* iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, *b.* modo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata (n. 5. 6.).

a. Editiones ergo bibliorum et versiones tum in alia lingua praeter vulgarem tum in vulgari *a catholicis* confectae, sive ab acatholicis sive a catholicis publicantur, a fortiori permittuntur iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam. Per se autem prohibitae sunt etiam versiones in lingua vulgari *a catholicis* confectae et per societates biblicas editae: versiones enim biblicae absque approbatione, etsi cum notis editae, omnino prohibentur (n. 7).

b. Non solum iis, qui in universitatibus, collegiis aut seminariis s. theologiae student, sed omnibus, sive clericis sive laicis, qui studiis theologicis vel biblicis vere per aliquod saltem tempus e. g. ad parandum examen, ad exarandum elucubrationem dant operam, haec permittuntur[1]). Quare non omnibus indiscriminatim sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus, sed iis solum, qui vere hisce studiis vacant, permissa censentur. — Probandum tamen videtur, quod habet *Ballerini-Palmieri* (II. n. 1175), privilegium nempe iis concessum, qui studiis biblicis vacant, absolutis studiis non cessare, si postea sacerdotes rebus theologicis vel biblicis aliquo modo adhuc student.

2. Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, etsi res obscoenas ex professo tractent aut narrent, propter sermonis elegantiam et proprietatem iis permittuntur, *quos officii aut magisterii ratio excusat* (n. 10).

a. Permittuntur solum auctores classici, qui alias propter obscoenitatem, non autem classici, qui propter errores contra religionem aut ex alia ratione prohibiti sunt, classici autem permittuntur, etiamsi propter obscoenitatem in indice positi sint.

b. Cum haec licentia auferre nequeat legem naturae, fieri potest, ut auctores classici, quos ecclesia permittit, lege naturae prohibeantur.

c. Officii ratio excusat eos, qui ex professo (non per accidens tantum) opera litterarum aut conscribunt aut diiudicant; *magisterii*

---

[1]) *S. C. Ind.* 23. maii. 1898.

ratio eos, qui litteras (non item qui aliam disciplinam) docent; *sive officii sive magisterii ratio* eos excusat, qui ad opera litteraria exaranda vel ad litteras docendas in universitatibus se parant.

d. Expresse additur hos classicos nulla tamen ratione *pueris vel adolescentibus* tradendos aut praelegendos esse, *nisi solerti cura expurgati fuerint.* Cum pueritia usque ad 18., adolescentia usque ad 25. aetatis annum duret, ex stricto rigore iuris haec praescriptio etiam de iis valet, qui in *universitatibus* student. Quodsi leges publicae scholarum editiones non castigatas praescribunt, per epikiam eis uti licet, at partes obscoenas coram pueris legere non licet, nisi forte id minus malum existimetur, ubi pueri licet moniti earum lectionem tamen non praetermittunt.

Nota. Num determinatus liber per decreta generalia prohibitus sit, iudicio singulorum discernendum permittitur, nisi adsit ecclesiae declaratio. Quare liber, quem non constat esse prohibitum, in tantum legi potest, in quantum ad hoc iudicium formandum requiritur. Qui ipse rem discernere nequit, tenetur se peritiorem interrogare, praesertim vero parochum vel confessarium.

Liber quartus.

De sustentatione pastorum et cremationе cadaverum.

Quaestio prima.

De praecepto sustentandi pastores[1]).

715. De ipso praecepto. 1. Iure naturali et divino tenentur fideles necessaria ad victum suppeditare pastoribus. Hanc legem quoad modum et quantitatem ecclesia determinat praecepto solvendi decimas.

a. Lex naturae exigit, ut ii, qui operam suam impendunt in utilitatem spiritualem fidelium, sustentationi necessaria a fidelibus accipiant, sicut ii, qui felicitatem temporalium civium procurant ut principes et milites, sustentari debent a civibus[2]): *Quis* enim *militat suis stipendiis unquam*[3]*) ?*

b. Legem divinam continent haec verba Domini, qui de iis, qui in salutem animarum operantur, ait: *dignus est operarius cibo suo*[4]*);* atque in eundem sensum scribit apostolus: *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere*[5]*).*

---

[1]) *Gury-Sabetti,* Compendium theol. moralis (Ratisbonae. Pustet. 1897) n. 343 *s. Génicot* l. c. I. n. 434.

[2]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 87. a. 1.

[3]) 1. Cor. 9, 7.

[4]) Matth. 10, 10. cf. Luc. 10, 7.

[5]) 1. Cor. 9, 13. 14.

c. Primis ecclesiae saeculis clerici curae animarum addicti alebantur spontaneis fidelium oblationibus; postea vero, praesertim inde a saeculo nono ex praecepto ecclesiae solvendae erant *decimae*[1]).

2. Lege decimarum fere ubique abrogata in plerisque locis sustentationi pastorum aliunde provisum est vel reditibus beneficiorum vel pensione a gubernio soluta; ubi vero aliunde provisum non est, ut in America septentrionali, fidelibus incumbit obligatio conferendi necessaria pro sustentatione pastorum.

a. Hanc obligationem etiam ex iure ecclesiastico urgere decreverunt Patres concilii baltimorensis III., qui catechismo suo ipsorum iussu edendo tamquam quintum ecclesiae praeceptum inserendum curarunt: *Subsidium aliquod conferre ad congruam pastorum sustentationem.*

b. In nostris regionibus fideles ad sustentandos ecclesiae ministros eo aliquid conferunt, quod *iura stolae* solvunt. Quamvis fideles ad ea secundum consuetudinem loci solvenda teneantur, tamen contra mentem ecclesiae ageret sacerdos, qui non solventibus sacramenta vel sacramentalia negaret.

3. Cum praeceptum ecclesiasticum modum et quantitatem subsidii conferendi accuratius non determinet, dicendum est singulis fidelibus generatim incumbere obligationem pro suis facultatibus ad sustentationem pastorum aliquid contribuendi.

Quamvis hoc praeceptum certum sit et per se sub gravi obliget, gravis tamen peccati propter omissum hocce subsidium non facile arguendi sunt fideles, nisi subsidium sine iusta ratione negantes causa sint, ut sacerdotes egeant vel ceteri fideles nimis graventur[2]).

Nota. In colligendis fidelium subsidiis sacerdotes ea sedulo cavere debent, quae ipsos in suspicionem avaritiae coniiciant, fidelibus religionem catholicam reddant odiosam, acatholicis vero contemptibilem[3]).

---

[1]) C. Pervenit 5. Nuncios 6. Quoniam 13. Ad apostolicae 20 etc. *De decimis* (III. 30). Cf. de praecepto solvendi decimas *Ballerini-Palmieri* II. n. 1157. Kirchenlexikon[2], Zehnt.

[2]) *Kenrick*, Theologia moralis[2] (Mechliniae. Dessain. 1860), cuius in hac re sententiam alii communiter approbant.

[3]) Cf. Concil. baltim. III. n. 292. 293.

Quaestio secunda.

De prohibitione cremandi cadavera[1]).

716. De ipsa prohibitione. 1. Morem cremandi defunctorum corpora teste historia complures gentilium populi sequebantur; ecclesia vero a suis primordiis morem humandi cadavera tamquam proprium christianorum morem ubique servavit, sicut eum servaverant Israelitae.

Rationes, ob quas ecclesia hunc morem introduxit atque inviolabiliter servat: *a.* Humatio est aptissimum medium fidelibus complures veritates religionis christianae in memoriam revocandi atque altius eorum cordibus infigendi, praesertim vero dogma immortalitatis animae et futurae cum Christo resurrectionis. *b.* Exemplum Christi, cuius corpus in sepulcro conditum est. *c.* Maior convenientia in eo cernitur, quod corpus humanum, cui tum in se tum prae religione christiana tanta dignitas competit, non modo violento per ignem, sed per vires naturae lento processu resolvatur. Corpus enim humanum, peculiari modo a Deo conditum[2]), pars essentialis substantiae rationalis est, ipsum insuper a Filio Dei assumptum est, ut in eo redemptio perficeretur, et post gloriosam resurrectionem ad dexteram Patris collocaretur, ipsum tandem tot sacramentis sanctificatum templum est Spiritus Sancti[3]), membrum corporis Christi[4]) et futuram eamque gloriosam exspectat resurrectionem. *d.* Humatio verbis s. scripturae unice consentanea est: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris*[5]). *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione*[6]) et alia huiusmodi.

---

[1]) *Lehmkuhl* II. Appendix I. XIX. *Génicot* II. n. 628. *L. Ruland*, Die Geschichte der kirchlichen Leichenfeier (Regensburg. Verlagsanstalt 1901). *Swoboda*, Neue Wendungen in der Leichenverbrennungsfrage (Wien. Mayer. 1901). *A. Perger*, Zur Beurteilung der Feuerbestattung (Stimmen aus M. Laach. 1892. II. S. 1. 133. 271). *Gspann*, Sarg oder Urne? Th. pr. Quartalschrift (Linz) 1906 S. 320. 501. *Kirchenlexikon*[2] VII. 1679.

[2]) Gen. 1, 26.

[3]) 1. Cor. 3, 16.

[4]) 1. Cor. 6, 15.

[5]) Gen. 3, 19.

[6]) 1. Cor. 15, 42.

2. Etsi crematio corporis humani nec ulli veritati religionis christianae contraria nec intrinsecus mala sit, ex adiunctis tamen, in quibus recenti tempore promovetur, per accidens mala et propter ecclesiae prohibitionem graviter illicita est.

a. Ratio *primi* est, quia crematio nec animae imortalitatem nec corporis resurrectionem per se negat, etsi eam symbolice non significet. Cum corpus defuncti naturali destinatione in partes resolvendum sit, per se nihil refert, utrum igne in cineres an humo in pulveres resolvatur.

Quare licet ecclesia exigat, ut in illis Indiarum partibus, in quibus morem cremandi corpora hucusque retinuerunt, fidelium corpora more christiano terra condantur, permittit tamen, ut missionarii ad maiora mala vitanda passive se habeant, ubi sciant alicuius neophyti corpus cremandum esse[1]).

Ratio *secundi* est, quia conatus humationi substituendi cadaverum cremationem recenti tempore prodierunt ab adversariis ecclesiae hac expressa voluntate instaurandi morem ethnicum. Hac instauratione intendunt hinc quidem removere ea, quae fidem catholicam conservant et promovent, ritum nempe ecclesiasticum in humatione servandum et coemeteria christiana signa paene innumera fidei et pietatis exhibentia; inde vero profiteri totius hominis annihilationem, quam crematio significet. Cum ergo crematio in his adiunctis electa involvat approbationem impiae huius intentionis atque haereticae professionis, dicenda est mala, etsi ab ecclesia non esset prohibita.

Ratio *tertii* est, quia non licet mutare usum et ritum ab ecclesia in sepeliendis corporibus introductum et ubique servatum: sepultura enim corporis exanimati actus religiosus est; sed ecclesia morem humandi servat et ritus religiosus a ministris peragendus humationem ubique supponit. Accedit explicita prohibitio ecclesiae, ut ex declarationibus mox citandis apparebit.

b. Ideo nihil impedit, quominus in casibus particularibus iusta interveniente causa fidelium corpora comburantur, ut si ad avertendum contagionis periculum id necessarium iudicetur.

c. Rationes, quae ad promovendam cadaverum cremationem proferuntur (momentum aestheticum et oeconomicum), nullius momenti sunt. Unica ratio, quae contra ecclesiae morem urgeri posset, in eo consistit, quod ex corporum humatione periculum imminet publicae sanitati. Verum satis constat ex more terra condendi defunctos nullum oriri sanitatis periculum, dummodo coemeterium aptum locum occupet et in sepeliendis corporibus serventur cautelae ab ecclesia praescriptae.

---

[1]) *S. C. de prop. fide* 27. sept. 1884.

717. Declarationes ecclesiae. De hac re complures editae sunt declarationes, quibus principia modo exposita apprime confirmantur:

a. Illicitum est tum *mandare*, ut propria aliorumve cadavera comburantur, tum *nomen dare* societatibus, quae ad promovendam crematiouem cadaverum institutae sunt; et si agatur de societatibus sectae massonicae filiabus, incurruntur poenae contra hanc latae[1]).

Hanc declarationem approbans summus pontifex mandavit, ut ordinarii fideles circa *detestabilem abusum* humana corpora cremandi edocendos ab eoque totis viribus deterrendos curent.

b. Nunquam licet crematioui *cooperari* mandato vel consilio, tolerari autem aliquando potest materialis cooperatio, dummodo α. crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; β. nihil in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; γ. neque constet officiales et operarios catholicos ad opus vocari in contemptum catholicae religionis[2]).

c. Non licet *sacramenta morientium ministrare* fidelibus, qui corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint[3]).

d. Non licet *sepultura ecclesiastica donare* eos, qui propria voluntate crematiouem elegerunt et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt[4]); nec licet pro eis missam publice applicare, sed privatim tantum[5]). Quoties vero agitur de iis, quorum corpora non propria sed aliena voluntate crematioui subiiciuntur, ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possunt remoto scandalo tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad crematiouis locum. Scandalum vero removeri poterit, si notum fiat crematiouem non propria defuncti voluntate electum fuisse[6]).

Non tamen videntur necessario privandi sepultura ecclesiastica, qui bona fide ignorantes prohibitionem ecclesiae cadaver suum cremandum mandarunt; item qui mandatum, quod serio retractare volebant, ob qualemcunque rationem retractare amplius non poterant: hi enim voluntatem graviter peccaminosam aut nunquam habuerunt aut saltem in ea usque ad mortem non perseverarunt.

---

[1]) *S. Officium* 19. maii. 1886.
[2]) *S. Officium* 27. iul. 1892.
[3]) *S. Officium* 27. iul. 1892.
[4]) *S. Officium* 15. dec. 1886.
[5]) *S. Officium* 27. iul. 1892.
[6]) *S. Officium* 15. dec. 1886.

Pars quarta.

De praeceptis particularibus[1]).

718. 1. A praeceptis universalibus, quae omnibus hominibus vel saltem omnibus fidelibus communia sunt, distingui debent praecepta sive Dei sive ecclesiae particularia, quae ad quosdam tantum referuntur, ad eos nempe, qui determinatum *vitae statum* amplexi sunt.

2. *Status* in genere dicitur vivendi modus constans. Duo ergo elementa ad statum constituendum concurrunt, certus vivendi modus atque in eo constantia.

a. Ut certus vivendi modus *stricto et proprio sensu* status dicatur, requiritur, ut sit immobilis seu immutabilis, et quidem ex obligatione, quam is, qui in eo statu vivit, ex arbitrio suo abiicere nequit.

Huiusmodi est status matrimonialis, qui ratione vinculi matrimonialis, status sacerdotalis, qui ratione characteris sacramentalis et ratione voti sollemnis castitatis, status regularis, qui ratione professionis religiosae immutabilis est.

b. Sensu latiore et improprio certa vitae condicio status dicitur, quam homo ex arbitrio suo facile mutare non potest.

---

[1]) *S. Alphonsus* l. 4. n. 140—292. *Lugo,* De iustitia et iure disp. 37—41. *Elbel-Bierbaum,* Theologia moralis[2] (Paderbornae. Typographia bonifac. 1894) II. pr. 7. *Ballerini-Palmieri,* Opus theolog. mor.[3] (Prati. Giachetti. 1900) IV. n. 224—641. *Génicot,* Theologiae moralis institut.[6] (Bruxellis. Dewit. 1909) II. n. 1—62. *Berardi,* Praxis confessariorum[3] (Faventiae. Novelli. 1898) III. n. 1—186.

Eius aliqualis immutabilitas non ex obligatione, sed ex circumstantiis externis oritur.

Huiusmodi est status mercatorum, officialium, medicorum, opificum, qui, etsi vitae condicionem, ex qua ordinarie necessariam sustentationem capiunt, facile mutare nequeant, absolute tamen ei renuntiare possunt.

Nota 1. Loqui solemus etiam de statu iustorum et peccatorum, beatorum et damnatorum; verum non modus vivendi, sed modus existendi in hoc casu status vocatur. Ideo germanice eorum condicionem non tam *Stand* sed potius *Zustand* appellamus.

Nota 2. Status differt *ab officio*, quod non dicitur ab habituali obligatione vel libertate personae, sed ab actibus a determinata persona exercendis ut officium iudicis, medici, confessarii etc.[1]).

Praecepta particularia hoc loco explananda referuntur ad statum *laicorum* atque ad statum *clericorum:* de aliis enim statibus vel in iure canonico ex instituto agitur ut de statu regularium, vel in aliis theologiae moralis partibus ut de coniugatis.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 9.

Liber primus.

De praeceptis laicorum.

Praecepta, quae huc spectant, non omnes laicos afficiunt, sed quosdam tantum ob speciale officium, quod exercent. Haec praecepta *obligationes status* (Standespflichten) vocari solent. Non tamen de omnibus officiis peculiaribus, sed de praecipuis tantum hic sermo esse potest, cuiusmodi sunt officia *iudicis, actoris, rei, advocati, testis et medici.*

Quaestio prima.

De iudice et iuratis.

719. Notiones. 1. *Iudex* est persona publica ab auctoritate legitima ad ius dicendum constituta.

Ius dicit aut eo, quod in processu civili rem inter partes controversam dirimit, aut eo, quod in processu criminali delinquenti poenam congruam imponit.

2. Distinguitur iudex *ecclesiasticus* et iudex *saecularis* pro diversa auctoritate, a qua constituitur; iudex *civilis* et iudex *criminalis* pro diversa materia, in qua iudicat.

a. Iudex, qui aut ex dispositione legis aut ab ipsis litigantibus ad dirimendam controversiam inter eos vigentem constituitur, vocatur *arbiter.*

b. Ex iure moderno in causis criminalibus adhiberi solent iudices *iurati,* qui non sunt nisi iudices *facti:* nam solum de veritate criminis, quod reo obiicitur, sive de eius culpabilitate sententiam dicunt; iudices *iuris* deinde poenam decernunt.

Agendum est *a.* de qualitatibus iudicis; *b.* de obligationibus iudicis; *c.* de sententia iudiciali.

720. Qualitates iudicis. Ut iudex rite fungi possit officio suo, habere debet *scientiam*, *iurisdictionem* atque *integritatem.*

a. Scientiam sufficientem habere debet, ne exponatur periculo nocendi eis, quorum causas agit. Ideo cognoscere debet leges vigentes, secundum quas in causis, quae ad eius tribunal deferri solent, iudicium instituendum est.

α. Iudex sufficienti scientia destitutus non potest absolvi, nisi aut officium dimittat aut debitam scientiam sibi acquirat et interim a munere abstineat, si potest, vel saltem damna aliorum, consilium doctioris exquirendo, praecavere studeat, si prorsus abstinere non possit.

β. Iudex, qui suam imperitiam cognoscens causam gerit, tenetur damna reparare, quae pars laesa passa est.

γ. Si in damnum litigantis errorem commisit (etsi inculpabiliter), tenetur (si absque infamia potest) eum monere, ut sibi appellatione aut alia via consulat.

b. Iurisdictionem: hac enim deficiente sententiam invalidam dicit (nisi iurisdictio suppleatur) et graviter peccare potest, quia laedit ius iudicis competentis, cuius potestatem usurpat, et ius rei, contra quem vim coactivam iniuste adhibet.

Si ergo iudex saecularis causas ecclesiasticas in suo foro pertractat aut personas ecclesiasticas ad suum tribunal trahit, invalide agit, graviter peccat tum contra iustitiam tum contra religionem et quandoque excommunicationem incurrit[1]). Attamen hodie per concordata in plerisque locis factum est, ut iudices saeculares non solum causas civiles, sed sub certis condicionibus etiam criminales personarum ecclesiasticarum licite diiudicare possint. Ubi per concordata haec facultas non est concessa, in singulis casibus petenda est, et quidem ut clericus conveniri possit, ab ordinario, ut episcopus conveniri possit,

[1]) Huc pertinet duplex excommunicatio (I, 6. 7) ex constitutione *Apostolicae sedis.*

a sede apostolica[1]). Merito censet *Génicot* iudicem, qui hanc licentiam petere omittat, ordinarie graviter non peccare, ubi a lege civili eiusmodi causas agere iubetur. Pari modo iudex ecclesiasticus peccat ob usurpatam alienam potestatem, si de causis mere temporalibus iudicat.

c. Integritatem, qua in omnibus iustitiam servet, nec acceptione personarum, aut passione odii vel amoris, aut precibus vel muneribus ad ius laedendum flectatur.

721. De acceptatione munerum. 1. Non licet iudici a litigantibus *munera exigere* tamquam *stipendium* pro actione iudiciali vel pro sententia ferenda: iudex enim ex officio causas ad suum tribunal delatas expedire et iustam sententiam ferre tenetur; repugnat autem iustitiae commutativae, ut pretium accipiatur pro re aliunde iam ex iustitia debita.

Si iudex ex contractu *pro iniusta sententia* ferenda munus accepit, ante sententiam latam illud restituere tenetur, sed post sententiam latam illud retinere potest, nisi aut lex positiva contractum de munere accipiendo irritum declaraverit, aut ipse ad restitutionem condemnatus fuerit, quia rem promissam reipsa praestitit (n. 538). Quodsi ex contractu *pro sententia iusta* ferenda munus accepit, illud etiam post sententiam latam reddere debet.

2. Non licet iudici a litigantibus *munera accipere* tamquam *dona* ex mera liberalitate oblata, nisi sint *parvi momenti.* Nam ut omne periculum corruptionis in iudice praecidatur, *tum lege naturae tum positiva* acceptatio munerum prohibetur. Lege naturae prohibetur, quia acceptans munera se exponit periculo iniustam sententiam ferendi: nam *xenia et dona excaecant oculos iudicum*[2]). In iure positivo autem tum ecclesiastico tum civili disertis verbis haec prohibitio continetur[3]). Parva autem munera non censentur habere vim alliciendi iudicem ad iniustam sententiam.

---

[1]) *S. Officium* 23. ian. 1886.

[2]) Eccli. 20, 31.

[3]) C. Statutum 11. *de rescriptis* in 6° (I. 3) Cf. Deut. 16, 19. L. 18. Dig. *de officio praesidis;* cum iure romano omnes codices recentes iudicibus acceptationem munerum prohibent.

Si iudex munus prohibitum ex mera liberalitate oblatum accepit, illud tum *ex lege naturae* tum *ex lege positiva* retinere potest, quia neutra donationem irritat. *Lex positiva* est quidem praeceptiva, ideo acceptans munera prohibita peccat, ad restitutionem autem non tenetur, nisi ad eam faciendam per sententiam iudicis condemnatus fuerit. Quae peculiariter de iudicibus ecclesiasticis statuta sint, docet ius canonicum[1]).

722. Iudicis obligationes. Iudex ex iustitia tum legali tum commutativa causas agere debet cum debita *diligentia* et cum *iustitia:* etenim per quasi-contractum, quem suscipiens officium cum potestate politica et acceptans causam cum partibus init, ad hoc se obligat.

1. *Diligentia,* quae in causis agendis adhiberi debet, postulat imprimis, ut eam curam adhibeat, quae pro causae gravitate prudentum iudicio necessaria est, deinde ne causas absque necessitate tamdiu protrahat, ut partibus damna oriantur.

Si ex nimia causae dilatione, eaque graviter culpabili, parti orta sunt damna, ea reparare tenetur; et si ex negligentia graviter culpabili falsam sententiam dixit, tenetur ad restitutionem erga partem laesam.

2. *Iustitia,* quam in causis agendis servare debet, postulat, ut processum instituat et sententiam ferat *iuxta leges vigentes, modo sint iustae:* etenim ad sententiam iuxta legem ferendam constitutus est. Si leges violat, peccat contra iustitiam legalem, nisi simul contra ius strictum alterius agat.

a. Ideo iustitiam commutativam laedit et ad restitutionem tenetur, si in causis civilibus litigantibus *non tribuit ius,* quod ex lege eis competit; item si in causis criminalibus *poenas legalibus maiores* imponit. Sed si reum iniuste a *mulcta pecuniaria* liberat, non iustitiam commutativam sed solum iustitiam legalem violat.

b. Non licet iudici uni ex partibus litigantibus suggerere id, quod ipsa pro se allegare possit, quia hoc esset agere partes advocati, quod iudici non licet, qui ex proprio officio suo solum secundum allegata et probata iudicare debet.

---

[2]) Cf. *Aichner,* Compendium iuris eccles.[9] (Brixinae. Weger. 1900) p. 756 ss.

723. De sententia iudiciali. Iudex *sententiam ferre* debet secundum scientiam iuridicam, quam ex actis iudicialibus acquisivit, seu *secundum allegata et probata,* non secundum scientiam privatam: agit enim personam publicam, ideoque secundum scientiam publicam ipsi procedendum est.

a. Ideo absolvere debet eum, quem *privata scientia cognoscit reum,* si iuridice non sit convictus, adeo ut contra iustitiam agat et ad restitutionem teneatur, si eum condemnet.

b. Quodsi *privata scientia cognoscit innocentem,* qui iuridice comprobatus est reus:

α. Imprimis tenetur omnia tentare, quae potest, ut innocentem a subeunda poena liberet, quia ex caritate tenetur avertere grave malum proximi praesertim iniustum, et rarissime, ait *Lugo,* potest contingere, ut iudex non possit liberare eum, quem certo novit innocentem[1]). Quodsi eum nulla ratione eripere potest, *practice,* pro libitu eum absolvat vel condemnet, cum res sit inter theologos valde controversa.

β. Alii enim docent licere iudici contra innocentem sententiam ferre in omnibus causis, in quibus agitur de imponenda poena in bonis externis, ut est poena pecuniaria vel privationis officii, in quae bona auctoritas publica intuitu boni communis potestatem habet. In hoc enim casu auctoritas publica subditum privat suis bonis propter bonum commune, quod exigit, ut servetur ordo iudicialis, nisi violetur ius naturae, et iudici potestatem facit condemnandi innocentem. Si autem agitur de imponenda poena in bonis, in quae societas potestatem non habet, ut est poena capitis vel carceris, non licet iudici contra innocentem sententiam dicere: cum enim societas in vitam vel libertatem innocentis potestatem non habeat, non potest iudici conferre potestatem condemnandi innocentem[2]). Alii autem cum *s. Thoma* tenent iudicem semper posse proferre sententiam iuxta allegata et probata, etiamsi agatur de imponenda poena gravissima mortis, quia iudex est persona publica, quae procedere debet iuxta scientiam publicam[3]). — Verum demonstrandum est non esse contra ius naturae, atque ideo non esse intrinsecus malum condemnare innocentem, etsi legitime probetur nocens. Ceterum haec quaestio nunc temporis non est magni momenti: cum enim fere ubique habeantur *iudices iurati,* casus iste tum solum accidere potest, ubi iurati aliquem affirmant reum, quem iudex novit esse innocentem.

---

[1]) *Lugo,* De iustitia disp. 37. n. 41.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 37. n. 42 ss., quocum idem sentiunt *Laymann, Lessius, s. Alphonsus* (n. 208) et alii.

[3]) Cf. *s. Thomas* II. II. q. 64, a. 6. ad 3. q. 67. a. 2.

724. De vi sententiae iudicialis. 1. Sententia iudicis *certo iusta* producit obligationem in conscientia: etenim est veluti praeceptum legitimi superioris in casu particulari, quod in conscientia obligat.

a. Sententia iudicis in causa poenali obligationem oboedientiae producit, quia leges poenales ex oboedientia, quae iustae legi debetur (ex iustitia legali), servandae sunt; quare mulcta per sententiam iudicis imposita ex oboedientia solvenda est.

b. Sententia iudicis, quae ius strictum definit, e. g. heredem solvere debere legatum, obligationem iustitiae commutativae cum onere restitutionis imponit.

c. In causa dubia, sive dubium est facti sive iuris, quilibet sententiae iudicis tuta conscientia stare potest: iudicis enim est dubia solvere[1]).

2. Sententia *certo iniusta* nequit producere obligationem in conscientia. Atque id quidem valet in omni casu, sive sententia solum in se sive etiam iuridice ex non servato ordine iudiciali falsa est, sive iudex bona sive mala fide sententiam pronuntiavit.

Qui ergo per sententiam iudicis certo iniustam re sua privatus est, potest, si aliud non suppetat medium, occulta compensatione rem suam recuperare; et qui bona fide litigans per sententiam iniustam rem obtinuit e. g. hereditatem, tenetur eam cognita sententiae iniustitia legitimis heredibus restituere; expensas autem compensare non tenetur, quia bona fide egit[2]).

3. Si sententia *dubie iusta* est, interpellatio quidem interponi potest, sententia autem ipsa servari debet, non solum in foro externo sed etiam in conscientia: in dubio enim sententia iudicis praesumi debet iusta.

725. De sententia iudiciali in causa dubia. *Si causa dubia est,* sive dubio facti sive dubio iuris, distingui debet.

Dubium *facti* habetur, si dubitatur, num reus crimen commiserit, debitum contraxerit etc., quia ex utraque parte non habentur nisi rationes probabiles; dubium *iuris* habetur, si dubitatur, qua ratione

---

[1]) *Marres,* De justitia[2] (Ruraemundae. Romen. 1889) I. n. 18.
[2]) *Lugo* disp. 37. n. 187.

lex, secundum quam iudicium ferendum est, intelligenda sit, quia a doctoribus in utramque partem probabiliter explicatur.

a. In *causis criminalibus* et in causis, in quibus imponenda est poena, favendum est reo i. e. reus semper absolvendus est, quia puniri non potest, nisi de crimine certo constet.

b. In *causis civilibus* autem de re controversa iterum distinguendum est: si unus est in certa possessione rei controversae, res ipsi adiudicanda est, donec altera pars sufficienter probet ius suum. Quodsi neutra pars est in certa possessione rei controversae et α. probabilitas ex utraque parte est *inaequalis,* res ei adiudicanda est, cui favet maior probabilitas ex propositione (2.) ab Innocentio XI. damnata[1]). Si β. probabilitas ex utraque parte est *aequalis,* iudex amicam compositionem suadere vel etiam rem uni adiudicare potest, cui maluerit.

α. Est sententia communior, quam tenet *s. Alphonsus* (n. 210), rem adiucandum esse possessori, donec altera pars *certo* probet ius suum, eo quod ius certum possessionis elidi nequeat nisi alio iure certo. Alii autem censent rem adiudicandam esse possessori, quamdiu ex utraque parte habentur rationes aeque probabiles: nam in aequali causa melius est ius possessoris; quodsi actor maiorem probabilitatem habet, res ei adiudicari potest, quia ius maius pro se habet, quod elidit praesumptionem, quam factum possessionis alteri praebet.[2]).

β. Ratio, ob quam iudex rem ei adiudicare debet, cui favet maior probabilitas, haec est, quia iudex a suprema auctoritate constitutus est, ut meliore, quo potest, modo investiget et sequatur veritatem et proinde partibus ius tribuat secundum meritum causae; huic autem officio deesset, si ei parti faveret, quae minorem speciem veritatis et maius errandi periculum habet[3]). Quodsi in hoc casu ius alterius minus probabile tamen laedatur, suprema potestas ratione boni communis (ut finiantur lites) exigit, ut laesus de iure suo cedat.

γ. Ex iure naturae nihil prohibet, quominus iudex rem pro rata probabilitatis inter litigantes dividat, sive utrimque est aequalis sive inaequalis probabilitatis; ex iure autem positivo sequi debet leges positivas tribunalium, quae rem controversam alterutri parti adiudicandam statuunt.

---

[1]) *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

[2]) *Lugo* disp. 16. n. 99. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 578.

[3]) *Lugo* disp. 37. n. 114 s.

5. Si litigantium causae sunt aeque probabiles, non licet iudici pecuniam accipere, ut uni prae altera faveat[1]); quin immo haec agendi ratio etiam *iniusta* est, quia iudex haec agens nihil praestat praeter id, quod ex iustitia iam praestare debet[2]).

726. De sententia iudiciali secundum legem iniustam lata. 1. Si lex iniusta est, quia *contraria legibus immunitatis* ecclesiasticae, a quibus ecclesia dispensare potest, iudex facultatem petere debet ab auctoritate ecclesiastica talem causam diiudicandi, nisi iam concessa sit. Facultas petita facile conceditur, ne iudex bonus ac probus cogatur officium dimittere; praecavere autem debet scandalum publicum, quod ex usu facultatis oriri possit.

2. Si lex iniusta est, quia *contraria legibus divinis* vel naturalibus, non licet secundum illam legem sententiam ferre, quia res intrinsecus mala est; quare iudex potius officium dimittere quam eiusmodi causam agere deberet.

a. Sententia secundum legem iniustam lata vel praecipit rem inhonestam, ut si pronuntiat eos cohabitare debere, qui solum civiliter iuncti sunt, vel poenam imponit innocenti. Iam vero eiusmodi sententia dicenda est intrinsecus mala, etsi solum de poena imponenda agatur; quare non licet iudici ad proprium grave damnum evitandum ne levem quidem poenam innocenti imponere, nisi ex consensu saltem praesumpto eius, qui poenam subire debet. Ex hac ratione licitum dici potest, quod iudex, qui sine proprio gravi damno a sententia abstinere nequit, mulctam imponat sacerdoti, qui ante civile matrimonium nupturientibus assistit in ecclesia[3]).

b. Non desunt, qui sententiam latam secundum legem iniustam demonstrare conentur licitam, eo quod iudex sententiam ferens solum declaret, quid lex iniqua statuat; id autem declarare non sit malum. Verumtamen vis sententiae iudicialis prorsus alia est: ipsa enim novam obligationem vel novum ius parit antea non exsistens, adeo ut sententia iudicialis vocari soleat lex particularis[4]).

---

[1]) Damnata est haec propositio (26) ab *Alexandro VII: Quando litigantes pro se habent opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

[2]) Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I. 496.

[3]) *Génicot* II. n. 5.

[4]) *S. Thomas* II. II. q. 67. a. 1.

727. Obligatio iudicis, qui sententiam iniustam tulit.

a. Si *cum gravi culpa* id fecit (sive ex iniquitate sive ex imperitia), tenetur sententiam revocare, si potest, etiam cum magno incommodo, et, si non potest, damna reparare debet.

b. Si *inculpabiliter* id fecit (ex errore vel oblivione), tenetur sententiam revocare, si sine magno incommodo potest, quia tenetur impedire malum, quod ex sua actione alteri obventurum est; si non potest, ad nihil tenetur. Quodsi ex negligentia graviter culpabili non revocat sententiam iniustam, quam commode revocare potest, totum damnum ipsi imputandum est illudque reparare tenetur.

c. Si *poenam iusta maiorem* imposuit, iustitiam commutativam laesit et ad restitutionem tenetur. Iusta maior etiam illa poena censetur, quae intra limites legis quidem continetur, sed tamen consideratis causae adiunctis et praxi tribunalium manifesto modum excedit[1]).

d. Si iudex aliquem indebite *a mulcta pecuniaria* in poenam delicti ex lege solvenda liberavit, non tenetur ad restitutionem erga eum, cui mulcta solvenda erat: etenim ille, cui ex lege mulcta solvenda est, ante sententiam iudicis non habet ius strictum in mulctam, sive fiscus sive aliquis privatus est[2]).

728. De iuratis. Iudices iurati hoc nomine vocantur a iuramento, quod emittunt, se rite functuros esse officio suo. Non adhibentur nisi in causis criminalibus. Officium eorum est, ex intima persuasione sua iudicandi de exsistentia criminis et de culpa vel innocentia accusati; iudex proprie dictus deinde poenam iuxta legem decernit. Culpabilitas autem, quam affirmare vel negare debent, intelligitur culpabilitas formalis (Zurechnungsfähigkeit), scilicet crimen cum culpa morali commissum. Sententiae,

[1]) *Génicot* II. n. 5.

[2]) *S. Alphonsus* I. 4. n. 196.

quam pronuntiant, nunquam rationem reddere tenentur; quare periculum abusus patet, nisi iurati sint viri integerrimae conscientiae.

1. Qui ad munus iudicis iurati assumitur, tuta conscientia sequi potest, dummodo voluntatem habeat nunquam affirmandi culpam, nisi de ea certo constet.

Cum iudices iurati ordinarie sint cives scientia iuridica non instructi, qui nihilominus quandoque iudicium ferre debeant in causa difficili et intricata, quaeri potest, num ipsis hoc munere fungi liceat. Verum si studeant habere animum ab inordinatis affectibus vacuum et in actionibus iudicialibus diligenter attendant, vix fieri potest, ut innocentem iudicent sontem. Quia vero iuratis non licet affirmare culpam, nisi de ea certo constet, facilius evenire potest, ut delinquentem absolvant; verum id non iuratis sed potius modo iudicandi per iudices iuratos ab auctoritate civili instituto imputandum est.

2. Cum iuratus ex lege id tantum affirmare debeat, *de quo intime persuasum sibi est,* ipsi non licet affirmare culpam, nisi de ea certo constet, etsi hac ratione quandoque delinquens absolvatur.

3. Intimam persuasionem, secundum quam sententiam suam dicant, ex actis iudicialibus sibi comparare debent, nec tamen prohibentur uti etiam notitiis privatis.

Ratio *primi* est, quia de ratione sententiae iudicialis est, ut innitatur allegatis et probatis in iudicio; ratio *secundi* est, quia lex ipsa hanc facultatem eis praebet, eo quod sententiam secundum intimam persuasionem ferre iubeat: intima enim persuasio oriri nequit, quamdiu privata scientia adversatur.

4. Si ergo privata scientia certo sciunt accusatum esse innocentem, eum liberare debent, quia persuasionem habere non possunt eum esse culpabilem; et si solum privata scientia sciunt ipsum esse nocentem, eum pariter liberare debent, quia ex actis iudicialibus, a quibus praescindi non potest, non probatur reus.

Huic ultimae sententiae, quam tuentur *Lehmkuhl,* (I. n. 807) et *Ballerini-Palmieri* (IV. n. 593), quia lex criminalis non permittit nec permittere potest, ut iuratus intimam persuasionem ex sola scientia privata hauriat, contradicit *Berardi* (III. n. 108) existimans legem codicis criminalis ita esse intelligendam, ut iuratus eum sontem declarere possit, de cuius culpa intimam persuasionem habeat, etsi hanc solum ex privata sua scientia hausisset.

Quaestio secunda.

De actore et accusatore.

729. Praenotiones. *a. Actor* dicitur, qui in causa civili alterum in iudicium vocat, e. g. ut debiti solutionem obtineat. Ad petitionem actoris instituitur iudicium, in quo ipse causam probare tenetur.

b. Accusator dicitur, qui in causis criminalibus crimen ad iudicem defert. Facta accusatione pariter ad iudicium proceditur, et accusator item obligationem in se suscipit delatum crimen probandi.

c. Denuntiator dicitur, qui delictum ad superiorem vel iudicem defert, nec tamen obligationem illud probandi in se suscipit, sed officio et prudentiae iudicis committit, num ipse velit causam prosequi, quo in casu denuntiator testis erit.

In civitate bene ordinata constitutus esse debet, qui iura et bona communia tueatur et ideo crimina persequatur ea in iudicium adducendo. Id diversis temporibus diversis demandatum erat, vel privato unicuique civi, vel publico officiali, vel officiali et civibus. Ex iure hodierno non admittitur accusatio iudicialis a privatis facta, sed ea fieri debet a persona publica ad id constituta, quae vocari solet *procurator fiscalis* seu regius (Staatsanwalt): ipsa enim auctoritas publica munus delinquentes accusandi in se suscipit. Privatis ergo hodie non relinquitur nisi criminum denuntiatio, quae quidem semper fieri *potest*, ubi de crimine commisso sufficienter constat; quandoque etiam fieri *debet*, ut mox dicetur.

730. Obligatio accusandi et denuntiandi. 1. *Ex iustitia commutativa accusare* tenentur, qui ex officio ad id constituti sunt. Eiusmodi sunt officiales publici, custodes silvarum, agrorum et vinearum, praefecti gabellarum etc.; et hi quidem omnes etiam cum gravi suo incommodo accusare debent, quia non solum ex caritate, sed ex iustitia ad id tenentur.

a. Ipse *procurator regius* tenetur sine acceptione personarum accusare vel poena mulctare eos, qui in crimine deprehensi vel a privatis

hominibus propter crimen denuntiati sunt, dummodo lex criminalis vel poenalis iusta sit. Attamen non prohibetur mitius agere cum iis, qui ex mera levitate deliquissent.

b. Qui officio suo in re gravi desunt, reparare tenentur damna, quae communitati vel dominis ex omissa accusatione obveniunt; immo etiam mercedem pro ratione neglecti officii restituere debent.

c. Custodibus agrorum etc. in hac re mitius agere licet, si damna sunt minoris momenti nec saepius repetita, si prudenter praesumi potest domini consensus in omissam accusationem, si delinquens est valde pauper nec assuetus furtis. Ad accusationem faciendam non tenentur custodes, si delinquentes se sponte offerunt ad damnum secreto compensandum.

2. *Ex caritate* vel *ex lege denuntiare* tenentur homines privati in his casibus:

a. Si agitur de crimine, quod vergit in damnum commune; quo in casu denuntiatio etiam cum gravi incommodo fieri debet.

b. Si agitur de gravi damno a tertio innocenti avertendo vel ei reparando, non tamen cum gravi incommodo.

c. Si denuntiatio lege positiva praecipitur.

Tum lex civilis tum lex ecclesiastica praecipit quandoque denuntiationem faciendam; illa privatum hominem vix unquam in conscientia obligat, haec frequentius; sic denuntiandi sunt: α. sacerdotes sollicitantes; β. duces occulti sectae ab ecclesia sub censura prohibitae; γ. haeretici publice dogmatizantes.

3. Ut delinquens *licite denuntiari* possit, requiritur, ut eius crimen sit certum, vel saltem ut gravia indicia aliquem de crimine suspectum reddant, sed in hoc casu crimen non est denuntiandum ut certum: alias enim ius ad famam laederetur. Licet aliquando denuntiare etiam crimen occultum: illi enim delinquentes non habent ius ad famam, quorum occultum crimen cedit in damnum commune vel in damnum tertii innocentis.

Quaestio tertia.

De reo.

731. Declaratio. 1. *Reus* is dicitur, contra quem in iudicio agitur; in causis ergo civilibus is, a quo aliquid tamquam debitum exigitur, in causis criminalibus ille, qui de crimine commisso accusatus est.

2. In *actione iudiciali* contra reum instituta iura boni communis puniendi crimina collidunt cum iure rei in propriam famam; quem iurium conflictum alio modo solvunt iura antiqua, alio recentia. Sed ubi agitur *de subeunda poena,* eadem iura boni communis collidunt sum ingenito iure rei conservandi libertatem et vitam.

732. Ius et obligatio rei in processu iudiciali. 1. Reus *crimen a se commissum fateri non tenetur;* quare a mendaciis quidem abstinere debet, ad interrogationes autem iudicis respondere potest cum restrictione mentali, quin et ipsa negatio criminis in hoc casu non est mendacium, sed restrictio late mentalis, siquidem negat se commississe crimen, quod fateri teneatur.

Ex *iure romano* (et ex iure canonico) reus legitime et iuridice de crimine interrogatus crimen commissum fateri tenetur excepto casu, quo per confessionem criminis gravissimam poenam mortis vel perpetui carceris vel confiscationis bonorum subire deberet. Iudex enim legitime interrogans iuste praecipit confessionem veritatis; superiori autem iuste praecipienti obtemperandum est, nisi praecipiat, quod moraliter impossibile est. Insuper eodem iure a reo exigitur iuramentum de veritate responsi, quod iudici daturus sit. Verum ex *iure civili moderno* a reo non exigitur confessio criminis, nec ei imponitur iuramentum. Iudex reum de hoc solum interrogare potest, num ad ea, de quibus accusatur, aliquid respondere velit. Ex eodem iure tamquam de crimine convictus condemnari potest, etsi illud non fateatur, id quod ex iure romano illicitum est.

2. Ad fidem testium infirmandam ideoque ad vim testimonii minuendam reus licite *manifestare potest eorum crimina occulta,* si id ad hunc finem necessarium est: nemo

enim tenetur servare famam alterius cum gravi suo incommodo.

a. Atque id quidem licet, sive reus crimen commisit sive non commisit, sive testis ultro testatur sive coactus id facit. Attamen sub duplici tantum condicione reo id licet: α. Si manifestatio ad sui defensionem necessaria est, quia solum iure defensionis occulta crimina manifestare potest. Si ergo alia via se defendere potest, vel si manifestatio ad hunc effectum inutilis est, illicita evadit; β. Si testi vel accusatori non oritur damnum notabiliter maius quam ipse per revelationem a se avertere conatur: id enim postulat praeceptum caritatis.

b. Revelatio occulti criminis, quae ex defectu harum condicionum illicita est, offendit tum contra caritatem tum contra iustitiam: testis enim ius habet, ne occulta ipsius crimina absque iusta causa revelentur.

3. Nunquam vero licet reo, ne innocenti quidem, etsi de gravissima poena mortis ageretur, ad sui defensionem testi *per calumniam falsum crimen imponere,* etsi alia via damnum evitari non possit: est enim mendacium, quod insuper cedit in damnum alterius[1]).

733. Ius et obligatio rei in subeunda poena. 1. *Reus innocens,* qui comprehenditur vel iniusta sententia ad subeundam poenam condemnatur, comparandus est ei, qui contra iniustum aggressorem se defendere potest: in innocentem enim nec iudex nec ministri iustitiae ius ullum habent. Scandalum tamen praecavere debet reus, si quod merito timendum sit.

Non solum e satellitum ipsum comprehendentium manibus se eripere et fugere, sed etiam positive resistere potest e. g. satellites repellendo, armis terrendo; attamen vim inferre et satellites laedere non licet, quia servare debet moderamen inculpatae tutelae[2]).

2. *Reus, qui crimen commisit,* ministris iustitiae, qui ius habent eum comprehendendi et sententiam exsequendi,

---

[1]) Prop. 44. ab *Innocentio XI.* damnata: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat.*

[2]) Cf. propositio 18. ab *Alexandro III.* damnata: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

oboedire tenetur, ita ut eis positive non resistat et poenam iniunctam luat.

a. Reus itaque, qui iuste comprehenditur, *fugere* quidem potest ex innato iure conservandi libertatem, satellitibus autem *resistere non potest,* quia ius habent eum comprehendendi.

b. Reus, iuste captus, qui *ante sententiam iudicis* in custodia detinetur, e carcere aufugere potest, quia, cum sententia in eum nondum lata sit, non tenetur subire poenam. Id valet etiam de reo, qui post iudicis sententiam in carcere detinetur, non quidem ad luendam poenam, sed ut ad poenam e. g. mortis postea infligendam servetur, quia sententia iudicis eum non obligat ad non fugiendum.

c. Post sententiam iudicis, qua iuste condemnatus est, in conscientia tenetur poenam iniunctam subire, quia iustae iudicis sententiae obtemperandum est; quocirca reo, cui carcer iam assignatus est ad poenam, non licet fugere. Si tamen poena sit atrox seu gravissima ut valde durus vel perpetuus carcer, fugere potest, quia lex humana praecipere nequit nimis dura. Iuxta alios simpliciter aufugere potest, sive poena atrox est sive non, quia non tenetur in carcere manere, sed tantum sinere, ut in carcere contineatur[1]).

Is, cui fugere licet, etiam *carceres effringere* potest, quia licite fugae impedimenta removere et honesta media, quae ad fugam conducunt, adhibere potest. Periculum tamen incurrendi graviora mala prohibet, ne rei hoc iure utantur.

3. Qui licite fugere potest, potest etiam *custodes decipere,* praecisa tamen vi et iniuria; at custodes pecunia vel aliis mediis *corrumpere* non licet, quia non licet inducere quemquam, ut desit officio suo. Sed iniuste condemnatus custodem *praemonitum* (de iniustitia sententiae ad peccatum eius praecavendum) corrumpere posset, quia cessat obligatio officii, quod evadat cooperatio ad iniustitiam.

Non tenetur fugiens damnum custodum reparare nec damnum civium, quod forte ideo patiuntur, quia alii quoque captivi effugiant: horum enim damnorum ipse non est causa iniusta, cum utatur iure suo et damna solum permittat, non inferat. Damna autem effracti carceris ex communi sententia reparare tenetur, quia horum est causa nec ius habet sine compensatione ea inferendi[2]).

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 632. *D' Annibale* II. n. 601.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 40. n. 47. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 633.

734. De obligatione rei in causa civili. *a.* Reus non potest litem inchoare, si actionem petitoris certo iustam habet.

b. Reus, qui certo debitor est, in conscientia debito suo satisfacere tenetur, etsi in iudicio fuerit absolutus; nec excusatur ab hac obligatione „eo quod altera pars consenserit sententiae nec appellaverit: nam totum hoc censetur involuntarium, nec praesumitur voluisse renuntiare iuri suo in foro interiori“[1]).

c. Num reus, qui certo debitor est, in iudicio absolutus teneatur litis expensas compensare, ab eo dependet, utrum in sui defensione usus sit mediis iniustis et propterea absolutus sit necne: etenim si mediis iniustis aut usus non est, aut non propter illa absolutus est, sed propter defectum probationum, ad compensandas expensas non tenetur.

Quaestio quarta.

De advocato.

735. *Advocatus* (causidicus) est, qui alicuius partis causam in iudicio defendendam suscipit. Simile est munus *procuratoris,* qui nomine litigantis causam in iudicio tuetur.

Advocati obligationes quoad sufficientem *scientiam* et debitam *diligentiam* in causis agendis conveniunt cum iis, quae supra de iudice dicta sunt. Si ergo causam suscipit, cui gerendae se imparem novit, atque imperitia aut incuria sua clienti damnum infert, ad restitutionem tenetur, nisi cliens huius imperitiae conscius nihilominus ad eum confugerit. Restant obligationes, quae ad *iustitiam* causae, ad *fidelitatem* erga clientem et ad *iustum pretium* referuntur.

---

[1]) *Lugo* disp. 37. n. 187.

736. De iustitia causae defendendae. 1. *De causa civili.* *a.* Causam civilem, quam certo cognoscit iniustam, suscipere non potest; potest autem suscipere causam dubiam, etiam illam, pro qua stat minor probabilitas: saepe enim fit, ut causa, quae initio dubia aut minus probabilis videbatur, in decursu processus magis probabilis aut etiam certa evincatur.

b. Si in decursu processus susceptae causae iniustitiam certo cognoscit, eam deserere debet; nec potest in hoc casu compositionem suadere, quae locum habere nequit, nisi in causa dubia: damnum enim inferret adversae parti. Si ex clientis voluntate causam iustam nihilominus prosequitur, tenetur reparare damnum alteri parti illatum, sicut mandatarius actionis iniustae.

c. In causa defendenda non potest uti nisi mediis iustis, ne iudicem ad falsam sententiam ferendam inducat; potest autem occultare ea, quibus causa sua impediri posset, quia aliam partem non decipit sed permittit, ut decipiatur. Si mediis iniustis vincit e. g. afferendo leges falsas aut abrogatas, producendo falsos testes, afferendo falsa documenta etc., parti laesae damnum illatum reparare tenetur; primario quidem, si absque mandato clientis, secundario vero, si ex mandato clientis egit.

Adversam partem de adiunctis, quae eius causam iuvare possent quae tamen ipsa aut ignorat aut non attendit, monere ex caritate teneri potest, ex iustitia nullatenus tenetur.

2. *In causa criminali* reum defendere potest, etsi illum certo cognoscat nocentem, modo ab omni fraude, dolo et medio illicito abstineat: cum enim non teneatur ad poenam nisi convictus, iure defensionis curare potest, ut probationum vis infringatur et certa criminis demonstratio impediatur.

Falso documento uti in iudicio nunquam licet. Ad determinandam huius rei malitiam distinguendum est.

a. Si ius clientis nondum est certum, peccatum est contra veracitatem et contra iustitiam, quia alteram partem iniusto medio impedit, quominus sententiam sibi faventem obtineat.

b. Si ius clientis certum est et documentum antea exsistens amissum fuit, substitutio novi documenti est mendacium, at non est peccatum contra iustitiam. Immo si ius clientis certum est, etsi documentum, quod ad ius certum defendendum profertur, prorsus confictum sit, non committitur peccatum contra iustitiam sed contra veracitatem per mendacium.

c. In utroque autem casu peccari potest contra caritatem, quia sic agentes se exponunt periculo subeundae gravissimae poenae, si fraus detegatur[1]); quin etiam mendacium auctore *Lehmkuhl* (I. n. 824) graviter damnosum est contra bonum publicum.

737. De fidelitate erga clientem. *a.* Tenetur causam diligenter examinare et clientem de causa, de eius scilicet iniustitia, certitudine, probabilitate monere eique statum causae, si ipse hoc exigit aut si ea notabiliter mutatur, declarare, ne ad sumptus inutiles inducatur; quod si cum gravi culpa omittit, tenetur de damnis, quae ex hac omissione clienti obveniunt.

Advocatus, qui de *causa dubia* clientem non monet eamque amittit, damnum clientis reparare debet, si constat eum causam dubiam prosecuturum non fuisse; damnum autem reparare non tenetur, si dubium est, an causam acturus fuisset, quia de damno illato in hoc casu non constat.

b. Tenetur ordinariam saltem industriam adhibere, tum ut in causa vincat tum ut cito eam finiat; et si ex negligentia graviter culpabili clienti damnum oritur, illud resarcire tenetur.

c. Non licet in eadem causa adversae parti succurrere, e. g. testium depositiones aut alia acta ei communicare, vel secreta clientis ei manifestare.

738. De taxis exigendis. *a.* Pro causa, quam egit, iustum stipendium accipere potest, at ultra iustum stipendium nihil ei exigere licet. Quare si stipendium a competenti auctoritate taxatum sit, ei standum est, si vero nullum taxatum fuerit, iudicio prudentum determinandum est.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 608.

b. Lex, qua stipendium taxatur, potest esse poenalis aut praeceptiva ex iustitia legali aut praeceptiva ex iustitia commutativa. Solum in hoc ultimo casu ad restitutionem tenetur, qui sumendo taxam iusta maiorem legem violavit.

c. Causas pauperum gratis agere tenetur secundum praeceptum caritatis; itaque α. iis, qui in extrema necessitate versantur, sub gravi et cum gravi suo incommodo; β. iis, qui in gravi necessitate versantur, sub gravi quidem, sed non cum gravi incommodo; γ. iis tandem, qui in communi necessitate versantur, sub levi, si commode potest, succurrere tenetur. Sufficit ergo, si his aliquid auxilii vel consilii impendat, quando ab aliis laboribus vacat.

d. Non tenetur sponte auxilium praebere, sed iis tantum, qui eius auxilium implorant; petentes repellens contra caritatem peccat, si praevidet eos propterea grave damnum passuros esse.

Quaestio quinta.

De testibus.

739. Praenotiones. 1. *Testes* dicuntur personae aptae, quae ad fidem alicuius rei adstruendam adhibeantur. Quinam possint esse testes, quinam non possint, docent iura.

2. De ratione testis est, ut factum, de quo testatur, *sciat;* scire autem testis illud tantum censetur, quod suis ipse sensibus percipit.

3. Testis in causa civili et plerumque etiam in causa criminali *iuramento* se obligare debet ad solam veritatem eamque integre dicendam.

4. Leges antiquae determinatum numerum testium (saltem duos) ad crimen probandum requirebant; iura vero

moderna certum numerum testium non exigunt, adeo ut etiam *unus testis* ad reum condemnandum sufficiat; non tamen nudum eius testimonium, nisi alia indicia contra reum accedant, ad hoc sufficit.

5. Testis non tenetur testimonium dicere nisi in *legitimo iudicio,* i. e. nisi iudex legitime et iuridice interroget[1]).

740. De obligatione comparendi in iudicio. 1. Nulla exsistit obligatio *sponte se offerendi ad testandum* nisi in duplici casu: *a.* si id necessarium est ad grave damnum reipublicae avertendum: ex iustitia legali etiam cum gravi incommodo ad id obligamur; *b.* si necessarium est ad grave damnum proximi avertendum: ex caritate ad id tenemur, si absque gravi incommodo fieri potest.

α. Ubi tamen de sola punitione criminis praeteriti agitur, nemo sponte ad testandum se offerre debet, quia ex omissa tali punitione respublica vix leve damnum patitur.

β. Si quis condemnatus est ob crimen, quod scias patratum ab alio, non teneris prodere malefactorem ad liberandum innocentem, modo malefactor non sit causa iniusta, ob quam condemnatus sit innocens: nemo enim tenetur succurrere proximo cum gravissimo alterius damno, si hic se prodere non tenetur[2]).

2. Qui a legitima auctoritate *ad testandum citatus est*, ex iustitia legali comparere tenetur: superiori enim legitime praecipienti parendum est. Haec obligatio per se gravis est, nisi de re levis momenti agatur vel testimonium non sit necessarium.

741. De obligatione testandi. 1. Tenetur testis ex iustitia legali iudici interroganti simpliciter iuxta conscientiam suam respondere, *nisi legitime excusetur*. Etiam haec obligatio per se gravis est.

---

[1]) Iudex *legitime* interrogat, si est legitimus iudex i. e. si non solum in genere, sed in specie pro hac causa potestate iudiciali instructus est: *iuridice* interrogat, si in processu iudiciali ad normam iuris instituto interrogat.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 39 n. 1 s.

a. Testis, qui in iudicio falsum testimonium dicit, peccat α. contra *veracitatem* mentiendo; β. contra *religionem*, si, ut fieri solet, iuramento promisit se verum dicturum esse; et γ. etiam contra *iustitiam commutativam*, si falso suo testimonio alteri damnum infert.

b. Aliud est veritatem occultare, aliud falsum testari; qui negando se quidquam scire veritatem occultat, positive damnum non infert, sed solum illud non impedit, quare non peccat contra iustitiam commutativam excepto casu, quo ex officio vel ex contractu testari tenetur.

c. Si testis ex prolato falso testimonio causa est, ob quam reus absolvatur et hac ratione fiscus mulcta pecuniaria privetur, non tenetur ad reparationem damni erga fiscum. Iudex enim non tenetur reparare damna, quae ex non imposita mulcta pecuniaria fisco obvenerunt, ergo neque testis[1]).

2. *A testimonio dicendo*, etsi iudex legitime et iuridice interroget, *excusantur:*

a. Confessarius, qui rem novit ex confessione sacramentali, idque in omni prorsus casu.

b. Qui rem solum novit sub secreto naturali vel commisso, exceptis illis casibus, in quibus etiam secretum naturale vel commissum obligare cessat.

c. Qui ex testimonio sibi vel suis rationabiliter timet grave damnum, nisi tamen damnum publicum vel privatum, quod ex negato testimonio sequitur, notabiliter praevaleat. Ideo *contra cognatos* ordinarie nemo tenetur testari, nisi agatur de praecavendo damno publico, quia praeceptum iudicis non obligat cum tanto incommodo.

d. Qui per iniuriam in cognitionem rei pervenit e. g. aperiendo literas alienas vel per vim aut fraudem alium inducendo ad revelationem.

e. Qui factum, de quo testari debet, non certo cognoscit, si e. g. illud accepit ab hominibus non satis fide dignis.

Si ergo iubetur dicere, quae *scit,* celare potest ea, quae ab aliis audivit; et si iubetur dicere, quae ab aliis *audivit,* celare potest ea, quae accepit ab hominibus non omnino fide dignis.

f. Qui scit reum in conscientia non peccasse, si e. g. is de furto accusatur, qui rem sumpsit ad occulte se com-

[1]) Cf. *Lessius,* De iustitia l. 2. c. 13. n. 70 ss.

pensandum: testis enim respondere potest ad mentem interrogantis; mens autem iudicis est inquirere in delicta. In causa tamen civili, in qua de sola culpa iuridica agitur, testari debet, etsi reus culpam theologicam non commiserit.

g. Qui solus delictum vel delicti auctorem cognoscit: nisi enim aliud testimonium vel saltem alia delicti indicia afferri possint, reus condemnari nequit.

Nota. In omnibus hisce casibus testis, qui iustam celandae veritatis causam habet, dicere potest *se nescire:* haec enim verba ex adiunctis intelligi possunt de scientia, de qua in praesenti interrogatur[1]).

742. De obligatione falsi testis. Qui falsum testimonium dixit, tenetur:

a. Ad *revocationem* testimonii; et quidem si materialiter seu ex errore illud dixit, tenetur, quando revocatio alteri utilis est, sibi vero grave damnum non affert; si autem formaliter seu scienter illud dixit, tenetur, quando alteri utilis est, sibi vero non maius damnum affert, quam alteri ex falso testimonio oriri potest; ergo etiam cum periculo vitae, si in idem periculum alterum coniecerit, quia in aequali damno potius ratio habenda est innocentis.

b. Ad *restitutionem* sub hac triplici condicione: α. si alteri suo falso testimonio vere damnum intulit (causa efficax); β. si sciens id fecit, i. e. si scivit se falsum testimonium dare et se de effectibus illius teneri (culpa theologica); γ. si bona fide quidem falsum testimonium dedit, sed postea illud non revocavit, etsi commode potuisset et revocatio alteri utilis fuisset, quia damnum non impedivit, quod ex sua actione materialiter iniusta alteri secuturum praevidit.

---

[1]) *Génicot* II. n. 17.

Quaestio sexta.

De medicis.

De obligatione habendi sufficientem *scientiam* et adhibendi *diligentiam* rei gravitati proportionatam constat ex iis, quae supra (n. 722) dicta sunt; de obligatione vero *succurrendi pauperibus* huc transferenda sunt, quae supra (n. 738) de advocatis dicuntur.

743. De cura infirmi suscipienda. 1. Medicus, qui stipendio conductus non est, infirmos iuvare solum *ex caritate* tenetur.

Hinc grave peccatum committit, si gravi morbo laborantem iuvare renuit, ubi alius medicus non adsit neque ipse propter grave incommodum excusetur.

2. Medicus, qui infirmi curam suscepit, ex contractu cum hoc tacite inito *ex iustitia* tenetur: *a.* meliore et certiore modo, quo moraliter potest, infirmum iuvare; *b.* eum non deserere, etsi morbus evadat contagiosus, nisi alius inveniatur, qui eius curam agat.

3. Medicus, qui stipendio conductus est, *ex iustitia* tenetur: *a.* quavis hora etiam noctis et cum gravi suo incommodo accurrere, nisi certo sciat ex dilatione nullum damnum infirmo secuturum esse; *b.* etiam tempore *morbi contagiosi* infirmos iuvare.

744. De remediis adhibendis. 1. Tenetur medicus adhibere *remedium,* quod existimat *tutius;* si ergo habet *certum,* illud adhibere debet omisso dubio; si non habet nisi dubia, adhibere debet *probabilius,* quia aegro meliore, quo potest, modo consulere debet.

a. Si desperata est salus infirmi nec adest nisi remedium *dubium,* quod scilicet prodesse et nullo modo nocere potest, illud adhibere *potest et debet,* quia hac ratione succurrit infirmo meliore, quo potest, modo.

b. Si desperata est salus infirmi nec adest nisi remedium *dubium,* quod scilicet sanitatem afferre sed etiam mortem acce-

lerare potest, illud adhibere licet, modo aliquam vel levem rationem habeat putandi illud esse profuturum, quia haec ratio efficit, ut nocumentum ex remedio evadat minus, et spes emolumenti maior[1]).

c. Si aegroti salus desperata non est, non licet adhibere remedium *dubium,* quod scilicet prodesse et nocere potest, quia fieri potest, ut mors dubia reddatur certa. In hoc casu naturae committendum est, ut ipsa se sublevet, praesertim si aegrotus esset *invitus;* si ergo inscio aegroto adhibetur remedium hoc sensu dubium, saltem de interpretativo eius consensu constare debet.

2. Cum vitam alienam periculo exponere sit *in se malum,* nunquam licet *explorare remedium* cum periculo sanitatis aut vitae, ne cum consensu quidem infirmi, quippe qui vitae suae non sit dominus. Nec valet ratio, quod remedium, semel cognita eius virtute, aliis futurum sit salutare, quia non licet facere malum, ut aliis eveniant bona. Liceret tamen remedium explorare cum consensu infirmi, si ageretur de damno levi, quod facile reparari potest.

3. Omnino abstinere debet ab adhibendis *remediis et operationibus illicitis*, cuiusmodi sunt: α. procuratio abortus; β. remedia sterilitatis; γ. craniotomia; δ. mesmerismus; ε. usus morphii, opii, cocaini etc. eo modo et gradu, quo haec menti et corpori nocent, et eiusmodi[2]). Num liceat adhibere hypnotismum, inferius dicetur.

Illicitae enim et iniustae dicendae sunt tum operationes, quibus infirmus sine suo consensu exponitur periculo vitae, tum illae, quibus infirmus illicite consentiens vitae periculo se exponit. Iam vero gravi periculo vitae solum ad auferendum notabile vel periculosum incommodum se exponere licet. In tanta proclivitate, quae nunc exsistit, temere peragendi quascunque operationes chirurgicas adhibendique remedia nociva vel dubia, praesertim in nosocomiis pauperum atque infantium, medici facile contra iustitiam delinquunt, ut etiam ad reparanda damna teneantur.

4. Graviter *contra castitatem* peccat medicus, qui sine vera necessitate vel manifesta utilitate inspicit vel tangit organa genitalia mulierum; et gravius ille, qui consilia dat infirmis, quae legi castitatis directe adversantur.

---

[1]) Cf. *Burghaber,* Centuriae casuum I. n. 12.

[2]) Cf. *Capellmann,* Medicina pastor. p. 32 ss.

745. Obligatio quoad infirmum. 1. *Iure naturali* medici tenentur infirmum, qui in proximo mortis periculo versatur, *vel per se vel per alium monere de gravi periculo,* ut sacramenta suscipiat et res suas temporales componat, si monitio ad gravia damna evitanda necessaria est: ex caritate enim tenentur grave malum a proximo removere, si absque gravi incommodo possunt.

a. Si alii infirmum monere aut non vellent aut non possent, item si infirmus aliis de periculo monentibus non crederet, ipse medicus eum monere tenetur. In duplici tamen casu ab hac monitione facienda accedente incommodo excusatur: α. si morali certitudine sciret aegrotum esse in statu gratiae resque temporales iam composuisse; β. si eadem certitudine sciret eum adeo in sua impietate obfirmatum esse, ut etiam monitus sacramenta respueret.

b. Concilium lateranense IV. sub *Innocentio III* (1215) decreverat, ne medicus infirmi (periculose decumbentis) curam susciperet, nisi confessus fuerit[1]). *S. Pius V.* constit. *Supra gregem* (8. mart. 1566) hoc decretum confirmavit et simul praecepit, ut medici, antequam ad doctoratum promoverentur, iuramento promitterent se infirmum gravi morbo laborantem, antequam eius curam susciperent, de confessione facienda monituros et eum, qui intra tres dies confessus non fuerit, non amplius invisuros esse. Attamen leges istae in plerisque regionibus nunquam sunt receptae, ubi vero receptae erant, in desuetudinem abierunt.

2. Tenentur servare secretum (officii-commissum), si opus fuerit, de iis, quae solum ex cura infirmi perceperunt.

Quoad obligationem *ferendi testimonium* in iudicio de iis, quae medicus sub secreto commisso novit, diversi codices diversa statuunt, item quoad ius et obligationem *revelandi secretum* ad damnum a proximo propulsandum e. g. revelandi sponsi occultum morbum, ne matrimonium contrahatur cum periculo inficiendi futuram uxorem.

746. Obligatio quoad expensas. 1. Tenentur ex iustitia cavere *inutiles expensas.*

Ideo peccant, si sine necessitate alios medicos advocant; si lucri causa visitationes sine utilitate multiplicant; si pro visitationibus nimium stipendium exigunt; si curationem diutius protrahunt; si remedia inutilia vel superflua praescribunt.

2. Iniuste agunt, si pretium ordinario maius exigant: qui enim medici operam in communi infirmitate petit,

[1]) C. Quum infirmitas 13. *De poenit. et remiss.* (V. 38).

implicite cum eo de ordinario pretio convenire censetur. Pretium ordinarium usu determinatum et pro diversa hominum condicione diversum est.

Si servitia extraordinaria a medico petuntur e. g. difficilis operatio chirurgica, quae singularem peritiam supponit, et pactum de pretio solvendo non praecessit, non licet ei quodvis pretium pro lubitu exigere, sed illud, in quod infirmus tacite consentire censetur; tacite autem consentit in pretium, quod ratione habita laboris, difficultatis etc. proportionem habet cum stipendio, quod iidem peritissimi pro ordinariis servitiis a personis eiusdem condicionis exigere solent[1]).

Num liceat infirmo, cuius desperata est salus, praebere remedia innoxia quidem, sed etiam inutilia. — Licet cum consensu praesumpto infirmi et monitis eiusdem cognatis, modo expensae non sint magnae. Si enim infirmus hinc quidem turbatur, eo quod nihil ei praescribitur, inde vero solatio afficitur, eo quod aliquid ei praebetur, remedia non sunt dicenda prorsus inutilia, adeo ut consensus infirmi in hoc casu facile praesumi possit.

De hypnotismo[2]).

747. Eius natura. 1. *Hypnotismus active* significat artem producendi in alio somnum artificialem et peculiaria phaenomena cum hoc somno connexa; *passive* significat complexum phaenomenorum, quae durante somno hypnotico producuntur.

Nomen hypnotismi recenter inventum est (a *Iac. Braid* † 1860). Res hoc nomine significata iam pridem cognita erat, praesertim vero a magnetismo animali seu mesmerismo, qui initio solum ad morbos curandos inserviebat, hypnotismus quoad rem vix differt, nisi in modo inducendi statum somni.

2. *Hypnosis* est status somni plus minusve profundi, a quo totus complexus phaenomenorum nomen hypnotismi accepit. De natura hypnoseos auctores diversa quidem

---

[1]) *Génicot* II. n. 21.

[2]) *Finlay,* Der Hypnotismus (Aachen. Barth. 1892). *Schütz,* Der Hypnotismus (Fulda. Aktiendruckerei 1907). *Haan,* Über Hypnotismus (Stimmen aus M. Laach. Freiburg. Herder. 1890). *W. Wundt,* Hypnotismus u. Suggestion (Leipzig. 1892). *Rissart,* Der Hypnotismus (Paderborn. Iunfermann. 1902).

opinantur, illis tamen assentiendum videtur, qui censent hypnosim cum somno naturali essentialiter quidem convenire, eo vero potissimum differre, quod hypnotizatus sit „suggestibilis“ i. e. ab hypnotizante dependeat eiusque influxui pateat, deliberata vero intellectus et voluntatis activitas cesset.

3. Hypnotismi *phaenomena* haec duo potissimum distinguuntur:

a. Hypnosis seu status somni. Ex hoc somno, in quem ab hypnotizante variis modis coniicitur, hypnotizatus ordinarie a solo hypnotizante revocatur; quodsi non revocetur, post aliquod tempus sponte ad se redit. Durante hoc somno cum hypnotizante conversari potest, ac si esset in statu vigiliae, expergefactus autem vix ullam eorum memoriam tenet, quae tempore hypnosis acciderant.

b. Suggestio, quae est influxus, quem hypnotizans in personam hypnotizatam exercet, ita ut persona hypnotizata in omnibus subiiciatur voluntati et imperio hypnotizantis, et non solum tempore somni, sed etiam postea accurate exsequatur, quae sibi iniuncta sunt. Sensibus nihil aliud percipit, videt tamen et audit hypnotizantem; intellectus praesertim vero voluntas ab hypnotizante dependet, ita ut eius nutui fere in omnibus caece obtemperet; aliam autem activitatem deliberatam hae potentiae non exercent. Attamen si somnus non est profundus, persona hypnotizata non recipit suggestiones, quae sunt contrariae eius conscientiae, sed servat suam voluntatem.

4. *Finis,* propter quem hypnotismus exercetur, multiplex est: *a.* a *medicis* adhibetur ad varios morbos praesertim nervorum curandos et ad sensus ante operationem chirurgicam sopiendos; *b.* ab *artificibus* (e. g. a pictoribus) ad comparandum sibi exemplar (Modell), quod diu eundem situm retineat et eundem affectum internum compositione oris exprimat; *c.* a *iudicibus* in causis criminalibus, ut a reis vel testibus confessiones sibi utiles expiscari possint; *d.* a *parentibus* et magistris ad iuvandam educationem: quae enim tempore hypnosis hypnotizato suggeruntur, ea ipse postea in statu vigiliae vi cuiusdam propensionis ex hypnosi retentae saltem per aliquod tempus sedulo exsequitur. *e.* Tandem hypnotismus *publice* coram multis recreationis causa ad pascendam curiositatem exercetur.

748. Eius phaenomena naturalia esse videntur. 1. Non desunt, qui opinentur hypnotismi phaenomena viribus naturalibus produci non posse, sed praeternaturalibus effici; et cum nefas sit influxum divinum in hac re praesumere, totum hypnotismum daemoni tribuunt.

Nomine hypnotismi quandoque etiam phaenomena spiritistica comprehenduntur: cum enim a phaenomenis hypnoticis pronus sit transitus ad spiritistica, haec reipsa cum illis non raro connectuntur, praesertim cum daemon eiusmodi rebus facile se immisceat et homines a naturalibus ad superstitiosa propellat. Auctores, qui hypnotismum superstitiosum ac diabolicum dicunt, etiam phaenomena spiritistica nomine hypnotismi significare videntur.

2. Etsi ecclesia quaestionem de origine horum phaenomenorum nondum solvit, constat tamen ecclesiae iudicio haec non esse certo superstitiosa.

Ex responsione enim *s. Officii* 26. iul. 1899 patet s. sedem quaestionem de liceitate hypnotismi et suggestionis hypnoticae solvere noluisse; ideo solum condiciones determinat, sub quibus eiusmodi experimenta fieri possunt, praemissa scilicet protestatione, quod agentes in factis praeternaturalibus nullam partem habere volunt.

3. Tum ipsa phaenomena in se considerata tum media, quibus producuntur, vires naturae transcendere non videntur.

a. Ipsa enim phaenomena vel prorsus eadem vel eis saltem apprime similia sunt, quae etiam extra hypnosim in infirmis, dormientibus, somnambulis, hallucinantibus vel delirantibus deprehenduntur; haec vero, etsi magnam partem extraordinaria, certo tamen naturalia sunt.

b. Media, quae adhibentur ad producendam sive hypnosim sive phaenomena hypnotica, sunt naturalia eorumque mediorum vires ad hos effectos producendos sufficiunt: horum enim effectuum potissimus est *suggestio,* quae in influxu hypnotizantis in phantasiam personae hypnotizatae potissimum consistit. Imaginationes phantasiae naturali necessitate consequuntur inclinationes appetitus sensitivi aliarumque potentiarum atque activitates externae, quae illis consentaneae sunt. Iam vero in statu vigiliae omnes istae activitates reguntur intellectu et voluntate, in hypnotizato autem, in quo potentiae superiores deliberatam operationem non exercent, sequuntur spontaneos impulsus atque influxum hypnotizantis, prout similia etiam in somnambulis deprehendimus.

749. De eius liceitate. 1. Hypnotismus *per se illicitus est. a. Nocet sanitati:* ex testimonio enim medicorum quovis exercitio hypnotismi periculum sanitatis inducitur; frequenter autem sanitas sive mentis sive corporis reipsa

detrimentum patitur, cum totum systema nervorum hypnosi plus minusve afficiatur[1]).

b. Adversatur per se naturali honestati idque multipliciter: α. non licet sine iusta causa modo violento se privare usu rationis; β. non licet voluntatem suam alieno arbitrio plane subiicere, adeo ut quis alterius voluntate uti atque abuti pro lubitu possit; γ. non licet alteri praebere occasionem peccandi; hypnotizans autem potest abuti persona hypnotizata ad peccandum, potest secreta cordis eius indagare, persuasionem criminis ei suggerere etc.; δ. hypnotizans potest crimen postea committendum hypnotizato suggerere, quod ipse deinde in statu vigiliae, vix servata libertate, committet.

2. Ad morbos tamen curandos (et ad scientiam promovendam) sub certis condicionibus *licite adhiberi posse videtur.*

a. Condiciones autem sunt sequentes: α. Ut detrimentum sanitatis, quantum fieri potest, praecaveatur, ideoque hypnotismus solum a medico in hac arte perito exerceatur.

β. Ut aliud medium aptius recuperandae sanitatis non supersit: cum enim hypnotismus ex se periculosus sit, licite adhiberi non potest, nisi ad excludendum maius malum, quam illud est, quod hypnotismus iuducere potest.

γ. Ut certo constet hypnotizantem non esse abusurum sua potestate, quam in voluntatem hypnotizati exercere potest: neque enim ad breve tempus licitum est voluntatem suam alieno arbitrio submittere, nisi constet exclusum esse periculum cuiusvis abusus.

δ. Ut adsit consensus infirmi, qui sine consensu citra iniuriam nec usu rationis et liberi arbitrii privari nec periculo valetudinis exponi potest.

b. Ad morbos curandos. Sine iniusta causa non licet nec se nec alios periculo damni corporis vel animae exponere; sed praeter sanitatem (et scientiam) nullus alius finis continet causam sufficientem, propter quam periculum damni spiritualis vel corporalis induci possit.

Nota. Salutares effectus per hypnosim producti a recentioribus medicis in dies magis in dubium vocantur. Quod hocce remedio non

[1]) Cf. *Finlay,* p. 52 ss. Ideo factum est, ut hypnotismus publicus a plerisque guberniis penitus interdiceretur, usus hypnotismi privati restringeretur.

morbi organici, sed solum affectae atque impeditae functiones nervorum sanari possint, medici iam diu affirmarunt; nunc vero experientia edocti concedunt etiam nervorum malae affectiones solum ex parte atque ad tempus aliquatenus leniri, morbum vero ipsum fere semper iterum redire.

c. Plerique auctores usum hypnotismi absolute interdicunt ut *Ballerini-Palmieri, Villada, Franco, Bucceroni, Aertnys, Marc, Capellmann* etc. *Berardi* tamen et *Génicot* non solum ut *Lehmkuhl* et *D' Annibale* ad morbos sanandos, sed etiam „ad explorandas vires naturae", ergo ad fines scientificos illum permittunt. Quod concedendum est supposito consensu personae hypnotizandae, si moraliter certo ex hypnosi non imminet nisi periculum damni, quod facile reparari potest.

Nota. Haec omnia dicta sint de suggestione, quae in statu hypnosis seu somni artificialis fiat: suggestio enim, quae vel *in statu vigiliae* vel tempore *somni naturalis* fit, a damnis, de quibus supra sermo erat, immunis est, proindeque licite adhiberi potest, dummodo ea, quae suggeruntur, honesta atque utilia sint.

Liber secundus.

De praeceptis clericorum.

750. *Clericus* (κλῆρος — sors), in sortem seu partem Domini electus, est homo christianus, qui servitio et cultui divino specialiter deputatus est. Nomen clerici latius et strictius accipitur. Latius significat quemvis hominem christianum, qui cultui et servitio divino specialiter deputatus est, sive haec deputatio fit per susceptionem ordinum sive per professionem religiosam. Hoc igitur sensu nomine clerici comprehenduntur etiam omnes religiosi, fratribus laicis et monialibus non exceptis. Strictius significat illos tantum, qui aliquo ordine ecclesiastico vel saltem prima tonsura divinis ministeriis deputati sunt.

In favorabilibus nomen clerici primo, in odiosis autem altero sensu accipitur, quo eodem strictiore sensu etiam hic de praeceptis seu de obligationibus clericorum sermo est.

Nota. Quum de obligationibus clericorum ex instituto agant canonistae, sufficiat hoc loco dicere: *a.* de vocatione ad statum clericalem; *b.* de officio divino; *c.* de obligatione erogandi bona superflua pauperibus.

Quaestio prima.

De vocatione ad statum clericalem[1]).

751. De ipsa vocatione eiusque necessitate. 1. Nomine *status clericalis* hic intelligitur condicio eorum, qui ordinem sacrum susceperunt: cum enim condicio eorum, qui solum ordinibus minoribus initiati sunt, nondum sit ex obligatione constans atque immobilis, clerici ordinum minorum nondum habent statum proprie dictum.

2. Duplex distinguitur *vocatio: externa,* quae in eo consistit, quod ordinandus probatus et electus ab episcopo ad statum clericalem admittatur; *interna,* quae consistit in decreto divinae providentiae, quo ex communi laicorum statu nonnulli eliguntur ad statum clericalem eisque congrua auxilia praeparantur ad speciales huius status obligationes implendas.

3. Requiri *vocationem externam* ex eo patet, quod episcopus probare debeat, quos ad statum ecclesiasticum admittat, antequam eis ordines conferat.

Hoc sensu intelligenda sunt verba: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*[2]*):* et alibi ait apostolus: *Manus cito nemini imposueris*[3]). *Hi autem* (diaconi) *probentur primum et sic ministrent nullum crimen habentes*[4]).

4. Requiri *vocationem internam* ad statum clericalem tum ex natura divinae providentiae atque ex singulari praestantia ipsius status tum ex condicione ecclesiae christianae colligitur.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* IV. n. 224 ss. *Génicot* II. n. 24 ss. *Aem. Berardi,* De clerico ad ordines sacros initiando (Faventiae. Novelli. 1888). *Vermeersch,* De vocatione religiosa et sacerdotali (Brugis. Beyaert. 1903).

[2]) Hebr. 5, 4. De vocatione externa hoc loco sermo est. Ideo *Catechismus romanus* (pr. 2. c. 7. q. 3): „Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis ecclesiae ministris vocentur."

[3]) 1. Tim. 5, 22.

[4]) Ibid. 3, 10. Cf. *Concilium trid.* sess. 23. c. 5. De reform.

a. Cum providentia divina cuncta ad suos fines dirigat, finis specialis postulat speciale decretum, quod destinat ad finem et destinatis praeparat media fini consentanea; sed status clericalis constituit finem specialem a communi aliorum hominum fine distinctum et praestantiorem, qui propter suam praestantiam exigit gratiae auxilia uberiora et perfectiora.

b. Cum ecclesia Christi hinc quidem perennis sit, inde vero sine ministris perdurare non possit, providentia divina ecclesiae nullo non tempore vocatione ad statum clericalem aptos ministros praeparare debet.

5. Qui vocationem divinam ad statum clericalem certo cognitam *non sequitur*, graviter peccare non videtur, leviter autem certo peccat.

a. Cum haec vocatio solum sit invitatio ad altiorem statum, quae strictum praeceptum non involvat, is, qui eam non sequitur, propter hoc peccatum proprie dictum non committit. Insuper eatenus hoc esset peccatum, quatenus is, qui Deum vocantem non sequitur, se privat gratiis ad salutem obtinendam necessariis; Deus autem nemini negat gratias ad salutem sufficientes, immo ope orationis obtineri possunt etiam gratiae efficaces.

b. Leviter autem peccat, quia, supposita vocatione divina certo cognita, ad declinandam Dei voluntatem vocatus ferri nequit nisi motivis rationi non consentaneis ut taedio laboris, sensualitate, cupidine libertatis mundanae etc.

6. Qui *absque vocatione* certo cognita statum clericalem ingreditur, graviter peccare non videtur, modo bonam voluntatem habeat implendi omnes obligationes status clericalis et a superioribus rite ad suscipiendos ordines admittatur.

Qui vocatione caret, ab ordinibus arcendus est, etsi bonis moribus imbutus sit. Quodsi is, qui vocatione se destitutum sentiat, nihilominus statum clericalem ingrediatur, temere agit, at graviter peccare non videtur. Eatenus enim peccaret, quatenus officia status implere aut nollet, aut non posset; sed cum bona voluntas in eo supponatur, gratiis necessariis ideo tantum a Deo non privabitur, quia vocatione caret. Illud tamen certum est sacerdotem vocatione destitutum in officiis suis implendis maiores difficultates experiri et propterea in maiore periculo esse amittendi aeternam salutem.

752. De probandis clericis ad sacros ordines promovendis. 1. Ex multis ecclesiae legibus episcopo gravis obligatio incumbit sedulo probandi clericos sacris ordinibus initiandos atque arcendi indignos, qui pravis moribus im-

buti sunt. Quamvis habitus cuiusvis peccati gravis ordinandum reddat indignum, id tamen maxime valet de vitio luxuriae, quocirca leges ecclesiae explicite exigunt, ut ordinandi sint *probatae castitatis.*

a. Et hi autem (diaconi) probentur primum et sic ministrent[1]).

b. Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatae castitatis exsistat[2]).

c. Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus probati . . . qui sperent Deo auctore se continere posse.[3]).

2. Quod harum legum vim attinet, alii affirmant eas obligare solum episcopum, ut a sacris ordinibus eos arceat, qui a peccatis *externis* (de quibus scilicet in foro externo ecclesiae constare potest) non sint immunes[4]); alii vero contendunt eas non solum episcopum, sed etiam ordinandum eiusque confessarium afficere, adeo ut ordinandus vi harum legum sub gravi prohibeatur ad ordines accedere, nisi ab habitu peccandi praesertim contra castitatem iam se emendaverit, confessarius vero sub gravi teneatur absolutionem negare clerico cum pravo habitu ad sacros ordines accedere volenti, etsi alias dispositus sit, quia ipsa haec voluntas graviter peccaminosa sit, nisi a Deo tanta compunctione donetur, quae de vitae mutatione securitatem praebeat[5]).

3. *De clerico habituato.* A gravi peccato non est immunis, qui pravo habitu peccandi laborans sacrum ordinem suscipit, nisi fundatam spem habeat fore, ut ordinatus castitatem sit servaturus.

a. Demonstratu difficile est praedictas leges ecclesiae directe et immediate non ad solum episcopum atque ad probationem externam referri, sed etiam ad ordinandum

---

[1]) 1. Tim. 3, 10.

[2]) C. *Nemo* 12. d. 32.

[3]) *Concilium trid.* sess. 23. c. 13. De reform.

[4]) *Ballerini-Palmieri, Berardi.*

[5]) Hanc sententiam propugnat *S. Alphonsus* in dissertatione: *De clerico habituato in vitio turpi cupienti statim initiari in sacris* l. 6. n. 63—77.

eiusque statum internum[1]); attamen ex illis elucet mens atque intentio ecclesiae, quae in promovendis ad sacros ordines immunitatem a pravo habitu etiam *interno* desiderat et exigit.

b. Ex rei natura clericus ad sacros ordines tuta conscientia accedere nequit, nisi fundatam spem teneat se habitualiter saltem caste victurum esse prout in ordinatione Deo promissurus est; sed qui pravo habitu irretitus est, hanc spem (excepto casu extraordinarii auxilii) habere nequit. Potest quidem cum gratiae auxilio quaslibet tentationes superare, at considerata indole cordis humani et ordinaria operatione gratiae divinae eas non superabit, sed manifesto periculo se exponit contra votum peccandi et quam plurima sacrilegia cumulandi.

Quamdiu a pravo habitu liber esse debeat clericus, ut tuto i. e. cum spe fundata servandi in posterum castitatem ad sacrum ordinem accedere possit, generali regula determinari nequit, cum a diversis adiunctis dependeat, scilicet ab intensitate pravi habitus, a maiore minoreve diligentia adhibendi media emendationis, a periculo per peccata externa praebendi scandalum fidelibus etc. Consilium autem hoc omnino dari debet, ut saltem a compluribus (sex) mensibus consuetudinem peccandi emendaverit, antequam ad sacrum ordinem accedat.

Quaestio secunda.

De obligatione recitandi officium divinum.

Articulus primus.

De officio divino.

753. Eius ratio. Officium divinum est *oratio publica* ecclesiae. Oratio publica ecclesiae duplici modo fieri potest, aut eo quod ecclesia per se ipsa orat, aut eo quod

[1]) Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 11. c. 2. n. 18.

orat per determinatas personas. *Per se ipsa* orat, quando membra ecclesiae in tali numero et condicione convenientes, ut ecclesiam repraesentent, orant; *per determinatas personas* orat, quando ministri ab ecclesia ad hoc deputati eius nomine orant. In hoc casu orationis formula ab ipsa ecclesia praescribitur.

Primis temporibus ecclesia publicam orationem per se ipsa fundebat: fideles enim ad orationem in communi peragendam (ad psalmos et hymnos cantandos et sacras scripturas legendas) convenire solebant; postea vero, cum aucto fidelium numero id impossibile esset, ministros suos, personas nempe ecclesiasticas, deputavit, quae nomine totius corporis ecclesiae preces funderent; officium autem divinum est formula precandi ab ecclesia ad hunc finem praescripta[1]).

754. Eius fructus. 1. Ex recitatione officii divini duplex provenit fructus, alter *ex opere operantis ministri* seu personae recitantis, alter *ex opere operantis ecclesiae,* pro qua minister legatione apud Deum fungitur et cuius nomine orat.

2. Fructus iste impetratorius, propitiatorius et satisfactorius est et quoad substantiam idem est, sive officium recitatur a ministro sancto sive improbo: malitia enim ministri non obest efficaciae orationis ipsius ecclesiae.

3. Quatuor genera personarum fructum ex opere operantis ecclesiae provenientem percipiunt: *a.* ipse recitans; *b.* illi, pro quibus recitans specialiter orare intendit; *c.* fideles, qui beneficia, cum onere recitandi officii fundarunt; *d.* omnes fideles, pro quibus ecclesia orare intendit[2]).

755. Eius partes. *Officium divinum* hoc nomine vocatur, quia ad laudandum Deum ab ecclesia institutum est. Vocatur etiam *horae canonicae,* quia per sacros ca-

[1]) Cf. *Bouquillon,* Institutiones theologiae moralis specialis (Brugis. Beyaert. 1880) I. n. 226 ss. *Suarez,* De virtute religionis tract. 4. l. 4. c. 1. n. 11. *S. Baeumer,* Geschichte des Breviers (Freiburg. Herder. 1895).

[2]) Cf. *Bonacina,* Operum tom. 1. tract. De horis canonicis disp. 1. q. 4. punct. 2. n. 1 ss.

nones pro certis diei horis praescriptum est. Horae canonicae numerantur septem: *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium;* quarum quidem matutinum cum laudibus et vesperae dicuntur horae *maiores,* ceterae autem horae *parvae.* Insuper distinguitur officium *nocturnum,* quod constat ex matutino cum laudibus, et officium *diurnum,* quod constat ex parvis horis, vesperis et completorio.

Articulus secundus.

De obligatione recitandi officium divinum.

Obligatio recitandi officium divinum ex triplici titulo oritur: *a.* ex ordine sacro; *b.* ex professione religiosa in ordine ad chorum adstricto; *c.* ex beneficio ecclesiastico. De primo tantum hoc loco dicendum est.

756. De ipsa obligatione. Omnes clerici in maioribus constituti ex praecepto ecclesiae tenentur quotidie aut publice aut privatim officium divinum recitare.

1. Clerici in sacris constituti *omnes* tenentur, etiam suspensi, excommunicati, interdicti etc.: ratio enim obligationis, scilicet ordo sacer, semper in eis manet. In minoribus autem constituti non tenentur ad officium divinum, nisi beneficium ecclesiasticum obtinuerint, quia nulla lege aut consuetudine ad id obligantur.

Clerici in maioribus constituti, qui per dispensationem summi pontificis *ad statum laicalem redeunt,* ab obligatione recitandi officium eximuntur. — Quamvis *excommunicati* etc. non possint nomine ecclesiae orare, tamen ad recitationem officii tenentur, ne commodum referant ex sua malitia et quia statum clericalem non amittunt[1]).

2. Exsistit quidem lex scripta, quae sacerdotes (saltem si sint parochi) ad officium divinum recitandum adstringat[2]), obligatio vero, quae ad omnes clericos in sacris

[1]) *Tamburini,* Explicatio decalogi l. 2. c. 5. § 1. n. 4. *D' Annibale,* Summula th. mor.[5] III. n. 153.

[2]) C. Presbyter 1. et C. Dolentes 9. *De celebr. miss.* (III. 41). Cf. can. Presbyter 2. dist. 91.

constitutos se extendat, desumitur *ex consuetudine* antiqua et universali, quae vim legis obtinuit[1]).

3. Obligatio incipit eo die, quo suscipitur subdiaconatus, et quidem ab illa parte officii, quae (moraliter) respondet tempori, quo ordo suscipitur: etenim cumprimum sacer ordo suscipitur, adest ratio obligationis ideoque ipsa obligatio.

a. Qui ergo ordinatur mane ante horam nonam matutinam, incipere debet a *Prima;* qui ordinatur post horam nonam vel circa meridiem, tenetur officium illius diei recitare inde a *Sexta.*

b. Qui horas ante ordinationem recitat, ad quas recitandas post ordinationem demum tenetur, obligationi suae satisfacit nec tenetur eas iterum recitare. Etsi enim in genere verum sit principium: non potest satisfieri praecepto eo tempore, quo nondum urget, sunt tamen nonnulla praecepta, quae impleri possunt paulo antequam urgent, illa nimirum, quae eiusmodi sunt, ut opus praeceptum poni possit, antequam urget praeceptum[2]).

757. Quanta et qualis sit. 1. Obligatio recitandi officium divinum ex genere suo *gravis* est, quia eius finis, cultus nempe divinus, gravis est et res praecepta ad finem intentum magnopere conducit. Qui ergo integrum officium unius diei vel notabilem eius partem sine causa excusante omittit, graviter peccat.

2. Pars *notabilis* censetur integra hora parva aut quantitas officii ei aequivalens; pars levis censetur, quae parva hora minor est. Nam recitatio integrae horae ex prudentum iudicio ad finem ab ecclesia intentum notabiliter conducere censetur. Insuper intendit ecclesia, ut integrum tempus diei eo sit divinae maiestati dicatum, quod determinatis diei horis peculiaris cultus Deo exhibeatur; sed integrae horae omissione finis iste ab ecclesia pie intentus graviter laeditur.

a. Integra, id quod stricte accipiendum est, ut ideo non peccet graviter, qui horam omnino integre non omittat. Qui tamen valde

---

[1]) Const. *Quod a nobis* Pii V. (9. iul. 1568). *Lessius,* De iust. et iure l. 2. c. 37. n. 45.

[2]) Cf. *Lugo,* De eucharistia disp. 16. sect. 2. n. 39 s. *Tamburini* Explicatio decal. l. 2. c. 5. § 5. n. 9.

modicam horae partem tantum recitat, e. g. solum *Deus in adiutorium* etc. vel solam orationem vel solum hymnum, intregram omisisse censetur: parum enim pro nihilo reputatur.

b. Ergo grave est: α. integrum nocturnum cum suis lectionibus omittere; β. unius parvae horae ceteris omissis valde modicam partem tantum recitare; γ. novem lectiones cum suis responsoriis omittere; non autem, ut videtur, tres lectiones cum suis responsoriis omittere; δ. ex pluribus horis tantum omittere, ut partes omissae adaequent parvam horam, modo partes omissae sint ex principalibus officii, quia partes omissae unius officii diurni in unum coalescunt. Hinc Pater, Ave et Credo per decursum officii omittere, quoties ea recitanda essent, non videtur esse grave; at in quavis hora tertiam partem psalmi omittere grave est.

c. Vesperas sabbati sancti omittere mortale non est, quia haec materia levis est tum in se tum respectu totius officii.

3. Integrum officium unius diei *uno praecepto* ab ecclesia iniungitur; qui ergo integrum officium omittere decernit, hoc actu voluntatis et subsequente omissione *unum peccatum* committit.

4. Obligatio recitandi officium est *affixa diei* et cum die exspirat, ita ut postea suppleri nec debeat nec possit.

758. Obligatio restituendi fructus ob neglectam recitationem. Quodsi beneficiati elapsis sex mensibus post obtentum beneficium officium divinum recitare culpabiliter omiserint, *fructus beneficii* pro rata partis omissae *restituere debent.*

a. Obligatio restituendi non oritur ex iustitia, sed ex praecepto ecclesiae poenam pro neglecta recitatione imponente. Lex hanc poenam statuens a concilio lateranensi V. sub *Leone X.* lata[1]) accuratius declaratur a Pio V., magno officii divini reformatore[2]).

b. Obligat beneficiatos *post sex menses* ab obtento beneficio; qui ergo primis sex mensibus recitationem officii omittit, peccat quidem contra legem ecclesiae, ad restituendos fructus autem non tenetur.

c. Obligat *ante sententiam iudicis:* sine recitatione enim „non facit fructus suos". Neque ideo iure naturae, sed solum iure positivo restituere tenetur, quod his verbis impedit, quominus

---

[1]) Constitutio *Supernae* 5. maii. 1514.

[2]) Constitutio *Ex proximo* 20. sept. 1571.

beneficiatus fructus faciat suos; hoc ergo tamquam rem alienam iure naturae restituere debet[1]).

d. Restitutio fieri debet *ad causas pias;* quodsi ipse beneficiatus vere pauper sit, fructus restituendos sibi applicare potest.

Num restitutio suppleri possit per eleemosynas, quas beneficiatus de fructibus beneficii facit. — Suppleri non potest per eleemosynas, quas antea fecerat, suppleri autem potest per eleemosynas, quas post omissionem fecit, etsi obligationis immemor vel inscius fuerit.

e. Si pars omissa non attingit *gravem materiam,* non est obligatio restituendi nisi sub levi, etsi fructus parti omissae respondentes materiam gravem constituant: cum enim obligatio restituendi rationem poenae habeat, gravis non contrahitur nisi ob culpam theologicam eamque gravem (n. 434).

f. Beneficiatus simplex, qui aliam obligationem praeter recitationem officii non habet, restituere debet omnes fructus; beneficiatus autem *curatus,* vel qui aliam insuper obligationem habet et implet e. g. celebrationem missae aut servitium ecclesiae, restituere debet partem, quae respondet obligationi officii divini.

Quia in beneficiis curatis maior pars redituum percipitur in compensationem aliorum officiorum, non pro recitatione breviarii, episcopus vel parochus, qui officia sua pastoralia adimplet, vix decimam partem redituum ob neglectam recitationem breviarii restituere debebit.

g. Obligatio restituendi urget pro singulis diebus, immo pro singulis horis omissis. Qui ergo uno die totum officium omittit, tenetur restituere fructus illi diei respondentes, qui omittit matutinum et laudes tantum, mediam partem fructuum unius diei, qui reliquas horas omittit, aliam mediam partem, qui vero harum horarum unam omittit, huius mediae partis sextam seu fructuum unius diei duodecimam partem restituere debet[2]).

Ergo admitti nequit quorundam doctorum sententia, quae statuit eum, qui intra annum per octo aut decem dies officium omittat, non teneri ad restitutionem, quia haec levia sint, quae Deus, quippe dominus liberalissimus, non attendat.

---

[1]) Propositio 20. ab *Alexandro VII.* damnata; *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.* Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 344.

[2]) Cf. constitutio *Ex proximo* Pii V. 20. sept. 1571. *Mazzotta* I. tr. 2. disp. 1. q. 2. c. 1.

Articulus tertius.

De forma officii divini.

759. Forma officii. Officium divinum recitari debet iuxta formam ab ecclesia praescriptam (n. 753).

Forma recitandi officium divinum vel est substantialis vel accidentalis. Forma substantialis vel refertur ad ipsam rei substantiam vel ad qualitatem substantialem. Laesa forma substantiali committitur peccatum grave, laesa forma accidentali peccatum leve, quia in hoc secundo casu praeceptum ecclesiae quoad substantiam observatur, in primo vero praeceptum ne quoad substantiam quidem observatur. Forma substantialis laeditur: *a.* si officium recitatur iuxta aliud breviarium quam romanum: *b.* si recitatur lingua vernacula[1]); *c.* si officium recitatur sive quoad qualitatem sive quoad quantitatem notabiliter diversum.

760. De breviario adhibendo. Officium divinum recitari debet iuxta *breviarium romanum,* adeo ut non satisfaciat obligationi suae, qui alio utatur breviario.

a. Per constitutionem Pii V. *Quoad a nobis* (9. iul. 1568) praescribitur pro tota ecclesia latina, omnibus aliis abolitis, breviarium romanum, iis tantum breviariis exceptis, quae vel a prima institutione ab ecclesia approbata vel a consuetudine inducta et iam a ducentis annis in usu erant. Eiusmodi breviaria propria habent benedictini, praemonstratenses, dominicani, ecclesia mediolanensis, trevirensis, leodiensis etc. Iam in hac constitutione declarat summus pontifex: *„neminem nisi hac sola forma satisfacere posse."* Idem declarat in alia constitutione *Ex proximo* (20. sept. 1571) de beneficiatis statuens eos non facere fructus suos, qui alio utantur breviario quam romano. Ergo sacerdos saecularis, qui non habet breviarium romanum, sed solum breviarium proprium e. g. benedictinum, non tenetur ex eo recitare officium, quia hac recitatione obligationi suae satisfacere nequit[2]).

b. Iis autem, quibus licet uti proprio breviario, summus pontifex dat optionem aut sua breviaria retinendi aut romanum acceptandi, quo semel acceptato non possunt absque licentia eiusdem pontificis ad proprium breviarium redire, quia ipsa acceptatione concessioni ponti-

---

[1]) S. C. R. iun. 1904, ubi declaratur eum non satisfacere obligationi, qui officium vel litanias sanctorum non recitat in lingua latina.

[2]) *S. Alphonsus* l. 4. n. 158. sententiam contrariam dicit probabiliorem.

ficiae renuntiasse censentur. Hanc acceptationem breviarii romani sibi gratam fore summi pontifices nullo non tempore aperte demonstrarunt.

c. Sacerdotes et religiosi, qui in choro uti debent proprio, non romano breviario, *privatim* officium recitare possunt iuxta breviarium romanum. Sic sacerdos mediolanensis vel monachus benedictinus, qui studiorum causa extra dioecesim vel monasterium moratur, uti potest breviario romano. Attamen eorum superiores usum breviarii romani etiam in privata recitatione prohibere possunt.

761. Partes accessoriae officii. 1. Hodie nulla exsistit obligatio sive publice sive privatim recitandi *officium B. Mariae virginis, officium defunctorum, psalmos poenitentiales et psalmos graduales* iis diebus, quibus in breviario assignantur, nisi alicubi vigeat consuetudo, quae tamen ad privatam recitationem extra chorum non obligat.

Pro iis enim, qui utuntur breviario romano, citatis constitutionibus pontificiis ablata est obligatio recitandi quovis mense designatis per rubricas diebus has partes accidentales officii.

2. Est obligatio pro omnibus, qui ad officium tenentur, recitandi *officium defunctorum* die commemorationis omnium fidelium defunctorum et recitandi *litanias maiores* die festo s. Marci et triduo rogationum. Matutinum cum laudibus officii defunctorum anticipari potest post matutinum cum laudibus officii diei; litaniae maiores autem anticipari non possunt.

Officium defunctorum sub gravi recitandum esse non est dubium; sed de *litaniis maioribus*, etsi concedenda sit obligatio eas recitandi, complures tamen non improbabiliter censent eam non esse gravem, non quod materia gravis non sit, sed quod ipsa lex sub gravi non obliget[1]).

762. Quodnam officium recitandum sit. Quotidie recitari debet officium, quod in calendario seu directorio pro eo die assignatum est.

Officia in calendario assignata vel sunt officia totius dioecesis *communia* vel officia alicuius ecclesiae *propria*. Officia propria recitare tenentur: *a.* canonici et beneficiati

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 382.

choro illius ecclesiae addicti; *b.* clerici, qui in illa ecclesia beneficium habent; *c.* clerici illi ecclesiae adscripti.

α. *Officia propria* illius ecclesiae possunt esse haec: officium titularis ecclesiae, officium dedicationis ecclesiae, officium insignis reliquiae, officium speciali indulto illi ecclesiae concessum.

β. *Ecclesiae adscripti* illi tantum dicuntur, qui auctoritate episcopi in ea ex officio curam animarum exercent: parochi et eorum coadiutores, minime vero sacerdotes, qui in ea missam celebrant, confessiones excipiunt aut aliud sacrum ministerium exercent[1]). Hi officia propria recitare nec debent nec licite possunt.

γ. *Magistri et alumni seminarii* in hoc degentes censentur adscripti ecclesiae seminarii, quamvis alibi missam celebrent; tenentur ergo recitare officia propria ecclesiae seminarii[2]).

Ergo duplex est praeceptum ecclesiae circa officium divinum: *a.* quotidie recitandi officium: *b.* illud recitandi iuxta ordinem directorii. Prius est primarium, hoc secundarium: illud semper grave est, hoc modo grave modo etiam leve est, prout ex dicendis apparebit.

1. Qui *caret officio* illo die praescripto e. g. de sancto, debet aliud recitare, quod habet e. g. de feria vel de Beata, modo sit in breviario romano: qui enim praeceptum recitandi officium diei particulare servare nequit, saltem servare debet praeceptum generale quotidie recitandi officium. Pari modo qui non habet lectiones proprias officii occurrentis, legere debet lectiones communes.

2. *Clerici* non beneficiati, qui in aliena dioecesi morantur, possunt officio loci, ubi morantur, se conformare, sed ad hoc non tenentur, nisi tamdiu ibi commorari intendant, ut quasi-domicilium acquirant. Clerici extranei quasi-domicilium in dioecesi habentes sunt subditi dioecesis, atque ideo eius calendario se conformare tenentur[3]). *Beneficiati* autem semper tenentur ad officium propriae ecclesiae[4]).

3. *Regulares* extra domum seu monasterium degentes sequi tenentur calendarium suae provinciae. Si iidem in alia domo sui ordinis versantur et choro addicti sunt,

---

[1]) S. C. R. 7. dec. 1844 n. 2872.
[2]) S. C. R. 7. sept. 1850 n. 2980.
[3]) S. C. R. 14. maii 1672 n. 1445.
[4]) S. C. R. 12. nov. 1831. ad 46 n. 2682.

tenentur officium cum reliquis in choro recitare. Quodsi privatim officium persolvunt, sequi debent calendarium domus suae, ubi solum per aliquod dies extra eam versantur; at sequi debent calendarium domus, in qua versantur, ubi ad longum tempus (saltem ad mensem e. g. tempore quadragesimae) in ea morantur; in itinere constituti recitare debent officium domus, a qua profecti sunt.

4. Qui ad officium iuxta calendarium dioecesis recitandum obligati sunt, tenentur etiam *propria* dioecesis et *officia votiva* recitare, prout in calendario assignantur: etsi enim concessio horum officiorum sit privilegium communitati datum, quae non tenetur uti privilegio, singuli tamen eo uti tenentur, ubi communitas eo utitur, quia communitati se conformare debent.

Officium recitari debet, prout in calendario indicatur, etsi quis probabilius iudicet calendarium errare[1]); si tamen evidenter constat calendarium errare, error corrigendus est.

763. Qui de industria commutat officium unius cum officio alterius diei:

a. Graviter peccat, si illud mutat in officium sive ratione qualitatis sive ratione quantitatis notabiliter diversum, quia non servat formam substantialem sub gravi obligantem.

Ab Alexandro VII. damnata est haec propositio (34): *In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.* Auctore *Viva* duplex est ratio, ob quam graviter peccet, qui loco officii de die palmarum recitet officium paschale: tum quia obiectum huius officii (laetitia resurrectionis) prorsus diversum est ab eo, quod ecclesia die palmarum recolendum proponit (memoria passionis), tum quia unum altero notabiliter brevius est, aliis verbis quia notabilis est diversitas utriusque officii tum ratione qualitatis tum ratione quantitatis.

b. Leviter peccat, si illud sine rationabili causa mutat in officium aequale vel fere aequale ut officium confessoris in officium martyris, quia est accidentalis tantum laesio formae praescriptae.

---

[1]) S. C. R. 13. iun. 1899 n. 4031.

Utrum mutatio officii ferialis in officium alicuius sancti sit substantialis an accidentalis, in utramque partem, sed probabiliter tantum, disputant[1]).

c. Nullatenus peccat, si illud ex rationabili causa mutat in officium aequale vel fere aequale vel exsistente gravi causa etiam in brevius.

Non est sufficiens causa mutandi officium, ut illud cum socio vel cum choro, qui aliud officium habet, recitari possit[2]); licite autem mutari potest, si officium diei sine incommodo haberi non possit, modo aliud officium non sit notabiliter brevius.

764. Quid agere debeat, **qui ex errore mutavit officium.**

a. Si errorem advertit officio iam absoluto, non tenetur aliud recitare, quia ecclesia non obligat ad officium eodem die bis recitandum. Ideo invaluit axioma: *officium pro officio.*

Si officium recitatum praescripto officio multo brevius est e. g. officium de sancto pro officio de dominica, potest fieri compensatio, eo quod recitantur novem psalmi ex primo nocturno dominicae; at praeceptum esse non videtur, quia obligatio quoad substantiam iam videtur impleta et error fuerat involuntarius.

b. Si errorem advertit officio nondum absoluto, pro lubitu aut officium inceptum absolvere potest, ne partes difformes in unum officium coniungantur, aut reliqua de officio praescripto recitare potest, ut servet formam ab ecclesia eo die praescriptam. Hoc alterum *s. Alphonso* melius probatur (n. 161) iuxta axioma: *error corrigitur, ubi deprehenditur.*

c. Qui e. g. loco horae nonae sextam bis recitavit, horam nonam recitare tenetur, nam adagium: *officium pro officio* valet quidem, si servata quantitate et forma solum mutatur qualitas officii, ut si pro officio unius sancti recitatur officium alterius; at non valet, si non servatur forma officii, eo quod pro una hora alia substituitur. Nec potest una hora per aliam suppleri: nam defectus quanti-

---

[1]) Cf. *Castropalao* tr. 7. disp. 2. n. 18.

[2]) S. C. R. 27. ian. 1899 n. 4011.

tatis solum suppleri potest, si quoad formam integrum officium recitatum fuit. Sic ubi pro officio de dominica recitatum fuit officium de sancto, defectus suppleri potest recitando duodecim psalmos primi nocturni; at defectus quoad formam suppleri non potest, eo quod e. g. pro nocturno omisso alius bis recitatur.

d. Qui ex errore recitavit *officium nondum occurrens*, potest hoc ipso dein occurrente pro arbitrio aut recitare officium eo die praescriptum, ut se conformet communi ritui ecclesiae[1]), aut potest recitare officium omissum, ne officium aliquod eo anno praetermittat. Hanc resolutionem insuper alia ratio commendat: etenim ex rationabili causa licet officium eo die praescriptum mutare; sed est rationabilis haec causa mutandi officium, ne idem officium bis recitetur neve aliud penitus omittatur[2]).

Articulus quartus.

De modo recitandi officium divinum.

Ad plene satisfaciendum praecepto ecclesiae officium divinum recitari debet: *a.* ore; *b.* cum debita intentione; *c.* cum debita attentione; *d.* integre; *e.* continue; *f.* ordinate; *g.* debito loco et situ; *h.* tempore praefixo.

765. Ore seu vocaliter, quia officium natura sua non est oratio pure mentalis, sed oralis seu vocalis. Verba igitur ore seu labiis et lingua formari debent, at non requiritur, ut audiantur ab aliis, nec requiritur, ut recitans se ipse audiat, neque ut se audire posset, si nullum obstaret impedimentum externum: ad essentiam enim orationis oralis non requiritur, ut recitans se possit audire, quia verba ore proferri possunt, quin sonus edatur, quo

---

[1]) S. C. R. 17. iun. 1673 n. 1474.

[2]) *S. Alphonsus* n. 161. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 383. *Lehmkuhl* II. 626.

recitans se possit audire; ordinarie autem fiet, ut aliquis sibilus audiri possit.

Ergo non sufficit officium mente legere, vel solis oculis percurrere, sed formando vocem distincte recitari debet. Privilegium, quod regularibus a *Leone X.* concessum est, officium divinum in choro quoad partes, quae secreto dicuntur, mentaliter sine prolatione verborum recitandi, a *Gregorio XV.* per bullam *Romanus pontifex* (2. iul. 1622) iterum revocatum est[1]).

766. De recitatione cum socio vel in choro. 1. Licitum est cum socio recitare officium divinum, etsi ille ad officium non teneatur.

Recitatio cum socio imitari debet recitationem in choro; ideo *a.* requiritur ut alternis, non ternis vicibus recitent, i. e. ut hinc sint unus vel plures et inde pariter unus vel plures; at non licet ita recitare, ut unus dicat primum, alter secundum, tertius tertium versum; *b.* antiphonae et versiculi psalmorum alternatim dicendi sunt, prout ordo exigit; *c.* lectiones omnes ab uno legi possunt ceteris audientibus vel etiam alternatim; *d.* capitula et orationes ab uno dicuntur, qui fungitur veluti munere officiatoris.

2. Requiritur, ut se mutuo distincte audiant: nam ut quis obligationi satisfaciat, aut ipse recitare aut recitantem audire debet. Si socius ad officium non tenetur, requiritur quidem, ut ille, qui non tenetur, ab altero audiatur, at non requiritur, ut ipse alterum recitantem audiat.

a. Ideo surdus, qui nihil audit, non potest valide cum socio officium recitare: et qui socium recitantem, etsi posset, tamen non audit, obligationi suae non satisfacit, quaecunque sit causa, ob quam socium non audiat, sive strepitus sive surditas. Ideo officium repetere aut saltem partem non perceptam supplere tenetur.

b. Qui solum aliqua non percipit (unum vel alterum versum vel lectionem), satisfacit obligationi nec quidquam supplere tenetur, modo alterum audire conetur, quia, ait *s. Alphonsus* (n. 163), per societatem et simul per illam suam applicationem censetur moraliter communicare in oratione, ut sua sit etiam oratio, quam alter fundit.

Hinc recitans in choro, qui aliis recitantibus aliquid in choro parare debet, non tenetur repetere, quae non percepit, etsi integrum psalmum non audisset.

c. Ut surdus, qui obligatur ad chorum, satisfaciat obligationi recitandi officium, partem omissam, quam scilicet non percepit, vel

[1]) Cf. *Ferraris*, Bibliotheca s. v. *Officium divinum* n. 100.

postea supplere vel melius, tum ab altera parte canitur, submisse recitare debet.

d. Qui organum pulsat, dum in choro cantatur divinum officium, non satisfacit obligationi, nisi saltem unius partis versum recitet vel cantet. Et ubi officium ita cantatur, ut ad versum, quem totus chorus cantat, alternatim respondeat solum organum, totus chorus non satisfacit obligationi, nisi aliquis ex choro clara voce pronuntiet vel cantet id, quod ab organo respondendum est[1]).

3. Recitatio ita comparata esse debet, ut unus suum versum non incipiat, nisi alter absolverit suum: oratio enim ab ecclesia praescripta natura sua successiva est.

a. Si ergo ea, quae simul proferuntur, notabilem partem constituunt, grave peccatum committitur, nisi totum officium repetatur aut saltem pars aequivalens suppleatur.

b. Officium recitans cum socio, qui ultimas syllabas obtruncat, quin tamen sensus notabiliter corrumpatur, satisfacit obligationi nec tenetur repetere, etsi venialiter peccet; quodsi obtruncatio magna est, ita ut sensus in notabili quantitate corrumpatur, grave peccatum est et repeti debet vel pars vitiose prolata vel pars aequivalens, si illa per se non fundit sensum.

4. Recitatio socii nimis citata et praeceps, praesertim vero cantus in choro nimis concitatus, ita ut alii non possint omnia distincte percipere, ordinarie veniale peccatum est, quia obligationi quoad substantiam satisfacit, qui aliqua tantum non percipit.

767. Intentio debita est intentio recitandi officium praescriptum seu Deum per recitationem officii laudandi et orandi, quae quidem intentio eo ipso habetur, quod quis deliberate sumit breviarium, ut recitet officium.

Etsi intentio orandi actualis initio saltem implicite elicita, quae deinde per decursum orationis virtualiter perduret, omnino necessaria sit, ut recitatio officii sit oratio, non autem lectio, de intentionis tamen debitae exsistentia dubitandum non est, modo recitatio explicite non ordinetur in alium finem.

768. Attentio requisita est attentio externa: neque enim ex natura rei neque ex praecepto ecclesiae perfectior

---

[1]) Caerem. ep. l. 1. c. 28. n. 6.

attentio requiritur quam externa seu excluso cuiusvis actionis externae impedientis attentionem internam[1]).

a. Sunt actiones externae, quae attentionem internam graviter seu notabiliter impediunt, et aliae, quae eam leviter tantum impediunt. Illae sub gravi, hae sub levi inter divini officii recitationem excludi debent; ex iusta vero causa actiones leviter impedientes licite admitti possunt. Actiones prioris generis sunt: pingere, scribere, alios cum magna attentione audire loquentes, attente legere, imagines vel statuas attente considerare etc. Actiones posterioris generis sunt: vestibus se induere vel exuere, manus lavare, regionem, agros, prata, montes, aedificia aspicere, focum instruere etc. Si quis tamen experientia sciret se actionibus prioris generis graviter non distrahi, eas excluso scandalo sub gravi vitare non teneretur: et pari modo si quis experientia sciret se actionibus posterioris generis notabiliter distrahi, eas sub gravi vitare teneretur.

b. Cum oratio sine attentione interna quoad substantiam exsistere possit, obligatio attentionis internae ex *gravi praecepto ecclesiae* oriri deberet. Qui hanc obligationem affirmant, reapse provocant ad *concilium lateranense sub Innocentio III.*, quod clericis in virtute oboedientiae praecipit, ut divinum officium „studiose celebrent pariter et devote"[2]). Verum legenti citatum caput statim patebit summum pontificem aliud non praecipere nisi devotionem seu attentionem externam contra eos, qui inter recitandum in choro fabulabantur cum saecularibus[3]).

769. Integre. Ut officium integre recitetur, duo requiruntur: *a.* ut totum officium nulla eius parte omissa recitetur; *b.* ut singula verba sine mutilatione seu truncatione proferantur.

a. Ad integritatem officii pertinet Pater, Ave et Credo in principio et fine officii, ad eam autem non pertinet oratio *Aperi* nec *Sacrosanctae*, quae orationes tamen pie et utiliter adduntur.

b. Qui ergo partem notabilem omittit, graviter, qui partem non notabilem omittit, leviter peccat. Quaenam pars censeatur notabilis, supra definitum est (757).

c. Si truncatio verborum tanta est, ut sensus varietur, idque in notabili parte, culpa gravis committitur et pars integre non recitata repetenda est; raro tamen truncatio verborum culpam gravem involvit,

---

[1]) Cf. n. 139.

[2]) C. Dolentes 9. *De celebr. miss.* (III. 41).

[3]) Cf. *Lehmkuhl* II. n. 633. *Burghaber*, Casuum conscientiae centuriae tres cent. I. n. 21.

omni vero culpa caret, si ex vitio naturali oris balbutientis vel linguae praecipitantis, aut si ex consuetudine inveterata fiat.

770. Continue i. e. *sine interruptione.* Duplex distinguenda est interruptio, altera inter unam et alteram horam, altera inter partes eiusdem horae. Nulla interruptio quantumvis magna grave peccatum est, modo intra spatium eiusdem diei totum officium recitetur, quia interruptio etiam notabilis non impedit, quominus substantiae obligationis satisfiat. Interruptio tamen notabilis, quae sine causa inter certas officii partes fit, veniale peccatum est; interruptio autem, quae ex iusta causa fit, etsi notabilis et in eadem hora, omni culpa vacat, nec priora in hoc casu repetenda sunt, quia singuli psalmi et versus completam significationem habent et per intentionem continuandi satis uniuntur.

a. Ergo nulla est obligatio post interruptionem repetendi psalmum vel lectionem ab eius initio, etsi interruptio sine causa, ad longum tempus vel cum intentione priora repetendi facta fuisset, sed ibi continuari potest recitatio, ubi fuerat intermissa, modo versus vel integra propositio ante interruptionem fuerint absoluta.

b. Quia recitatio horarum debet esse *continua,* per se non licet horam incipere cum praevisione futurae interruptionis: eiusmodi enim interruptio in causa voluntaria esset. Cum tamen rationabilis causa ab hoc praecepto excuset, non peccant confessarii, qui in confessionali partem horae recitant, dum exspectant poenitentem, ut tempori parcant.

1. Laudes a matutino etiam sine causa et longiore tempore separari possunt.

a. Ergo nihil impedit, quominus matutinum a laudibus separetur etiam integra nocte: quamvis enim matutinum et laudes unam horam constituant, consuetudo tamen licitum effecit, ut inter laudes et matutinum (non autem inter singulos nocturnos) integrum noctis spatium etiam sine causa intercedere possit. Ratio esse videtur, quia laudes perfectiore modo partem in se completam constituunt quam singuli nocturni, ideoque inter hos maior est connexio quam inter matutinum et laudes.

b. Ex praescripto rubricae addendum est *Pater,* quoties absoluta hora a recitatione cessatur. Quodsi matutinum a laudibus separetur, matutinum concludendum est eo modo, quo illud ex praescripto rubricae concluditur nocte nativitatis Domini, in qua statim post matutinum celebratur missa, scilicet post *orationem* diei additur: *Dominus*

vobiscum, Benedicamus, Fidelium[1]). At necesse non est, ut ante laudes a matutino separatas dicatur *Pater et Ave.*

2. Nocturni saltem spatio trium horarum sine causa ab invicem separari possunt, quia antiquitus ita separari solebant, nunc autem nulla exstat lex, quae id prohibeat. Et sane quilibet nocturnus constituit officii partem in se completam ad instar parvae horae, quarum una ab altera licite separari potest. Ex rationabili causa etiam longiore tempore e. g. integra nocte nocturnus a nocturno separari potest.

3. Parvae horae etiam sine causa et longiore tempore ab invicem separari possunt, quia singulae eorum partem in se completam constituunt.

Iustae causae interrumpendi horam vel psalmum ex *s. Alphonso* (n. 168) sunt: utilitas propria vel aliena, urbanitas, devotio, exsecutio mandatorum superioris, auditio confessionis etc. Ergo licite officium interrumpi potest ad aliquid adnotandum, ut causa distractionum tollatur, vel ad eliciendum pium cordis affectum, vel ad recitandum parvam (non autem longiorem) precem.

771. Ordinate i. e. sine inversione ordinis praescripti. Duplex ordo in recitatione officii servandus est: ordo officiorum supra iam expositus, quem describit calendarium, et ordo horarum. *Ordo horarum* praescriptus is est, ut imprimis recitentur matutinum et laudes, deinde prima, tertia, sexta et nona ac demum vesperae et completorium.

1. Hoc praeceptum non obligat sub gravi, quia non refertur ad substantiam officii, sed ad accidentalem tantum circumstantiam. Ideo inversio ordinis inter diversas horas eiusdem officii, quin etiam inversio ordinis inter partes eiusdem horae non est nisi veniale, et si ex rationabili causa fiat, nullum est peccatum.

Eiusmodi causa rationabilis adesse censetur: *a.* si quis non habens ad manus breviarium recitet horas ante matutinum; *b.* si quis non habens ad manum lectiones, recitet interim psalmos matutini et laudes, immo etiam horas parvas, et differat lectiones; *c.* si quis ab alio invitetur ad recitandas horas, cum nondum recitaverit matutinum; *d.* si quis sero veniat in chorum una hora iam integre finita vel iam in-

[1]) S. C. R. 1. febr. 1886 n. 3653.

cepta. In hoc casu licite, immo laudabiliter pergit cum aliis in choro psallere, postea horam vel partem horae omissam recitaturus[1]).

2. Recitare matutinum diei sequentis nondum persolutis vesperis diei praesentis ex quorundam sententia veniale, et si fiat ex rationabili causa, nullum peccatum est; ex aliorum autem sententia nunquam peccatum est, quia officium unius diei nullum ordinem habet cum officio alterius diei.

3. Commemorationes non recitare ordine a rubrica designato non est peccatum, quia haec rubrica non praeceptiva, sed directiva est.

772. Loco et situ debito. 1. Publica officii recitatio fieri debet in choro; pro privata autem recitatione ab ecclesia non praescribitur determinatus *locus;* ideo quilibet eligi potest, qui debitae officii recitationi aptus censeatur, etsi locus sacer ceteris sit convenienter.

Ideo veniali culpa non caret, qui sine iusta causa officium recitat in loco, qui ob populi frequentiam, strepitum vel alias circumstantias debitam attentionem impedit.

2. Nullus pariter pro privata officii recitatione ab ecclesia praescribitur corporis *situs.* Ideo non requiritur, ut officium flexis genibus recitetur, sed stando vel sedendo vel ambulando vel etiam, exsistente rationabili causa, in lecto cubando recitari potest. Ideo non solum infirmus, sed etiam sanus, qui noctem ducit insomnem, decumbendo in lecto officium recitare potest. Rubricae, quae certos corporis situs praescribunt, ad recitationem officii in choro referuntur. Idem dicendum est de rubricis, quae alia signa ut inclinationes, genuflexiones, signum crucis etc. praescribunt. Quamvis ergo nulla sit obligatio haec in privata recitatione observandi, laudabiliter tamen etiam extra chorum observantur.

773. Tempore praefixo, quod vel lege scripta vel consuetudine determinatum est.

---

[1]) *De Herdt,* Prax. pontif. t. 1. n. 242.

1. Praecepto quoad substantiam satisfacit, qui integrum officium recitat *intra spatium unius diei naturalis* i. e. a media nocte unius diei usque ad mediam noctem diei sequentis. Hoc tempore elapso nemo amplius obligationi suae satisfacere potest: *officium enim est onus diei,* cuius obligatio cum die naturali incipit et desinit.

Ex mente ecclesiae in recitatione officii unusquisque pro arbitrio sequi potest aut tempus *verum* solare aut tempus sui loci, sive tempus *medium* est sive tempus *legale*[1]). Cum igitur tempus legale, quod fere ubique introductum est, in nonnullis regionibus dimidia hora et amplius tempus verum subsequatur, licet ibi saltem dimidia hora ante horam secundam legalem anticipare matutinum.

2. Singulis officii partibus *ita tempus assignatum est,* ut matutinum cum laudibus, prima et tertia ante meridiem, vesperae et completorium post meridiem recitari debeant, sexta vero et nona tum ante tum post meridiem recitari possint. Haec tamen temporis designatio, quippe quae ad substantiam officii non pertineat, non obligat sub gravi; quare ex rationabili causa recitatio licite etiam hoc tempus praevertere vel in serius tempus differri potest.

a. Tempore quadragesimae (excepto primo triduo et diebus dominicis) in choro vesperae, non item completorium dicendae sunt ante meridiem in memoriam antiquae disciplinae, iuxta quam ante recitationem vesperarum non frangebatur ieiunium. In privata autem recitatione pro lubitu vel ante vel post meridiem recitari possunt. Quodsi ante meridiem recitentur, nulla est ratio affirmandi eas non esse recitandas ante horam undecimam. Certe recitari possunt eo tempore, quo in choro recitare solent i. e. post missam conventualem, quae tamen non ubique eodem tempore celebratur. Immo nihil impedit, quominus iam mane ante missam privatim recitentur.

b. Singulae horae olim hoc tempore recitabantur: *matutinum* post mediam noctem, *laudes* ad auroram, *prima* post solis ortum, *tertia* mane ad horam nonam, *sexta* ad meridiem, *nona* post horam tertiam pomeridianam, *vesperae* ad solis occasum, *completorium* ad noctis crepusculum[2]).

c. Qui ergo sine causa matutinum aut primam vel tertiam differt ad tempus pomeridianum, vel vesperas et completorium sine causa recitat ante meridiem, venialiter peccat. Rationabilis causa recitationem aut praevertendi aut differendi est periculum superventurae occupa-

[1]) *S. Poenitent.* 29. nov. 1882. S. C. C. 23. iul. 1893.

[2]) Cf. *Baeumer* l. c. pag. 180.

tionis, maior devotio, tempus aptius pro studiis, immo etiam maior commoditas; ideo totum officium ad tempus pomeridianum differri potest, si antemeridianum est aptius ad studia continuanda.

3. *Matutinum cum laudibus* privatim ex legitima consuetudine *anticipari* i. e. die praecedenti recitari potest; at non licet anticipari publice in choro. Quodsi recitetur ante tempus pro anticipatione assignatum, repetendum est, quia praecepto satisfieri nequit, antequam obligat.

a. Facultas anticipandi officium est privilegium, et cum per se nemo teneatur uti privilegio, is non tenetur anticipare matutinum cum laudibus, qui praevidet se postero die impeditum iri, quominus recitet officium.

b. Ut matutinum in choro habitualiter anticipari possit, requiritur indultum s. sedis, quod multis ecclesiis concessum est; episcopus solum permittere potest, ut ex iusta causa ad tempus anticipetur.

4. Ex rubrica missalis matutinum cum laudibus recitandum est *ante missam*[1]).

Hanc rubricam alii docent obligare sub gravi *(S. Antoninus)*, alii sub levi *(S. Alphonsus)*, alii censent eam non esse praeceptivam sed mere directivam, quia mutatinum non continet necessariam dispositionem ad celebrationem missae, et quia connexio inter matutinum et missam (quam *s. Alphonsus* putat esse nullam) tanta non est, ut matutinum ante missam dici debeat *(Ballerini)*. Etsi rubricae hanc rem bis urgeant, cum tamen de *vero praecepto* non satis constet, practice hoc non est statuendum.

774. Qua hora matutinum anticipari possit. 1. Omnibus consentientibus matutinum cum laudibus ex legitima consuetudine anticipari potest, *quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum.* Et quoniam hoc tempus variat, exarari solent tabulae (directorio plerumque insertae), quibus indicatur tempus pro anticipando officio diversis anni temporibus idoneum. Quod quidem tempus inter horam 2. (mense decembri) et 4. (mense iunio) pomeridianam interpositum est.

2. Ex probabili multorum doctorum sententia valide et saltem ex rationabili causa etiam licite matutinum cum laudibus quovis anni tempore etiam sine privilegio priva-

[1]) *Missale rom.* Rit. serv. I. n. 1. De def. X. n. 1.

tim recitari potest *hora secunda pomeridiana*[1]). Haec sententia confirmatur ex responsionibus s. sedis, quae saepius de hac re interrogata quaestionem hucusque dirimere noluit, sed ad probatos auctores remisit, quorum complures hanc sententiam tenent. Ideo quovis anni tempore hora secunda anticipari potest, donec s. sedes aliud statuerit.

a. Rationem internam huius sententiae auctores in hunc modum assignant. Lapsu temporis factum est, ut mutatinum cum laudibus, quod initio nocturno tempore recitari solebat, iam die praecedenti recitaretur, et quidem vespere seu post occasum solis. Paulatim vero consuetudo invaluit anticipandi officium, non quando desinit sed quando incipit tempus vespertinum i. e. quando sol medium cursum habens inter meridiem et occasum incipit vergere ad occasum. Tandem consuetudo efficit, ut matutinum recitaretur, quando incipit tempus vespertinum non diei naturalis sed ecclesiastici; tempus autem vespertinum diei ecclesiastici incipit hora, qua solent vesperae recitari in choro; atqui nunc in choro vesperae recitari solent, aut saltem possunt, hora circiter secunda pomeridiana; ergo iuxta computationem ecclesiasticam tempus, quod currit post recitatas vesperas in choro seu post horam secundam, iam pertinet ad diem sequentem, quo privatim valide quidem anticipari potest matutinum cum laudibus et etiam licite, si adsit rationabilis causa. Huius consuetudinis testis est *s. Thomas* scribens: „Quantum ad ecclesiasticum officium, incipit dies a vesperis; unde si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem“[2]).

b. Negari nequit inter auctores veteres et recentes communiorem esse sententiam, quae *negat* illum satisfacere obligationi suae, qui absque speciali privilegio quovis anni tempore matutinum cum laudibus recitat hora secunda. *S. Alphonsus* in prima theologiae moralis editione sententiam contrariam *affirmantem* dixerat probabilissimam; postea vero hanc retractavit et negantem veriorem appellavit. Verum cum tot et tanti auctores tum antiqui ut *Sanchez, Viva, Salmanticenses,* tum recentes ut *Ballerini-Palmieri, D'Annibale, Frasinetti, Sabetti, Bucceroni, Génicot* sententiam teneant affirmantem, ei probabilitas tum interna tum externa abiudicari nequit.

c. Accedit modus agendi S. C. R. Nam ad *quaesitum:* „Quanam hora liceat incipere privatam recitationem matutini cum laudibus ve-

---

[1]) Non raro conceditur privilegium anticipandi matutinum cum laudibus hora prima post meridiem, quin immo sacerdotibus ex ordine *s. Ioannis de Deo* 12. iun. 1899 concessum est privilegium anticipandi immediate post meridiem.

[2]) *Quodlib.* V. a. 28. ad 1.

spere diei praecedentis", *respondit:* „Privatam recitationem matutini cum laudibus vespere diei praecedentis incipi posse, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum"[1]). Et ad *quaesitum:* „Utrum in privata recitatione matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae directorii dioecesani omni tempore", *respondit:* „Consulantur probati auctores"[2]). Ex his duo colligi possunt: primo quidem, si sententia affirmans omni probabilitate careret, s. sedes eam diu iam reiecisset; deinde vero cum s. congregatio remittat ad probatos auctores, horum vero complures recitationem hora secunda licitam dicant, probante ipsa s. sede anticipare licet hora secunda pomeridana.

Articulus quintus.

De causis a recitatione officii excusantibus.

775. De ipsis causis excusantibus. Causae a recitatione officii excusantes ad duas revocari possunt: *a.* ad infirmitatem et *b.* ad occupationem, quae cum recitatione officii sine gravi incommodo coniungi non possunt: ecclesia enim non censetur velle obligare cum gravi incommodo.

a. Necesse non est, ut *impotentiae physicae* et *dispensationis* expressa mentio fiat. Per se enim patet non teneri ad officium recitandum, qui caret breviario nec breviarium sibi comparare potest; pariter non teneri caecum, qui legere non potest. Quodsi hi aliquam horam (laudes vel completorium) vel horae partem notabilem memoriter recitare possunt, eam recitare tenentur.

b. Item per se patet summum pontificem ab obligatione recitandi officium dispensare posse, cum haec obligatio sit iuris ecclesiastici. Etiam episcopus et superior regularis in hoc praecepto dispensare possunt, sed nisi ampliorem potestatem obtinuerint, solum in casu particulari et ad tempus. Itaque dispensare possunt: α. si dubitatur, num causa excusans sufficiat, i. e. num incommodum cum recitatione coniunctum satis grave sit, ut per se cesset obligatio; β. si difficilis est recursus ad s. pontificem; γ. in causa, quae frequenter occurrit, qualis est infirmitas; δ. in quavis causa, si dispensatio petitur ad breve tempus.

---

[1]) S. C. R. 16. mart. 1876 n. 3391.

[2]) S. C. R. 12. maii. 1905.

776. Praenotiones generales. 1. Qui non potest recitare totum, tenetur ad partem, si in ea ratio finis salvatur[1]). Qui ergo recitare potest integram parvam horam, ad eam recitandam sub gravi tenetur; qui ne parvam quidem horam recitare potest, ad nihil tenetur, quia pars, quae parva hora minor est, non censetur notabiliter conducere ad finem a lege intentum.

2. Qui a recitatione officii legitime excusatus est, non tenetur loco officii alias preces fundere nec per alium supplere, quia officium divinum est onus personale.

3. Qui non potest solus officium recitare, potest autem cum socio, tenetur socium adhibere (etiam eum, qui ad officium non tenetur), si eum gratis et facile habere potest; at non tenetur, si illum pretio conducere debet aut solum cum magna difficultate reperire potest. Ratio *primi* est, quia recitatio cum socio pertinet ad media ordinaria recitandi officii, quod proinde adhiberi debet, si commode haberi potest. Ratio *secundi* est, quia hoc incommodum satis grave est, ut a recitatione excuset.

Quaerunt auctores, num *beneficiatus* ex fructibus beneficii teneatur pretio conducere socium, ut officium recitare possit. — Statui potest haec obligatio: beneficiatus, qui continuo impeditus est, quominus solus recitet officium, et ratione beneficii aliam obligationem praeter officium divinum non habet, tenetur aut socium conducere aut dispensationem petere[2]).

777. Infirmitas, et quidem tum infirmitas actu existens, quae tanta est, ut officium sine notabili difficultate recitari non possit, tum fundatus timor ex recitatione officii augendi vel contrahendi infirmitatem. Excusatur ergo:

1. *Aegrotus,* qui gravi morbo laborat qualicunque.

a. Excusatur ergo, qui *notabili* capitis dolore laborat, ita ut consuetas suas occupationes obire non possit; — qui ex *morbo interno*

[1]) Huc pertinet propositio 53. ab *Innocentio XI.* damnata: *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*

[2]) Cf. *s. Alphonsus* n. 158. *Lehmkuhl* II. n. 639.

adeo debilitatus est, ut in lecto decumbere cogatur; atque id quidem valet, etiamsi unam alteramve horam in colloquiis cum invisentibus transigere vel ephemerides legere possit: recitatio enim breviarii ex se potius defatigat, non sublevat; illae autem occupationes ex se potius sublevant, non gravant[1]).

b. Aegrotus, qui recitare non potest totum officium, dubitat autem, an possit partem, ad nihil tenetur, ne ansa detur dubiis et anxietatibus.

c. Qui dubitat, num infirmitas sufficiat ad excusandum, stare potest iudicio superioris vel prudentis medici vel alterius viri prudentis vel etiam proprio iudicio.

2. *Convalescens,* qui ex recitatione officii merito timet grave incommodum ut notabilem defatigationem, virium lassitudinem, capitis gravedinem, stomachi cruditatem, magnum dolorem etc.

Convalescens per aliquod tempus excusatur a recitatione officii, etsi per diem cum aliis colloqui vel aliquid profani legere possit: hoc enim, ut dictum est, recreationis causa fit et reficit vires, recitatio autem officii maiorem attentionem exigit et ideo magis defatigat viriumque impedit refectionem. Ceterum non omnes aequali modo sed pro ratione indolis et dispositionis alii aliis magis recitatione officii defatigantur.

778. Occupatio ex officio vel caritate suscepta, quae cum recitatione officii componi et in aliud tempus differri non potest sine proprio vel alieno notabili detrimento. Ubi notandum est neminem teneri refectione corporis aut necessario somno se privare, ut officium recitare possit. Excusatur ergo vel in toto vel ex parte:

1. Qui vespere nondum persoluto officio ex improviso vocatur ad aegrotum, neque eo die ullum amplius nanciscitur aptum tempus ad illud persolvendum. Nec tenetur, si parum ante mediam noctem redeat, differre quietem nocturnam, ut officium persolvat.

2. Qui toto die occupatur in audiendis confessionibus, quae in alium diem commode differri non possunt, ut tempore exercitiorum vel missionum; idem valet de aliis eiusmodi laboribus e. g. de visitatione infirmorum tempore contagionis etc.

---

[1]) Cf. *Elbel* II. pr. 7. n. 177.

Falsum est eum a recitatione officii excusari, qui interdiu per *septem* horas gravibus laboribus occupatur, immo ne ille quidem per se a recitatione excusatur, qui interdiu per *decem* horas gravibus et urgentibus laboribus occupatur, nisi forte adeo defatigatus sit, ut officium sine notabili difficultate recitare non possit.

3. Qui toto tempore indiget ad parandam concionem, quam sine scandalo omittere non potest. Si tamen has angustias temporis praevidens concionem opportuno tempore non paravit, hac negligentia utique peccatum commisit.

Quaestio tertia.

De obligatione erogandi bona superflua.

779. De ipsa obligatione. Clericis incumbit *gravis obligatio religionis* erogandi in causas pias bona beneficialia, quae honestae sustentationi supersunt[1]).

1. Clericos sub gravi teneri ad eroganda bona superflua in usus pios constat ex voluntate ecclesiae explicite prohibentis, ne beneficiarii quicunque ex reditibus ecclesiae consanguineos aut familiares suos augeant, nisi pauperes sint, quibus idcirco *tamquam pauperibus* res ecclesiasticas, *quae Dei sunt,* distribuant[2]).

Ipsa ratio bonorum exigit, ut ecclesia clericis beneficiariis hanc obligationem imponat: bona enim a fidelibus Deo offeruntur, ut in eius cultum expendantur; ab ecclesia autem nomine Dei accipiuntur atque ut bona Dei administrari debent; ecclesia ergo illa bona accipit cum obligatione ea administrandi tamquam bona Dei ad eum finem, propter quem a fidelibus donata sunt.

2. Dari in hoc praecepto *parvitatem materiae* manifestum est; quaenam autem materia in usus profanos erogata gravis sit, prudentum iudicio, ratione habita redi-

---

[1]) Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 7. c. 2. *Hollweck,* Das Testament des Geistlichen (Mainz. Kirchheim. 1901) S. 27 ff.

[2]) *Concil. trid.* sess. 25. c. 1. De reform.

tuum beneficii et personae beneficiati, determinari debet. Illud tamen certum est multo maiorem quantitatem hic requiri ad grave peccatum quam in furto, cum clerici non aliena auferant, sed propria male expendant.

780. De honesta sustentatione. 1. Ad honestam sustentationem determinandam attendendum est ad qualitatem personae; quare honesta sustentatio non in omnibus aequalis est: plus enim requirit episcopus quam canonicus, plus canonicus quam parochus, plus debilis et valetudinarius quam robustus et sanus, plus nobilis quam inferioris condicionis clericus.

Ut clericus tuta conscientia in hac re procedat, ad usum aliorum in eodem gradu consistentium, qui timoratae sunt conscientiae, attendat.

2. Ad congruam sustentationem non solum victus, vestitus et habitatio referuntur, sed ea omnia, quae titulo sustentationis moderatae expendi solent. Potest ergo clericus ex bonis beneficialibus:

a. Convenientem *hospitalitatem exercere,* non solum erga pauperes peregrinos, sed etiam erga amicos et advenas.

b. Tum sua tum consanguineorum *debita solvere,* quamvis contracta ob finem profanum, si nec ipse nec consanguinei ea aliunde solvere possunt.

c. Consanguineis et familiaribus suis pauperibus *succurrere,* ut iuxta statum suum decenter vivere possint.

d. Consanguineo subministrare media ad discendas litteras vel alias artes.

e. Dotare sorores pauperes, ut honeste secundum statum suum nubere possint.

f. Alere prolem suam tum legitimam, quam forte ante ingressum in statum clericalem susceperat, tum spuriam, quam postea suscepit[1]).

781. Ex virtute religionis. 1. Obligatio haec oritur ex praecepto ecclesiae, et cum clericis hoc praeceptum ex *motivo religionis* imponatur, ipsi peccatum sacrilegii contra religionem committunt, si superflua in usus profanos impendant.

[1]) *Laymann,* l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. ss. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 432 ss.

a. Bona ipsa beneficialia amittunt quidem propriam suam sanctitatem, ubi ex dominio ecclesiae in dominium clericorum transeunt, et evadunt bona profana: ecclesia vero actionem, quam praecipit, transfert ad illam virtutem, e cuius motivo eam praecipit; atqui ratione habita originis horum bonorum atque intentionis piorum fidelium optantium, ut in cultum Dei et in causas pias ipsorum donationes impendantur, clericis *ex motivo religionis* iniungit praeceptum, ne in alios nisi in pios usus illa expendantur.

b. Sunt, qui dicant, teneri clericos bona superflua erogare *ex iustitia*[1]). Verum haec obligatio aut eo oriretur, quod clerici non acquirant dominium in bona beneficialia, aut eo, quod ecclesia clericos ex iustitia ad ea eroganda obliget; atqui ex neutro fonte oritur obligatio iustitiae: clerici enim verum dominium in bona superflua acquirunt; ecclesiam autem addidisse obligationem iustitiae sufficienti argumento demonstrari nequit[2]).

2. Si constat clericum male expendisse bona superflua, de obligatione clerici et eorum, qui bona illicite acceperunt, haec notanda sunt:

a. Clericus non tenetur ad restitutionem eorum, quae male expendit, quia expendens iustitiam non laesit.

b. Donatarius non tenetur erogare in pauperes, quae a clerico illicite accepit, etsi ipse clericum (quamvis mala fide) ad donationem faciendam induxisset, quia nec ipse nec clericus iustitiam violavit, nisi mediis iniustis clericum ad donationem faciendam induxit.

c. Heres vel *legatarius* bona ecclesiastica, quae a clerico accepit, pariter non tenetur erogare in pias causas, nisi clericum a condendo testamento impedivit vel mediis iniustis ad testamentum in suum favorem condendum induxit, quia obligatio erogandi bona superflua non est realis, sed personalis, quae ad heredes non transit[3]).

Nota. Quae modo notata sunt, valent de bonis, quae certo ecclesiastica sunt. Plerumque autem ad demonstrandum difficile erit, num bona clericorum, praesertim hereditate relicta, vere ecclesiastica sint. Quid in dubio praesumendum sit, supra (n. 381. c.) dictum est.

---

[1]) *Navarrus, Roncaglia, Laymann* etc.

[2]) Cf. *Lehmkuhl* I. n. 900.

[3]) In *Austria* codex civilis § 761 statuit, ut bona clerici sine testamento defuncti in tres partes aequales dividantur, quarum una cedit ecclesiae, altera pauperibus, tertia consanguineis.

782. Quoad modum erogandi. *a.* Non requiritur, ut clericus *statim* ea bona in pios usus expendat, quia nulla lege id praecipitur; sed eo modo illa expendere potest, quem iudicat fini aptiorem atque utiliorem. Quandoque enim utilius erit bona conservare ad aliquod opus insigne perficiendum, quod in gloriam Dei et in salutem animarum cedit.

Attamen quando urget necessitas, si nempe adsint pauperes in extrema vel gravi necessitate constituti, non licet bona conservare, sed indigentibus subveniendum est. Pari modo tempore vitae expendenda sunt, quando adest periculum, ne post mortem a fisco vel ab amicis et consanguineis diripiantur.

b. Nec tenetur clericus ea expendere in pauperes vel in utilitatem illius *loci,* ubi situm est beneficium, nisi ibi sint pauperes in extrema vel gravi necessitate constituti, quia nulla apparet ratio, ob quam extra casum necessitatis illius loci pauperibus distribui debeant.

783. De causis piis[1]**).** 1. *Causae piae* dicuntur omnia illa opera, quae vel natura sua vel dispositione fidelium fini supernaturali inserviunt.

Supernaturalis dicitur quilibet finis, qui religionem seu cultum Dei et sanctorum aut caritatem christianam seu utilitatem spiritualem vel temporalem proximi, prout indoli religionis christianae convenit, intendit.

2. *Opera* triplicis generis spectato fine (operis) distingui possunt:

a. Alia, quae natura sua finem supernaturalem habent ut missae sacrificium, orationes, ecclesiae, domus religiosae, confraternitates etc.

b. Alia, quae natura sua finem mere naturalem et profanum habent ut theatrum, societas instituta ad peragenda exercitia gymnastica etc.

[1]) Cum saepius mentio occurrat *causarum piarum,* ut cum restitutio facienda dicitur ad causas pias, vel de valore testamenti et legati ad causas pias vel de erogandis bonis superfluis in causas pias agitur, iuvat definire rationem causae piae.

c. Alia, quae natura sua ad finem supernaturalem et temporalem indifferentia sunt ut sustentatio pauperum tum eorum, qui vitae, tum eorum, qui statui necessariis carent, scholae, hospitalia, orphanotrophia etc.

Opera, quae natura sua *indifferentia* sunt, pia intentione donatorum aut fundatorum in causas pias convertuntur, quae vero natura sua *profana* sunt, intentione donatorum vel fundatorum in causas pias converti nequeunt.

3. Ut aliqua dispositio (donatio, legatum, testamentum) ad causas pias facta censeatur, utrumque requiritur, ut finis operantis (donantis etc.) sit supernaturalis et opus saltem ex fine operantis evadat supernaturale.

a. Si opus, in cuius favorem fit dispositio, natura sua pium est, dispositio ex motivo supernaturali facta censetur.

b. Si opus natura sua ambiguum est et de intentione operantis aliunde non constat, ad haec attendendum est:

α. Si totum opus administrationi ecclesiae commissum vel saltem eius gubernationi subiectum est, certo causis piis accensendum est.

β. Ex eo, quod aliquod opus e. g. hospitale excluso omni interventu ecclesiae a solis laicis administratur, nondum sequitur agi de causa profana, nisi constet ex motivo mere philanthropico erectum esse.

γ. In dubio, utrum agatur de causa pia an profana, favendum est causae piae.

Nota. De *poenis ecclesiasticis* agitur in fasciculo seperatim edito.

Index rerum.

Numerus marginalis indicatur.

A.

Abortus: quid et quotuplex sit 342; quomodo differat ab acceleratione partus 342; quatenus illicitus sit 343.

Abstinentia: a carnibus ad essentiam ieiunii non pertinet 681; praeceptum abstinentiae quid prohibeat 673, quibus diebus et quos obliget 674; quando graviter laedatur 674; quinam ab ea excusentur 676; quando servanda sit abstinentia ab ovis et lacticiniis 677; a promiscuitate ciborum 678; quis a praecepto abstinentiae dispensare possit 688; num dispensatione pluries eodem die uti licet 689.

Accessio: quid sit et quotuplex 394; cuius sit res, quae per accessionem alteri rei adiungitur 394 ss.

Accusator: quis sit 729; quando exsistat obligatio accusandi 730.

Actor: quis sit 729; ei incumbit probatio 729.

Adiuratio: quid sit 257; quotuplex sit 258; num obligationem inducat 259; quae condiciones ad eam requirantur 259.

Adoratio: quid sit 135; quatenus praecepta sit 137.

Adulterium: quis damna ex eo orta reparare debeat 472; quae damna reparare debeat 473; quomodo ea reparare debeat 474.

Advocatus: quatenus causas pauperum gratis defendere teneatur 92; eius obligationes 735, quid ei liceat in causis criminalibus et civilibus 736; quatenus possit ficto documento uti 736, ad quid teneatur erga clientem 737; quantam taxam exigere possit 738.

Aggressor *iniustus*: quis sit 332; num infans, qui egredi conatur, nec potest, iniustus aggressor sit 340; quatenus occidi possit 332 ss.; v. **Occisio.**

Amor: quid significet, quo differat a caritate 53. 54; benevolentiae, concupiscentiae, amicitiae 54.

Amphibologia: quid sit 639; ex iusta causa licita est 640.

Apostasia: *a fide*, a religione, ab ordine, ab oboedientia: quid sit 28.

Assecuratio: quid sit 627; quid ad eius iustitiam requiratur 628; quae damna assecurans compensare debeat 629; quomodo restituendum sit societati assecurationis 512.
— *vitae:* duplici modo iniri solet 630; quid ad eius iustitiam requiratur 630; quatenus assecuratus manifestare debeat defectus suos 631; *operariorum* 631*.
Assumptio vana *nominis Dei:* eius malitia 201.
Auctor: quis sit 379; eius ius in publicas suas lectiones et orationes, in opus suum vulgatum, nondum vulgatum 379.

B.

Bellum: quid et quotuplex sit 351; quatenus licitum sit 352; quae licita vel prohibita sint in iusto bello 352; condiciones requisitae ad iustitiam belli 353.
Bibliopolae: quatenus cooperentur ad peccatum vendendo pravos libros 126; quid eis quoad libros pravos praecipiatur 707.
Blasphemia: quid sit 202; quotuplex sit 203; eius malitia 204; condiciones ad veram blasphemiam requisitae 205; quae formulae blasphemiam contineant 206; quot modis committatur 207.
Bona: quotuplicis ordinis sint 80. 357; familiae 376; filiorum libera, non libera 374; uxorum dotalia, praeterdotalia, communia 376; clericorum ecclesiastica, quasi-ecclesiastica, patrimonialia 380.
— *superflua, necessaria:* vitae, statui 90.
— *ecclesiae:* quae sint 180.
Bona fides: quid sit in praescriptione 403; quae ad praescribendum requiratur 403; v. **Possessor.**
Breviarium: quo in recitatione officii divini utendum sit 760.
Bulla cruciatae: quid contineat 691.
Bursa: quid et quotuplex sit 632; speculationes bursae ad terminum ad praemium 632; num speculationes bursae licitae sint 633; peccata, quae cum iis solent esse coniuncta 633.

C.

Calumnia v. **Detractio.**
Cambium: quid sit contractus cambii et quomodo differat a mutuo 616 quotuplex sit 616; condiciones ad eius iustitiam requisitae 617.
Caritas: quid sit 54; caritatis signa specialia et communia 81; caritatis ordo v. **Ordo.**
Caritas *Dei:* ut virtus, actus quid sit 53; quotuplex sit 54; eius gradus 54; eius praxis 56; eius efficacia 57; peccata contra caritatem Dei 69 ss.
— *sui:* quid et quotuplex sit 65; quid exigat 66 ss.; peccata contra caritatem sui 70.
— *proximi:* quid et quotuplex sit 71; quatenus praecepta 72; externa 86; quatenus exigat, ut ex ignorantia peccans moneatur 98; peccata contra caritatem proximi 99 ss.

Caritatis Dei *obiectum:* materiale, formale 55.
— *necessitas:* medii et praecepti 58.
— *praeceptum:* quando obliget per se 59; quando per accidens 61.
Caritatis proximi *praeceptum:* num exsistat 72; quid exigat 72.
Caro: quid nomine carnis veniat sensu ecclesiastico 675; quibus diebus prohibeatur caro cum piscibus 678.
Castratio: num licita sit 328.
Caupones: quatenus cooperentur ad peccatum praebendo cibos vetitos, ministrando vinum, proponendo pravas ephemerides 125; receptantes 493.
Causa damni: per se, per accidens 456; quatenus differat a condicione et occasione 456.
Causae piae: quae dicantur 783; quomodo a profanis discerni possint 783.
Censura librorum: quotuplex sit 708; quae scripta praevia censura indigeant 709; qui eam ferre debeant 710; regulares quoad censuram librorum 711.
Cessio bonorum: quid et quotuplex sit 518; quid cessionem faciens sibi retinere possit 519; num obligationem debiti solvendi penitus extinguat 519.
Choreae: quatenus sint cooperatio ad peccata aliena 128.
Cives: eorum obligationes erga principem et rempublicam 312; quatenus teneantur eligere deputatos 323; quos eligere debeant 324; num indignum eligere possint 325.
Clerici: qui sint 750; eorum diversa bona 380; quodnam bonorum habeant dominium 381; ne libros inconsultis ordinariis publicent 711; ne diaria aut folia absque ordinarii licentia suscipiant moderanda 711; quatenus probandi sint ad ordines admittendi 752; habituati in peccato turpi num possint sacrum ordinem suscipere 752; quatenus teneantur bona superflua erogare in causas pias 770; ex qua virtute ad id teneantur 781; quomodo ea erogare debeant 782; quid titulo congruae sustentationis expendere possint 780.
Codicillus: quid sit 557.
Collatio vespertina: quantitas et qualitas ciborum in ea permissa 683.
Commodatum: quid sit 568; quomodo differat a precario 568; obligationes commodatarii 569; commodantis 570.
Communicatio: civilis, religiosa; activa, passiva; formalis, materialis; publica, privata 34; quatenus cum infidelibus prohibita 35; cum iudaeis 36; cum haereticis 37. 38; in eodem templo, in baptismo, in nuptiis, in ritibus, in supultura 39.
Communio *paschalis:* quos obliget praeceptum communionis paschalis 694; quando urgeat et quomodo implendum 695; ubi implendum sit 696; num satisfaciat, qui tempore paschali sumit viaticum 696.
— *prima:* qua aetate ad eam admittendi sint pueri 697; quis de eorum idoneitate iudicare debeat 697.

Compensatio occulta: quid sit 426; num licita sit 426; condiciones ad eam requisitae 427; famulorum 428.

Compositio: quid sit 520; ad extinguenda debita incerta 521; ad retinenda bona ecclesiastica 522.

Concursus ad beneficia: quotuplex sit 454; num ius ad beneficium conferat 455.

Condonatio: quatenus a restitutione facienda excuset 515; quando praesumi possit 515.

Conductio: quid sit et quatenus differat a mandato 609; quatenus licita et praecepta sit 609; ad quid teneatur conductor operis 613; v. **Merces**.

Confessarius: quatenus ad restitutionem teneatur, qui poenitentem de ea facienda non monuit vel indebite ad eam faciendam obligavit 497.

Confessio annua: quos obliget praeceptum annuae confessionis 692; quomodo implendum sit 693.

Coniuges: eorum mutuae obligationes 282; eorum dominium 376 ss.

Conscriptio: universalis et particularis 319; quatenus iusta 320.

Consentiens: quis sit 489; ad quid teneatur quoad iniustum suffragium 490; quoad damnificatum 491.

Consilium: quotuplex sit 483; ad quid teneatur, qui iniquum dederit 484; quatenus reparari debeant damna ex consilio doctrinali orta 488.

Consulens: quis sit 483; quatenus differat a mandante 483; ad quid teneatur, qui consilium nocivum dederit 484; ad quid teneatur erga damnificatum 485; erga exsecutorem 486.

Contractus: quid sit 523; requisita essentialia 523; quotuplex sit 524: quid quasi-contractus 524; condiciones ex parte materiae requisitae 525; de re aliunde iam debita 527; de re turpi 538; quae personae contractum inire possint 528; quatenus valeant contractus minorum 529; ex errore initus 536; ex metu initus 537; contractus aleatorii quid sint et quomodo differant a condicionatis 613.

— *consensus:* quae et quotuplex sit causa consensus 538; qualis esse debeat 530; quatenus esse debeat simultaneus 532; num taciturnitas sit signum consensus 533; quo momento perficiantur contractus inter absentes 533; quae vitia consensus 534; v. **Error. Metus.**

Contractus: *obligatio:* quotuplex distinguatur 539; eius qualitas et gravitas 539; quam producant contractus, quos irritat lex civilis 336; quid efficiat iuramentum contractui additum 540; quatenas valeat contractus initus sub condicione 541; sub modo 542; sub causa 543; sub demonstratione 544; in diem 545. v. **Societas**.

Contumelia: quid sit et quomodo irrogari possit 662; eius malitia 663; quomodo materiae gravitas determinanda sit 664.

Cooperatio: *ad peccatum:* quid sit 116; quomodo differat a scandalo et inductione 116; quotuplex sit 117; quaenam licita, quaenam illicita 118; condiciones ad liceitatem cooperationis materialis requisitae 119 ss.; cooperatio ad falsos ritus 122; artificum et mercatorum 123; ad pravas ephemerides 124; cauponum 125; bibliopolae 126; typographorum 127; per choreas 128; famulorum 129.
— *ad iniustitiam:* quotuplex sit 477; quatenus licita 118; inducit obligationem restituendi 478; quae sint cooperationes positivae et negativae 479. 495 ss.
Cor: quatenus punctio cordis licita sit 339.
Correptio fraterna: quid sit 94; quomodo differat a paterna et iudiciali 94; eius obligatio 95; condiciones requisitae, ut obliget 96; ordo in ea servandus 97; num monendus, qui ex ignorantia peccat 98.
Craniotomia: num licita sit 340.
Crematio cadaverum: ab ecclesia prohibita 716; cur humationem introduxerit 716; quatenus rationem praebeat negandi sacramenta et sepulturam ecclesiasticam 717.
Crimen: occultum, publicum 649; quando liceat revelare occultum 650; quae condiciones servandae 650; quatenus liceat revelare crimen publicum 651.
Cristallomantia: quid sit 154.
Culpa: theologica, iuridica 458; iuridica lata, levis, levissima 458; ad obligationem restitutionis requiritur culpa theologica 459; quando sufficiat culpa iuridica 459, quam obligationem inducat culpa levis 434 s.
Cultus: quid sit 135; quotuplex sit 136; falsus 149; superfluus 150.

D.

Daemon: quale peccatum sit pactum cum ipso 154; usurpatio nominis eius 201.
Damnificatio: quid sit et quomodo compensetur 81.
— *iniusta:* quotuplex sit 429; quatenus peccet, qui alium impedit a consequendo bono 430; quid ob damnificationem restituendum sit 453; sub quibus condicionibus obligationem restitutionis inducat 454; ob damnificationem ex errore profectam 462; ob damnificationem dubiam 460; ob damnificationem in bonis spiritualibus 464; propter homicidium 465; propter stuprum vel fornicationem 469; propter adulterium 472; propter laesam legem militarem 475; propter defraudata tributa 476; quatenus ad restitutionem teneatur, qui eam non impedivit 496.
Debita: a patre relicta num a filio solvenda sint 288.
Decalogus: eius partitio et momentum 130.
Defectus: substantialis, accidentalis 590; qui in venditione manifestandi 590; in assecuratione vitae 630.
Defraudator tributi: num ad restitutionem teneatur 476.

Denuntiatio: evangelica quid sit 94; num ad eam teneantur alumni 97; quando exsistat obligatio denuntiationis iudicialis 730.

Depositum: quid sit 564; obligationes depositarii 565; deponentis 566.

Deputati: eorum obligationes 311; quatenus eligi debeant 323; qui eligendi sint 324; num eligi possint indigni 325. v. **Cives.**

Desiderium: mortis num sit peccatum 48. 329; perpetuo vivendi, num sit contra spem 49.

Desperatio: quid sit 49; simplex, qualificata 52; eius malitia 50; non admittit parvitatem materiae 50.

Detractio, calumnia: quid et quotuplex sit 644; eius malitia 645; quomodo determinanda sit eius gravitas 646; quatenus specifice differat a calumnia 648; quot peccata committat coram pluribus detrahens 648; quatenus peccet audiens detractionem 654.

Discipuli: eorum obligationes erga magistros 308.

Disputatio: *cum haereticis:* quatenus licita 41.

Divinatio: quid et quotuplex sit 153; eius malitia 155; quatenus licita sit virga divinatoria 158.

Domini, heri: eorum obligationes erga famulos vel operarios 303 ss.

Dominium: quid sit 357; principia ex dominio deducta 358; quotuplex sit 359; quatenus eius obiectum sint bona interna 364; mixta 365; in res externas 368; eius acquisitio 382 ss. eius subiectum 367; quibus modis acquiratur 382.

Donatio: quid sit 548; quotuplex sit 549; quatenus valeat a debitore facta 548; sub quibus condicionibus valeat 550. 93; quos effectus producat 551; quando revocari possit 551; donatio mortis causa quid sit et quatenus valeat 559.

Dubium: *in fide:* cur possibile, cur illicitum sit 33; cur haereticis licitum sit 33; num haeresis sit 33; dubitantes de fide quomodo tractandi sint 33 v. **Haeresis.**

Duellum: quid sit 347; quotuplex sit 348; num liceat privata vel publica auctoritate 349; academicum verum duellum 350; poenae in duellantes latae 350; obligatio restituendi ex duello orta 468.

E.

Ecclesia: quibus peccatis polluatur 178; quatenus ei conveniat sanctitas, immunitas 178.

Eleemosyna: quid sit 89; eius praeceptum 90; quomodo obliget in extrema, gravi, communi necessitate 91 ss.; num tributa valeant pro eleemosyna 93.

Emancipatio: quando et quomodo fiat 372; feminarum 285.

Emtio-venditio: quid sit et quo tempore dominium transferat 587; quotuplex sit 588; ad quid teneatur venditor quoad rem vendendam 589; quoad manifestationem defectuum 590; quoad rei traditionem 591; quoad assecurationem 592; num valeat venditio rei alienae, adulteratae 589; ad quid teneatur emptor 593.

Ephemerides pravae: num eas legere, articulis vel nuntiis insertis iuvare, vendere, hospitibus proponere liceat 124. 125; lege positiva prohibentur 712; viri ecclesiastici indigent licentia ad ephemerides moderandas 711; quatenus ephemeridum scriptoribus liceat aliorum crimina revelare 652.

Error: quotuplex sit 535; quatenus irritet contractus 536.

Exactores tributi: ad quid teneantur 318; quatenus restituere debeant 476.

F.

Fama: quid sit et quotuplex 66. 642; ius in famam veram et falsam 643; quinam ius in famam habeant 643; num liceat seipsum infamare 66; quomodo laedatur 644.

Famae *restitutio:* facienda a detractore et calumniatore 655; quomodo ab iis facienda sit 656; quae causae ab ea excusent 657.

Familia: quibus societatibus constituatur; obligationes intra familiam 281.

Famuli: quatenus cooperari possint peccatis dominorum 129; eorum relatio ad dominum 300; eorum obligationes erga dominos 301; num teneantur impedire damna dominis inferenda 302; quando eorum furta dominis facta sint gravia 417; num eis liceat occulta compensatio erga dominos 428; eorum obligatio erga dominum aere alieno gravatum 508.

Feminae: eorum emancipatio 285 s.; iusta merces 612.

Festa: quatenus praeceptum sanctificandi festa naturale, divinum, ecclesiasticum sit 260; ad quid obliget 261.

Fidelitas: quid sit, unde eius obligatio oriatur, quomodo obliget 635.

Fides: quid sit, quo differat ab opinione, a scientia 3; ut virtus, ut actus quid sit 3; debet esse universalis 4; formata, informis interna, externa; divina catholica; explicita, implicita; formalis, virtualis 6; interna quando obliget 14; peccata contra fidem 25 ss.; dubium in fide 33.

— *actualis:* necessitate medii et praecepti necessaria 7. s.; quarum veritatum necessaria necessitate medii 10; necessitate praecepti 11.

Fidei *obiectum:* materiale, formale 4.

— *subiectum:* quod sit 3.

— *habitus:* quando amittatur 3.

— *genesis* 5.

— *internae praeceptum.* quando obliget per se 14; quando per accidens 15.

— *externae praeceptum:* quando obliget 23.

— *erubescentia:* quid sit 16.

— *negatio:* directa, indirecta 16; non licet directe negare fidem 17; licet quandoque indirecte 22; quot modis fides negari possit 18; licet fidem occultare 19. 20.

— *persecutio:* num in ea fugere liceat 21.

Fiedeicommissum: quid sit 558; quomodo differat a fideicommisso familiae 558.

Filii: quotuplicis generis sint 287; eorum obligationes 287 ss.; num parentibus in necessitate constitutis possint religionem ingredi 288; num teneantur patris debita solvere 288; quatenus parentibus oboedire teneantur 289; in eligendo vitae statu 290.

Filii *illegitimi:* qui dicantur 287: eorum relatio ad parentes 292.

Filiifamilias: qui sint 372; in quae bona dominium habeant 373; num domi laborantes mercedem exigere possint 374; quatenus de bonis sibi concessis disponere possint 375; quoad furta parentibus facta 417.

Foenus: quid sit et quotuplex 582; quae sit liciti foenoris mensura 583; antiquitus ab ecclesia prohibitum 585; cur nunc licitum 586.

Foetus: quis dicatur 342: maturus, immaturus; animatus, inanimatus 342; extopicus 341.

Fornicatio: quatenus inducat obligationem restitutionis 471.

Fructus: quid sint et quotuplices 363; fructus industriales non restituendi, naturales et civiles quando restituendi 411. 447.

Functiones sacrae: num sit simonia pro eis pretium accipere 198.

Funera civilia: num eis interesse liceat 109.

Furtum: quid sit 414; quatenus differat a rapina 413; eius malitia 414; materia furti relative et absolute gravis 415 s.; furta domestica 417; rerum expositarum 418; rerum ad plures pertinentium 423; furta minuta 419; quando materia furtis ablata coalescat 420 ss.; quid a furto excuset 424 ss.

G.

Gestio negotiorum: quid sit 574.

H.

Habitatio: ad quid inserviat 66.

Haeresis: quid sit 29; materialis formalis 30; eius malitia 31; num fides negari possit sine formali haeresi 33; num negare propositionem ab ecclesia damnatam haeresis sit 32; num revelationem privatam 32; num dubium de fide 33.

Haeretici: num liceat cum eis communicare 37; eorum templa ingredi, eorum functionibus, nuptiis interesse 39; comitari eorum funera 39; cum eis disputare 40; ad moribundum vocare ministrum haereticum 122.

Hereditas: quid sit, quot modis acquiri possit 552; duplici modo acceptari potest 555.

Heres: quis dicatur 552; universalis, particularis 403; ab intestato, ex testamento; necessarius; legitimus 553; tenetur acceptare hereditatem 555; eius obligationes 555; debet implere vota defuncti 224; num teneatur restituere bona ecclesiastica a clerico accepta 781.

Historiographi: quatenus eis liceat defunctorum crimina litteris consignare et propalare 653.

Homicidium: quid sit 336; quotuplex sit 337; eius diversae species 337; quatenus ex eo oriatur obligatio restituendi 466 ss.; erga creditores occisi 467 v. **Occisio.**

Honor: quid sit, 66. 642; quomodo differat a cultu 131; ius in honorem 643; quatenus et quomodo reparandus sit honor laesus 665; num ad reparandum honorem sit venia petenda 665.

Hypnotismus: quid sit 747; eius phaenomena 747; num viribus naturalibus producantur 748; per se illicitus est 749; quatenus licite exerceri possit 749.

I.

Idololatria: quid et quotuplex sit 151; eius malitia 152.

Indifferentismus: cur malus sit 33.

Inductio: quid sit 110; quomodo differat a scandalo directo et indirecto 110; eius malitia 111; num liceat petere, quod alter non praestat sine peccato 112; num liceat suadere minus malum ei, qui ad maius patrandum determinatus est 113; num liceat apponere occasionem peccandi 114.

Indumentum: ad quid inserviat 66.

Infidelitas: quid sit; negativa, privativa, positiva 26; eius malitia 27.

Inimicus: quis dicatur 81; praecipitur diligendus 82; quatenus ipsi exhibenda signa caritatis communia et specialia 82; praeceptum reconciliationis 84; modus reconciliationis 85.

Iniuria: quid sit et quomodo compensetur 81. 408; quotuplex sit 409; eius malitia 410; quatenus scienti et consentienti non fiat iniuria 411.

Instructio religiosa: num sit res sacra 39; haeretica frequentari non potest 39; num sit simonia pro ea pretium accipere 197.

Inventio v. *Res amissae.* **Thesaurus.**

Inventor *novi operis:* eius iura v. **Auctor.**

— *rei amissae:* eius obligationes et iura 393.

Ieiunium: quotuplex distinguatur 679; utrum iuris divini an ecclesiastici sit 680; ad quid et quos obliget 680; quando committatur grave peccatum contra ieiunium 680; quibus diebus obliget 680; quae sit essentia ieiunii 681; tempus refectionis diebus ieunii 685; num anticipare, invertere liceat 685; quinam a ieiunio excusentur 687; quis in eo dispensare possit 688.

Ientaculum: num diebus ieiunii liceat 684; quantitas et qualitas cibi in eo permissi 684.

Iudaei: quatenus communicatio cum eis prohibita sit 37.

Iudex: quid sit et quotuplex 719; quam scientiam et iurisdictionem habere debeat 720; quatenus peccet iudex saecularis causas ecclesiasticas ad suum tribunal trahens 720; num liceat iudici exigere

dona vel sponte ablata acceptare 721; diligentia in eo requisita 722; sententiam iuxta legem ferre debet 722; iuxta scientiam iuridicam; 723: quid, si scientia iuridica et privata discrepent 723; quid ei agendum, si causa maneat dubia 725; num sententiam secundum legem iniustam ferre possit 726; ad quid teneatur, qui sententiam iniustam tulit 727; quam obligationem producat sententia iudicialis 724.

Iudex *iuratus:* quis dicatur 728; ad quid teneatur 728; quid si scientia iuridica et privata discrepent 728.

Iudicium temerarium: quid sit 658; quomodo differat ab opinione temeraria, suspicione, dubitatione temeraria 658; eius malitia 659; suspicionis temerariae malitia 660; quando grave peccatum sit 661; num liceat ita se gerere, ac si alter malus esset 661.

Iuramentum: quid sit 243; eius liceitas 244; quotuplex sit 245; condiciones validi iuramenti 246; quae sint formulae iuramenti 247; condiciones liciti iuramenti 248; num liceat iurare cum restrictione mentali 248; quale peccatum sit iuramentum falsum 254; carens iustitia 255; iuramentum fictum 256; num sint iuramenta reservata 239.

— *promissorium:* quid et quotuplex sit 249; eius obligatio 250; num valeat de re mala, inutili, minus bona 250; quomodo interpretandum sit 251; quomodo cesset 253; quatenus obliget iuramentum fidelitatis 252; num obliget iuramentum metu extortum 250. 252; ad quid obliget iuramentum additum contractui 540.

Ius: ad laborem 69; in quae bona homo ius habeat 364 s.; quatenus in famam ius habeat 642.

L.

Labor: quid sit 67; eius momentum 67; quatenus exsistat obligatio laborandi 66; quodnam sit ius ad laborem 69; quatenus sit modus acquirendi dominii 397 s.; eius naturalis destinatio 609.

Lacticinia: quid sint, quando prohibeantur 677.

Legatum: quid sit 558; quando legatarius eius dominium acquirat 558; pium, quo iure regatur 556. 558.

Lex *civilis:* eius valor in materia iustitiae 356.

— *militaris:* num condi possit 319; quid ad eius iustitiam requiratur 319; quatenus in conscientia obliget 320; qui ab ea immunes sint 322; num ex eius laesione obligatio restitutionis oriatur 475.

Libri pravi: lege naturae qui prohibeantur 698; lege ecclesiastica prohibiti, unde cognoscantur 699; lex eos prohibens num strictae interpretationis 699; quando eorum lectione, retentione grave peccatum committatur 700; quid nomine libri intelligatur 701; quis eos prohibere possit 704; quis facultatem legendi concedat 705; qui libri sint absolute prohibiti 712; qui sub condicione 713; qui aliquibus tantum concessi 714.

Literae: alienas literas legere quantum peccatum sit 671; quando id licitum fiat 672.

Locatio: quid sit, quotuplex 607; quas obligationes inducat 608; obligationes quoad locationem agrorum 608. v. **Conductio.**

Locus *sacer, religiosus, pius:* quid sit 178.

Loteria: quid sit 625; requisita ad eius iustitiam 626.

Ludus: quid sit sensu iuridico, sensu morali 622; requisita ad eius iustitiam 623; ad eius liceitatem 624; num lucrum retinere possit, qui alium ad ludendum coegit 623; qui rem alienam exposuit 623; v. **Bursa.**

M.

Magia: quid et quotuplex sit 163; eius malitia 164; magia recens 166 ss. v. **Tabulae rotantes, Magnetismus animalis, Spiritismus.**

Magistri: eorum obligationes erga discipulos 308; num in scholis acatholicis docere possint 299.

Magnetismus animalis: quatenus eo uti liceat 168.

Maledictio: quomodo peccet maledicens proximo 101; creaturis ratione carentibus, sanctis, diabolo 208.

Maleficium: num sit 165; quid et quotuplex sit 163; quomodo tolli possit 166.

Mandans: quis sit 480; quatenus ad restitutionem teneatur 480; eius obligationes erga damnificatum 481; erga mandatarium 482; num restituere debeat, si mandatum revocavit 481.

Mandatum: quid sit contractus mandati 571; obligationes mandatarii 572; mandantis 573.

Maritus: eius obligationes erga uxorem 283; eius iura et obligationes quoad bona communia 377.

Mater: num prolem proprio lacte nutrire debeat 296; num teneatur subire sectionem caesaream ad servandam prolem 344.

Medicina magica: quid sit, num superstitiosa sit 159.

Medicus: eius obligatio 743; quatenus peccet aegrotorum curam respuens 743; num possit praebere remedium ad explorandam eius virtutem 744; num licite adhibeat hypnotismum 749; quatenus teneatur monere aegrotum de mortis periculo 745; quantum stipendium exigere possit 746; quatenus liceat praebere remedia inutilia 746.

Mendacium: quid sit 636; quotuplex sit 637; eius malitia 638.

Mercatus: quatenus diebus festis prohibiti sint 277.

Merces iusta: individualis, familialis 610; operario debetur merces familialis 611; minime vero pars lucri 611; feminarum 612.

Metus: quotuplex sit, quatenus irritet contractus 537.

Milites: conducti, conscripti 319; eorum obligationes 321; num fugere possint 322; num desertores redire teneantur 322; num eis militare liceat in bello iniusto 354; num bona hostium auferre 354.

Militia v. **Lex militaris.**

Misericordia; quid sit 86; eius obiectum 86; eius praeceptum 87; eius opera 88.

Missa: quo iure audienda praecipiatur 261; qua intentione audienda 262; qua attentione 263; quid sit missam integram audire 264; cum praesentia corporali 265; quo loco audire debeat 266; causae ab hoc praecepto excusantes 267.

Moderamen *inculpatae tutelae:* quid sit 335; quatenus in defensione sui necessarium 335.

Monopolium: quid et quotuplex sit 603; quodnam licitum sit 604; num licitum sit monopolium per conventionem venditorum constitutum 604.

Mutilatio *sui:* quatenus illicita 328; num liceat se castrare 328.

Mutuum: quid sit contractus mutui 575; non licet ratione mutui lucrum percipere 576; licet ratione tituli externi 577; num liceat ratione tituli legis civilis 578.

— *pecuniarium:* quid et quotuplex sit 579; num liceat ex eo foenus accipere 581; quando gratis concedi debeat 581.

N.

Necessitas: medii et praecepti quae sit 7; corporalis, spiritualis 81; levis, gravis, extrema 81; quae necessitas a furto excuset 424; ad quid teneatur extreme indigens 425; ad quid dominus quoad extreme indigentem 425.

Notarii: qui diebus festis documenta authentica conficiunt 272; qui in documentis venditionis etc. minus pretium declarant 317.

Nundinae: quae diebus festis prohibitae 272.

O.

Oboedientia: quid sit 280; eius obiectum materiale et formale 280; num oboedientia praeceptum supponat 280; quando peccatum specificum inoboedientia committatur 280.

Obligatio: quomodo differat obligatio fidelitatis et iustitiae 547.

Observantia: quid et quotuplex sit 279; quatenus a pietate differat 279; eius obiectum materiale et formale 279.

— *vana:* quid sit 159; quotuplex sit 159; sanitatum 159; eius malitia 160; quomodo dignosci possit 161 ss.

Occisio *sui:* quatenus illicita 327.

— *malefactoris:* a quo et sub quibus condicionibus fieri possit 330.

— *iniusti aggressoris*: sub quibus condicionibus licita sit 332; num praecepta sit 332; ad quae bona tuenda liceat 333 s.

— *innocentis:* quatenus sit illicita 338; quando permitti possit 338.

— *foetus:* v. **Abortus. Craniotomia.**

Occupatio: quid sit 383; condiciones ad eam requisitae 383; quatenus occupari possint animalia mansueta 385; mansuefacta 386; fera 387.

Odium: quid sit 63; abominationis, inimicitiae 63.
Odium *Dei:* quatenus adversetur spei 48; caritati 63 ss.
— *proximi:* quantum peccatum sit 100.
Offensa: quid sit et quomodo compensetur 81.
Officium divinum: quid sit 753; eius fructus 754; eius partes 755; unde oriatur eius obligatio 756; quando graviter peccet illud negligens 757; quatenus debeant restitui fructus ob neglectam recitationem 758; eius forma 759; num recitandum sit officium Mariae virginis, defunctorum etc. 761; quodnam officium recitandum sit 762; quatenus peccet commutans officium 763; quomodo recitandum sit 765 ss.; num recitari possit cum socio 766; quatenus liceat recitationem interrumpere 770; quatenus peccet ordinem horarum invertens 771; quo tempore singulae partes recitandae sint 773; qua hora anticipari possit matutinum 774; quae causae a recitatione excusent 775 ss.
Opera: quae servilia, liberalia, communia, forensia 268. 270; quae diebus festis prohibita 269; quomodo peccet opera prohibita peragens 269; quatenus prohibitae sint actiones iudiciales 271; actiones civiles 272; quae causae ab hac prohibitione excusent 273 ss.; num excuset ratio vitandi otii 274.
Operarii: quatenus differant a famulis 300; eorum obligationes erga heros 305; num possint cessare ab opera ex condicto 306 s.; quae sit iusta merces 610 s.
Operatio chirurgica: quatenus eam subire teneamur ad servandam vitam 326; num superior eam praecipere possit 326; num licita sit castratio, Porrensis 328; craniotomia 340; sectio caesarea 344.
Operistitia: quando iusta 306; quando licita 307.
Oratio: quid sit 138; num attentio ad eius essentiam requiratur 139; quotuplex sit 140; ad quos dirigi possit 141; pro quibus fundenda sit 142; quid petendum sit 143; num infallibiliter exaudiatur 144; eius condiciones 145; qua necessitate requiratur 146; quando eius praeceptum obliget 147.
Ordo: servandus inter personas diligendas 73; inter bona diligenda 74; inter necessitates proximi 75; inter nos et proximum 76 ss.; inter diversos proximos 80; inter creditores quoad restitutionem 505 ss.
Ornatus mulierum: quatenus peccaminosus sit 107.

P.

Palpo: quis sit et quatenus ad restitutionem teneatur 492.
Parentes: eorum obligationes erga liberos 293 ss.; num teneantur consensum dare filiis religionem ingredi vel matrimonium inire volentibus 290; tenentur filiis procurare alimentum 295; instructionem 297. v. **Scholae.**
Participans: quis sit et quatenus ad restitutionem teneatur 494; num liceat in actione iniusta immediate participare 118.

Partus *acceleratio:* quo differat ab abortu 334; sub certis condicionibus licita 342.

Pauperes: quatenus in diversis necessitatibus iuvandi sint 91; cura pauperum a quo et quomodo exercenda sit 93.

Pecunia: utrum sterilis an frugifera 580; cur nunc dicenda sit actu frugifera 580.

Periculum *vitae:* remotum, proximum 327; num liceat se periculo vitae exponere 327; ad salvandum proximum 77.

Periurium: quid sit et quotuplex 254; quale peccatum sit periurium stricte acceptum 254; late acceptum 255.

Pertinacia: ad heresim requisita 31.

Pietas: quid sit 278; eius obiectum materiale et formale 278; peccata contra pietatem 278.

Piscatio v. **Venatio.**

Piscis: quid nomine piscis veniat sensu ecclesiastico 675; quibus diebus prohibeatur caro cum piscibus 678.

Poena *conventionalis:* mulcta contractui addita 539; titulus percipiendi lucrum ex mutuo 577.

Possessio: quid sit 369; quotuplex sit 370; quatenus ius conferat in rem possessam 371; qualis ad praescribendum requiratur 405.

Possessor *bonae fidei:* ad quid teneatur quoad rem alienam 437 ss.; quoad fructus 441; quoad expensas 442.

— *malae fidei:* ad quid teneatur quoad rem alienam 443 ss.; quoad fructus 447; quoad damnum emergens et lucrum cessans 448: quoad expensas 449; si res secus apud dominum periisset 445; si res varium valorem habuit 446.

— *dubiae fidei:* ad quid teneatur in casu dubii supervenientis 451; in casu dubii antecedentis 452.

Potestas nominativa: quid et quotuplex sit 228.

Praeceptum: conspectus praeceptorum in theologia morali tractandorum 2; praecepta particularia tractanda 718.

Praescriptio: quid sit 399; quotuplex sit 400; quatenus sit modus acquirendi dominii 401; condiciones ad eam requisitae 402; quatenus valeat praescriptio liberativa 407.

Praesumptio: quid et quotuplex sit 51; peccare propter spem veniae, num sit praesumptio 51; praesumptio simplex, qualificata 52.

Pretium: quid et quotuplex sit pretium iustum 594; quatenus obliget pretium legale 595; quotuplex sit et quomodo determinetur pretium vulgare 596; quando liceat vendere supra pretium summum et emere infra infimum 598; quatenus iustum sit pretium conventionale 599; num iuste ematur parvo pretio res pretiosa, si unus vel uterque contrahens eius pretium ignoret 599.

Principes: qui dicantur 309; eorum obligationes erga rempublicam 310; num imponere possint tributa 315; condere leges militares 319.

Promissio: quid sit et quatenus differat a proposito 546; sub quibus condicionibus valeat 546; quam obligationem producat 547; quando cesset 547.

Proxeneta: quis sit 605; eius obligationes 606; num retinere possit, quod mercatores de iusto pretio remittunt 606.

Proximus: quis dicatur 71; quotuplici caritate diligi possit 71; quando nobis praeferendus 76.

R.

Rebellio: quid sit; nunquam licita est 307.

Receptans: quis sit et quatenus restituere debeat 493.

Recreatio: quae licita, utilis sit 66.

Religio: quid sit 131; eius obiectum materiale et formale 132; est virtus moralis 133; eius actus 134; peccata religioni contraria 148 ss.

Res sacrae, 174. 179; spirituales et spirituali annexae 184; fungibilis, non fungibilis; usu consumptibilis, usu non consumptibilis 366; vacantes, derelictae, omissae, incertae 382; cuius sint res vacantes 391; res derelictae 392; res amissae 393; res expositae quoad furta 418.

Resistentia passiva: quid sit, quando licita, quando praecepta 307.

Restitutio: quid sit 431; quomodo differat a satisfactione 431; eius necessitas 432; eius obligatio 434 s.; eius radices 436; si quis possideat rem alienam bona fide 437 ss.; mala fide 443 ss.; dubia fide 450 ss.; eius condiciones ob iniustam damnificationem 454 ss.; num urgeat, si quis inculpabiliter damni causam posuit 454; si dominus re sua abutitur 454; si quis officia indebite distribuit 454; si quis occasio damni est 456; si quis pravo exemplo alium ad damnificandum impulit 457; si alicuius actio alteri imputatur 457; propter laesa bona spiritualia 464; propter homicidium 465; propter duellum 468; propter stuprum 469; propter fornicationem 471; propter adulterium 472; propter laesam militiae legem 475; propter fraudata tributa 476; in solidum 498; qui ad eam teneantur 499; quid in dubio restitutionis faciendae 499; de ordine restitutionis 500 s.; obligatio restitutionis ob neglectam recitationem officii divini 758. v. **Confessarius. Fama. Simonia.**

Restitutionis *circumstantiae:* cui facienda sit restitutio, si dominus notus est 502; si ignotus est 503; si incertus est 504; quo ordine facienda sit a cooperatoribus 500; quo ordine facienda sit creditoribus 505 ss.; quomodo facienda sit 509; cuius expensis facienda sit 510; quid si res restituenda commissa tertio periit, antequam ad dominum pervenit 511; quomodo facienda sit fisco vel societati assecurationis 512; quando facienda sit 513; quae causae ab ea facienda excusent 514; num ingressus in religionem ab ea facienda excuset 517.

Restrictio mentalis: quid sit et quotuplex 639: nunquam licita pure mentalis 640; ex iusta causa licita late mentalis 640; num liceat eam iuramento firmare 640.

Reus: num teneatur crimen fateri 731; num possit crimina occulta testium manifestare 650. 732; num possit a carcere fugere, custodes decipere, carcerem effringere 733.

Revelatia privata: quatenus eam negare peccatum sit 32.

S.

Sacrilegium: quid sit 174; eius species 175; eius malitia 176; quomodo committatur sacrilegium personale 177; locale 178: reale, 179; num violatio voti simplicis sit sacrilegium 177.

Sanctificatio: festorem v. **Festa.**

Satisfactio: differt a restitutione 431. 74.

Scandalum: quid sit 102; quotuplex sit 103; eius malitia 104; num scandalum indirectum soli caritati adversetur 104; num opera bona omittere possimus vel debeamus ad vitandum scandalum 105 s.; num et quomodo reparandum scandalum 115.

Schisma: quid sit, quale peccatum sit 32.

Scholae: quatenus parentibus liceat mittere filios ad scholas acatholicas 298 s.

Secretum: quid sit et quotuplex 666; quatenus laedatur ius secreti 666; quando manifestari possit secretum naturale 667; secretum promissum 668; secretum commissum 669; quatenus uti liceat secreti notitia 670; secretum commissum ceteris strictius obligat 669.

Sepultura *haeretiorum etc.:* num ei liceat interesse 40. 109; quando per eam committatur sacrilegium 178.

Sepultura *ecclesiastica:* quibus interdicatur 350. 717.

Sequestrum: quid sit 567; conventionale, iudiciale 567.

Servitus: quid et quotuplex sit 362.

Simonia: quid sit 181; quotuplex sit ratione materiae, ratione pacti, ratione pretii 182; eius malitia 183; num simonia iuris divini et ecclesiastici eiusdem sit speciei 183; quomodo committatur simonia iuris divini 184 s.; simonia iuris ecclesiastici 186; in re beneficiaria 188 s.; simonia confidentialis 190; quatenus ex simonia oriatur obligatio restitutionis 191 ss.; num sit simonia pro ingressu in religionem pretium accipere 199.

Societas: civilis quid sit, eius elementa 309; quid et quotuplex sit contractus societatis 614; quatenus lucra et damna inter socios dividenda sint 615.

Somnia: eorum origo 156; num eis credere eisque se dirigere liceat 156.

Sortes: num licitae sint sortes divisoriae, consultoriae, divinatoriae 156.

Sortilegium: quid sit 157. 163.

Spes: ut virtus, ut actus quid sit 41; certa et incerta 42; motivum actionum moralium 46; peccata contra spem 47 ss.
Spei *obiectum:* materiale, formale 42.
— *necessitas:* medii et praecepti 44.
— *praeceptum:* quando obliget 45.
Spei *habitus:* quando amittatur 52.
Spiritismus: eius phaenomena 169; num eius exercitium licitum sit 170; num eius exercitio interesse liceat 170.
Sponsio: quid sit contractus sponsionis 619; condiciones requisitae ad eius iustitiam 620; ad eius liceitatem 621; num liceat ei, qui de eventu certus sit 620; num valeat facta cum animo non solvendi 619.
Statuae *obscoenae:* quatenus sint scandalum 108.
— *idololatricae:* num fabricari vel vendi possint 120.
Status vitae: quid sit 67. 718; num aliquem eligere debeamus 67; clericalis 751.
Stuprum: quatenus inducat obligationem restituendi erga mulierem violatam 469; erga prolem 470.
Subditi v. **Cives.**
Successio hereditaria: quotuplex sit 552; quatenus derivetur a iure naturae 554.
Successor: universalis, particularis; immediatus, mediatus 403.
Suffragium: obligatio dandi suffragium dignis, negandi indignis 324 s.; quatenus ad restitutionem teneatur, qui dederit suffragium iniustum 491; qui a suffragio abstinuerit 496.
Superstitio: quid sit 148; superstitio cultus falsi 149; superstitio cultus superflui 150.
Sustentatio pastorum: quatenus fidelibus praecepta 715; quando graviter in hac re peccetur 715.

T.

Tabulae rotantes: num earum experimentum licitum sit 167.
Templa haereticorum: num liceat aedificare, ornare, ad ea aedificanda pecuniam conferre 122; ingredi 40.
Tentatio Dei: quid sit et unde procedat 171; quotuplex sit 172; eius malitia 173.
Testamentum: quotuplex sit 560; si desint formalitates a lege requisitae, num valeat ad causas pias 561; ad causas profanas 561; num sit obligatio testandi 562; in quorum favorem condi debeat 562; num detrahi debeant expensae in studiis factae 562; quatenus revocari possit testamentum 563.
Testis: quot testes ad probandam causam requirantur 439; num quis sponte teneatur ad testandum se offerre 740; num citatus comparere teneatur 740; quando a testimonio dicendo excusetur 741; ad quid teneatur, qui falsum testimonium dixit 742.

Thesaurus: quid sit 389; quis sit eius inventor 389; ad quem pertineat 390.

Timor: quid sit 46; servilis, filialis, initialis 46; motivum actionum moralium 46.

Titulus: quid et quotuplex sit 404; qualis in praescriptione requiratur 404.

Tributum: quid sit et quotuplex 314; quid in dubio de iustitia tributi 315; quatenus leges tributariae in conscientia obligent 316; quatenus bona tributis subiecta indicari debeant 317; v. **Exactor. Defraudator.**

Typographi: quatenus cooperentur ad peccatum 127: quid eis quoad editionem librorum praecipiatur 706.

Tyrannus: quis dicatur; quatenus ei fidelitas exhibenda 307.

U.

Usura: quid sit et quo differat a foenore 584; est contra iustitiam 584; quovis iure prohibita 585.

Usurpator: quis sit, quatenus ei oboediendum 307.

Usus: quid sit 360; quae iura conferat 360.

Ususfructus: quid sit 361: quae iura conferat 361.

Uxor: eius obligationes erga maritum 284; eius bona 376; eius iura et obligationes quod bona mariti vel communia 378.

V.

Vasa sacra: quis ea tangere possit 180.

Vestes: num liceat uti vestibus infidelium vel haereticorum 20.

Venatio: quatenus peccet, qui venatur (piscatur) contra legem civilem, ius alterius in fundo alieno 388 s.

Venditio v. **Emptio. Proxeneta.**

— *sub hasta*: quid sit et quod sit iustum in ea pretium 600; num venditor possit fictos licitatores mittere 601; num emptor cum aliis pacisci possit, ut a licitando abstineant 602.

Venditor: eius obligationes 589 ss.; num peccet infra pretium infimum vendendo ad alliciendos emptores 598; num carius vendere possit ob peculiarem affectum suum erga rem vendendam vel ob specialem emptoris necessitatem 598; num liceat infra infimum emere ob necessitatem venditoris 599; quid venditori quoad libros pravos praecipiatur 707.

Veracitas: quid sit, eius obiectum materiale et formale, eius officia 634.

Verberatio: cui competat potestas verberandi 345.

Vexatio animalium: quatenus et quale peccatum sit 346.

Vindicta *popularis:* illicita 331.

Virga *divinatoria:* quatenus eius usus licitus sit 158.

Virtus: quatenus in theologia morali de virtutibus tractandum sit 1. virtutum theologicarum valor 61.

Vita: obligatio eam conservandi 326; quatenus eam abbreviare liceati 327; num ad salvandum proximum eam periculo exponere liceat 77; num liceat mortem sibi optare 47. 329.

Vocatio *ad statum clericalem:* quotuplex sit 751; num necessaria sit 751; quatenus peccet, qui sine vocatione statum clericalem ingreditur 751.

Voluntates ultimae: quid sint 556; quo iure transferant dominium 556; in favorem causae piae qua lege regantur 556; num s. pontifex vel episcopus eas commutare possit 556; quae sint 557 ss.

Votum: quid sit 209; quotuplex sit 210; intentio et deliberatio ad vovendum requisita 211 s.; num valeat votum ex errore emissum 213; ex metu emissum 214; materia ad votum requisita 215 ss.; num valeat votum ex fine malo 216; votum vitandi peccata venialia 215; votum non nubendi 217; votum de re praecepta 217; quae sint vota reservata 238.

Voti *obligatio:* quae sit 218; unde determinetur 219; quatenus sit personalis 220; quos obliget votum a communitate factum 220; quae sit obligatio voti condicionati 221; disiunctivi 222; dubii 223; quando votum impleri debeat 225; quomodo interpretandum sit 226; quando obligatio voti ex se cesset 227.

— *irritatio:* quid sit et quotuplex 228; a quo fieri possit directa 229 ss.; a quo indirecta 232.

— *dispensatio*: quid sit 233; quo differat ab irritatione 233; quando valide et licite fieri possit 234; num in voto facto in utilitatem tertii 236; a quo fieri possit 237; in votis reservatis 239.

— *commutatio:* quid sit et quotupliciter fieri possit 240; a quo fieri possit 241; condiciones ad eam requisitae 242.

Index.

Pag.

Introductio 1

Pars prima.

De praeceptis virtutum theologicarum.

Liber primus. De praeceptis fidei.

Quaestio 1. De natura fidei 4
Quaestio 2. De necessitate fidei.
Art. 1. De necessitate actus fidei 10
Art. 2. De veritatibus necessario credendis 12
Art. 3. De praecepto fidei internae 17
Art. 4. De praecepto fidei externae 21
Art. 5. De negatione fidei 23
Quaestio 3. De peccatis contra fidem.
Art. 1. De infidelitate 29
Art. 2. De apostasia a fide et de haeresi 30
Art. 3. De dubio in fide 35
Art. 4. De communicatione cum infidelibus et haereticis . . 38

Liber secundus. De praeceptis spei.

Quaestio 1. De natura spei theologicae 47
Quaestio 2. De necessitate spei 49
Quaestio 3. De peccatis contra spem 54

Liber tertius. De praeceptis caritatis.

Quaestio 1. De caritate Dei.
Art. 1. De natura caritatis Dei 59
Art. 2. De necessitate caritatis Dei 64
Art. 3. De peccatis contra caritatem Dei 70

Pag.
Quaestio 2. De caritate sui.
Art. 1. De natura caritatis sui 72
Art. 2. De praeceptis caritatis sui 73
Art. 3. De praecepto laborandi 79
Art. 4. De peccatis contra caritatem sui 83
Quaestio 3. De caritate proximi.
Art. 1. De natura caritatis proximi 84
Art. 2. De praecepto caritatis proximi 85
Art. 3. De ordine caritatis 87
Art. 4. De dilectione inimicorum 95
Art. 5. De caritate proximi externa.
§ 1. De misericordia 101
§ 2. De eleemosyna 103
§ 3. De correptione fraterna 109
Art. 6. De peccatis contra caritatem proximi.
§ 1. De odio 114
§ 2. De scandalo 116
§ 3. De inductione 124
§ 4. De cooperatione 129

Pars secunda.

De praeceptis decalogi.

Liber primus. De primo decalogi praecepto.
Quaestio 1. De natura religionis 146
Quaestio 2. De actibus religionis.
Art. 1. De adoratione 149
Art. 2. De oratione 151
Quaestio 3. De peccatis contra religionem 162
Art. 1. De superstitione cultus indebiti 164
Art. 2. De idololatria 165
Art. 3. De divinatione 166
Art. 4. De vana observantia 172
Art. 5. De magia et maleficio 177
Art. 6. De tentatione Dei 183
Art. 7. De sacrilegio 186
Art. 8. De simonia 194

Liber secundus. De secundo decalogi praecepto.
Quaestio 1. De vana assumptione nominis Dei 215
Quaestio 2. De blasphemia.

Pag.
Art. 1. De ipsa blasphemia 216
Art. 2. De maledictione 221
Quaestio 3. De voto.
Art. 1. De natura voti 222
Art. 2. De condicionibus ad votum requisitis 226
Art. 3. De obligatione voti 231
Art. 4. De cessatione voti 239
§ 1. De simplici cessatione 240
§ 2. De voti irritatione 241
§ 3. De voti dispensatione 245
§ 4. De voti commutatione 251
Quaestio 4. De iuramento.
Art. 1. De ipso iuramento eiusque liceitate 253
Art. 2. De condicionibus ad iuramentum requisitis 257
Art. 3. De iuramento promissorio 260
Art. 4. De periurio 267
Art. 5. De adiuratione 270

Liber tertius. De tertio decalogi praecepto.

Quaestio 1. De sanctificatione festorum 273
Quaestio 2. De auditione missae.
Art. 1. De modo audiendi missam 276
Art. 2. De causis a missa excusantibus 282
Quaestio 3. De prohibitione operum servilium.
Art. 1. De operibus prohibitis 285
Art. 2. De causis a labore excusantibus 290

Liber quartus. De quarto decalogi praecepto.

Quaestio 1. De pietate, observantia et oboedientia 295
Quaestio 2. De obligationibus in societate domestica 298
Art. 1. De obligationibus coniugum 298
Art. 2. De obligationibus filiorum et parentum.
§ 1. De obligationibus filiorum 303
§ 2. De obligationibus parentum 309
Art. 3. De obligationibus famulorum et dominorum.
§ 1. De obligationibus famulorum 316
§ 2. De obligationibus dominorum 318
Art. 4. De obligationibus herorum et operariorum 320
Art. 5. De obligationibus discipulorum et magistrorum . . 323
Quaestio 3. De obligationibus in societate civili 325
Art. 1. De principe 326
Art. 2. De deputatis 327
Art. 3. De obligatione subiectionis 328

Pag
Art. 4. De obligatione solvendi tributa 331
Art. 5. De obligatione praestandi militiam 337
Art. 6. De obligatione eligendi deputatos 340

Liber quintus. De quinto decalogi praecepto.

Quaestio 1. De obligatione conservandi vitam 345
Quaestio 2. De occisione et mutilatione sui ipsius 347
Quaestio 3. De occisione malefactoris 353
Quaestio 4. De occisione iniusti aggressoris 356
Quaestio 5. De occisione innocentis.
Art. 1. De homicidio 360
Art. 2. De procuratione abortus 367
Quaestio 6. De duello 374
Quaestio 7. De bello 377

Liber sextus. De septimo decalogi praecepto.

Quaestio praevia. De vi legis civilis in materia iustitiae . . . 383
Caput I. De dominio.
Quaestio 1. De dominio in genere.
Art. 1. De natura dominii 387
Art. 2. De obiecto dominii 392
Art. 3. De subiecto dominii 394
Quaestio 2. De dominio in res externas.
Art. 1. De origine dominii in res externas 396
Art. 2. De possessione 398
Art. 3. De dominio filiorum-familias 400
Art. 4. De dominio coniugum 404
Art. 5. De dominio auctorum 408
Art. 6. De dominio clericorum 410
Quaestio 3. De acquisitione dominii 413
Art. 1. De occupatione 414
Art. 2. De inventione 418
Art. 3. De accessione 423
Art. 4. De labore 425
Art. 5. De praescriptione 426
Caput 2. De laesione dominii.
Quaestio 1. De iniuria in genere 436
Quaestio 2. De iniusta rei ablatione.
Art. 1. De natura furti 440
Art. 2. De causis furtum imminuentibus 443
Art. 3. De causis a furto excusantibus.
§ 1. Extrema necessitas 450
§ 2. Occulta compensatio 452

Pag.
Quaestio 3. De iniusta damnificatione 456
Caput 3. De reparatione dominii laesi.
Quaestio 1. De restitutione in genere 458
Quaestio 2. De restitutione ob possessionem rei alienae.
Art. 1. De possessore bonae fidei 463
Art. 2. De possessore malae fidei 470
Art. 3. De possessore dubiae fidei 475
Quaestio 3. De restitutione ob iniustam damnificationem.
Art. 1. Condiciones requisitae 477
§ 1. Actio vere iniusta 478
§ 2. Causa damni efficax 480
§ 3. Theologice culpabilis 482
Art. 2. De damnificatione dubia vel cum errore peracta . . 484
Art. 3. De quibusdam damnificationibus in specie.
§ 1. De damnificatione in bonis spiritualibus 488
§ 2. De damnificatione propter homicidium 490
§ 3. De damnificatione propter stuprum vel fornicationem 494
§ 4. De damnificatione propter adulterium 496
§ 5. De damnificatione propter laesam legem malitiae . 498
§ 6. De damnificatione propter defraudata tributa . . . 499
Quaestio 4. De restitutione ob iniustam cooperationem.
Art. 1. De iniusta cooperatione in genere 501
Art. 2. De mandante 503
Art. 3. De consulente 505
Art. 4. De consentiente 509
Art. 5. De palpone, receptante et participante 510
Art. 6. De cooperationibus negativis 512
Art. 7. De restitutione a cooperatoribus facienda.
§ 1. De quantitate restitutionis 515
§ 2. De ordine restitutionis 518
Quaestio 5. De circumstantiis restitutionis.
Art. 1. Cui restituendum sit 520
Art. 2. Quo ordine restituendum sit.
§ 1. Ordo inter creditores ex lege positiva 524
§ 2. Ordo inter creditores ex lege naturae 526
Art. 3. Quomodo restituendum sit 528
Art. 4. Quando restituendum sit 531
Quaestio 6. De causis a restitutione excusantibus.
Art. 1. De condonatione 533
Art. 2. De impotentia 535
Art. 3. De cessione bonorum 536
Art. 4. De compositione 538

Pag.

Caput 4. De contractibus.
Quaestio 1. De contractibus in genere.
Art. 1. De natura contractuum 542
Art. 2. De materia contractuum 545
Art. 3. De personis habilibus 548
Art. 4. De consensu contrahentium 550
§ 1. De qualitatibus consensus 550
§ 2. De vitiis consensus 553
Art. 5. De causa consensus 559
Art. 6. De obligatione contractuum 561
Quaestio 2. De contractibus unilateralibus.
Art. 1. De promissione 568
Art. 2. De donatione 570
Art. 3. De testamentis.
§ 1. De successione hereditaria 573
§ 2. De ultimis voluntatibus 576
§ 3. De ipsis testamentis 580
Quaestio 3. De contractibus bilateralibus certi eventus.
Art. 1. De deposito 585
Art. 2. De commodato 587
Art. 3. De mandato 589
Art. 4. De mutuo.
§ 1. De natura mutui 591
§ 2. De mutuo pecuniario 596
§ 3. De foenore et usura 598
§ 4. De prohibitione usurae 600
Art. 5. De emptione et venditione.
§ 1. De emptione et venditione in genere 603
§ 2. De obligationibus venditoris et emptoris 604
§ 3. De iusto pretio 608
§ 4. De venditionibus in specie 613
Art. 6. De locatione 617
§ 1. De locatione 618
§ 2. De conductione 619
§ 3. De conductione operis 624
Art. 7. De contractu societatis 625
Art. 8. De cambio 627
Quaestio 4. De contractibus aleatoriis 628
Art. 1. De sponsione 629
Art. 2. De ludo 630
Art. 3. De loteria 633
Art. 4. De assecuratione 634
Art. 5. De speculationibus bursae 641

Pag.

Liber septimus. De octavo decalogi praecepto.

Quaestio 1. De veracitate et fidelitate 645
Quaestio 2. De laesione veritatis.
Art. 1. De mendacio 647
Art. 2. De amphibologia et restrictione mentali 650
Quaestio 3. De laesione famae.
Art. 1. De iure in honorem et famam 655
Art. 2. De detractione et calumnia 657
Art. 3. De licita revelatione criminis alieni 663
Art. 4. De audiente detractionem 668
Art. 5. De restitutione famae 670
Quaestio 4. De laesione honoris.
Art. 1. De iudicio temerario 673
Art. 2. De contumelia 676
Quaestio 5. De violatione secreti 679

Pars tertia.

De praeceptis ecclesiae.

Liber primus. De abstinentia et ieiunio.

Quaestio 1. De praecepto abstinentiae 688
Art. 1. De abstinentia a carnibus 689
Art. 2. De aliis cibis vetitis 694
Quaestio 2. De praecepto ieiunii.
Art. 1. De ipso praecepto ieiunii 697
Art. 2. De unica refectione 700
Art. 3. De causis a ieiunio excusantibus 705
Art. 4. De dispensatione ab abstinentia et ieiunio 709

Liber secundus.

De annua confessione et de communione paschali.

Quaestio 1. De annua confessione 713
Quaestio 2. De communione paschali 716

Liber tertius. De prohibitione librorum.

Quaestio 1. De prohibitione librorum in genere 723
Quaestio 2. De editione librorum 732
Quaestio 3. De censura librorum 734
Quaestio 4. De prohibitione librorum in specie 739

Pag.

Liber quartus.

De sustentatione pastorum et cremationе cadaverum.

Quaestio 1. De praecepto sustentandi pastores 748
Quaestio 2. De prohibitione cremandi cadavera 750

Pars quarta.

De praeceptis particularibus.

Liber primus. De praeceptis laicorum.

Quaestio 1. De iudice et iuratis 755
Quaestio 2. De actore et accusatore 765
Quaestio 3. De reo 767
Quaestio 4. De advocato 770
Quaestio 5. De testibus 773
Quaestio 6. De medicis 777

Liber secundus. De praeceptis clericorum.

Quaestio 1. De vocatione ad statum clericalem 786
Quaestio 2. De obligatione recitandi officium divinum.
Art. 1. De officio divino 789
Art. 2. De obligatione recitandi officium divinum 791
Art. 3. De forma officii divini 795
Art. 4. De modo recitandi officium divinum 800
Art. 5. De causis a recitatione officii excusantibus 810
Quaestio 3. De obligatione erogandi bona superflua 813
Index rerum 818

A. M. D. G.

3


BOSTON COLLEGE
3 9031 01147319 6

69490

DOES NOT CIRCULATE

Noldin

Boston College Library
Chestnut Hill 67, Mass.

Books may be kept for two weeks unless a shorter period is specified.

Two cents a day is charged for each 2-week book kept overtime; 25 cents a day for each overnight book.

If you cannot find what you want, inquire at the delivery desk for assistance.